
NAZIONALE
8
20 — G
12
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA

SACRA
CHRISTI
DOMINI ACADEMIA,
DISTRIBVTA
in octo Classes Beatitudinum.

Auctore R. P. IACOBO DESBANS
Societatis IESV.






PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CHAPPELET, viâ
Iacobæâ sub signo Rosarij.

M. DC XXXIII.

Cum Priuilegio Regis.





ILLVSTRISSIMO ET Reuerendiſſimo Domino D. IOANNI IAVBERT DE BARRAVT Arelatenſi Archiepiſcopo S.



OSTRA, Antiſtes Illuſtriſſime, nec magiſtrum, nec diſcipulum, ſed facta cliens quærit Academia Patronum. Habet Doctorem Chriſtum, Orbem diſcipulum, Te verò ambit fautorẽ ſingularem, quòd Chriſtum vbique audias docentẽ, Orbem vbique

doceas audientem. Nihil mihi arrogo, dum tantum Magistrum, tantúmque Discipulum Academiæ præfero, vbi vadem, cum cælo, habeo Deum. Vnum duntaxat vereor, ne nimis multum Musis tribuam, dum illas Arelatensi cidari corono, nullis fretus aliis, quàm audacis calami præsidiis. Si hæc audacia rea fiat, ad tuum sacrum Tribunal prouocabit. Illic sacra Christi Academia, in octo classes Beatitudinum distributa, portum reperiet. Nam ibi tuus, & sacer, & Academicus genius, pauperes in Christo alit, incredibilem præ se fert vim mansuetudinis, solatio est mœrore confectis, siti iustitiæ exardescit, alienæ calamitatis commiseratione tangi-

tur, integritati cordis mirè vacat, pacis oliuas serit, excolitque, grauia quæque fortiter patitur. Mihi gratulor, quòd tam feliciter in te viuam, & spirantem nostræ Academiæ repererim imaginem. Meritò igitur hunc tantillum laborem meum in Matritensi otio extantlatum, & quidem ad amœnissimam Germani tui Comitis, hac in Curia Legati Galliæ, viri hoc in munere (absit verbo inuidia) nemini secundi, conceptum vmbram, partúmque, tibi velut sacras Diuorum Patrum manubias ex animo consecraui, vt è tholo Metropolitanæ Arelatensis Basilicæ, ad æternam tui nominis memoriam, suspendas. Hoc tibi sit pignus (Præsul dignissi-

me) mei in te, tuosque, animi, quod velim conserues, donec grandiori liberem.

Tuuus æternum in Christo
seruus humillimus,
IACOBVS DESBANS
Societatis Iesu.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR Grace & Priuilege du Roy donné à Paris le quatriesme iour de Feurier l'an de grace 1633. signé PETIT, & seellé, il est permis à SEBASTIEN CHAPPELET, Marchand Libraire Iuré en l'Vniuersité de Paris, d'imprimer, vendre & debiter vn Liure intitulé, *Sacra Christi Domini Academia distributa in octo Classes Beatitudinum, auctore P. Iacobo Desbans*: & ce pour le temps & espace de dix ans, à commencer du iour que ledit liure aura esté imprimé la premiere fois: & defenses sont faites à tous Libraires & Imprimeurs, & autres personnes, de quelque qualité & condition qu'ils soient, d'imprimer, vendre, ny debiter ledit Liure durant ledit temps, d'autre impression que de celle dudit CHAPPELET, sur peine de cinq cens liures d'amende, confiscation des exemplaires, & de tous despens, dommages & interests, ainsi que plus au long est contenu audit Priuilege.

Acheué d'imprimer le 1. Auril 1633.

Approbatio Doctorum.

NOs subscripti in sacra Theologiæ Facultate Parisiensi Doctores fidem facimus nos perlegisse & examinauisse librum cui titulus est, ***Sacra Christi Domini Academia distributa in octo Classes Beatitudinum, Auctore R. P. Iacobo Desbans Societatis IESV***, in quo nihil deprehendimus ab Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Religione ac doctrina alienum aut bonis moribus contrarium. Datum Parisiis in Cœnobio Fratrum Prædicatorum sancti Iacobi anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, die vigesima septima Ianuarij.

FR. MAVRICIVS BRACHET,
Doctor Regens apud Prædicatores.

FR. ANTONIVS MALLET,
Doctor Regens apud Prædicatores.

Facultas Reuerendi Patris Prouincialis Societatis Iesu in Toletana Prouincia.

EGo Michaël Pacheco Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Toletana, potestate ad id mihi facta, ab admodum Reuerendo P. N. Generali Mutio Vitelesco, facultatem concedo, *vt Sacra Christi Academia in octo Classes beatitudinum distributa, authore Iacobo Desbans, Societatis nostræ*, Matriti regio in Collegio Græcarum literarum professore, grauium doctorumque hominum eiusdem Societatis iudicio Approbata, typis mādetur. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Matriti 8. Idus Mart. M. DC. XXXI.

MICHAEL PACHECO.

SACRA



SACRA CHRISTI DOMINI ACADEMIA,

In octo Classes distributa Beatitudinum.

Et in octo gradibus ascensus eius. Ezech. 40.

PARS PRIMA.



AGNVM opus aggredior, planéque diuinum, in quo profanum Musarum vulgus suum nihil agnoscet, nisi quatenus sacræ inseruit Academiæ: integrum verò corpus viuum & spirans, suo iure, sublimes Diuorum Patrum animæ, sub laureato Christi Doctoris Magisterio, sibi vindicabunt. Istud opus sanctissimam Angelorum atq; hominum Magistri Academiam aperit

explicandam, summè colit Doctorem, veneratur exedram, magni facit doctrinam, cœlestes Musas & æternæ riuales sapientię religiosè obseruat, grandiloquum miratur genium, benè gnauos & peracres notat discipulos, totum mirificè suspicit Lyceum. Mirabilis hæc Academia suis omnibus numeris est expleta, in eaque præclarus optimorum studiorum ordo diligentissimè retinetur. Concinna est illius series, & numerosus admodum docendi modus. Eam ob rem in octo Classes distribuitur, in quibus cœli artes edocentur. Quanti sit facienda paupertas spiritus, aperitur: quid sit benignitas, non tegitur: quantum lacrymis tribuendum, docetur: quid valeat fames, sitisque iustitiæ, declaratur: commiserationis campus explicatur: cordis puritas extollitur: pacis amor & oliuarum fructus celebrantur: calamitatum & laborum palmæ assignantur. Vbique triumphat beatitudo, quæ has octo virtutes heroicas lemniscatis coronat laureis. Quàm nobilis Academia, quàm præclara studia, quàm insignes disciplinæ, vbi cœlestis docet Magister, vbi cœli artes traduntur, vbi æterna duntaxat spectantur? Quàm digna Christo Academia,

vbi diuinum opus peragitur: quàm opportuna discipulis, vbi ratio excolitur: quàm salubris ignaro, cæcoque mundo, vbi faces accensæ germanæ veritatis offusam animis caliginem expellunt? Hæ sunt magnæ artes, quibus magnus Doctor agnoscitur, diuinæque patet doctrinę vis, qua nihil melius, altiusq; nihil reperiet discipulus. Quid (amabo) quæritur in artibus? nonne cognitio veritatis, nonne eiusdem vsus in virtutum palæstris? bona est θεωρία, melior πρᾶξις: maximè in salutis arte. Quæ porrò Academia maiorem veritatis vim in se complexa est, crebrioremque veritatis vsum adhibuit, Christi Domini palæstra? Veterum diuina fidei luce priuatorum gymnasia præter rerum vmbras, nihil obtinuerunt, nihil quoque docuerunt. Si illorum aliqui è tantis tenebris emerserint, oculosque ad tenuissimos exiguæ lucis radios aperuerint, illicò vi caliginosæ nubis, quam diffundebat ignorantia, aut conniuebant, aut penitus occæcabantur. Nihil tale Christi sacrarium experitur, cum ipse Christus sit princeps veritas, sit Sol iustitiæ, sit æterna lux, æterna sapientia: alumnis perfectam scientiam communicat, larga luce complet eorum animos, radiis vo-

luntates accendit, exquiſitiſſimum veritatis modum memoriis tradit. Nihil doli, nihil mendacij, quod eſt omnis calamitatis initium, hac in ſchola Domini, locum habet. Hinc oritur beatitudo, quòd floreat ſingularium virtutum amica veritas, & quòd longiùs exulet mendax ſimultas. Quid verius dici, docerive poteſt, quàm paupertatem ſpiritus, eſſe felicitatis originem? Quid contra magis falſum, quàm ſuperbiam eſſe bonorum matrem? Primum docet Chriſtus, alterum docet mundus: primum verum, falſum ſecundum. Quid verius, manſuetos eſſe ſui iuris, furore verò correptos eſſe dæmonis mancipia? Quid magis falſum, pœnitentiæ lacrymis nihil deberi, lætitia triumphanti mundo omnia concedi? Quid verius, nihil eſſe beatius cõſeſſu πεινώντων καὶ διψώντων τὴν δικαιοσύνην, iis qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam? Quid fallacius iis, qui ἐλεήμονας excludunt, & quandam Stoicorum ἀπάθειαν inducunt? Quid ſanctius & firmius doctrina commendantis καθαροὺς τῇ καρδίᾳ, puros corde? Quid futilius & nequius eorum diſciplina, qui εἰρηνοποιοὺς, pacis ſtudioſos oppugnant? Quid rationi conuenientius, quid magis conſentaneum naturæ rerum, quàm

δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης, qui patiuntur propter iustitiam, suis afficiantur præmiis? Isthæc arcana Christi doctoris exponit Academia, quæ nunquam priùs ab vllo mortalium audita, quia nunquam tradita fuerant. Fateantur oportet, non modò Magistri inferiorum artium, sed etiam maiorum gentium Doctores, imò ipsimet ἱεροδιδάσκαλοι, & cœlestium hierarchiarum πολυόμματοι spiritus qui Cherubini appellantur, se nihil tale suis in Academiis professos fuisse. Ad hoc sacrosanctum Christus omnium magister inuitat oraculorum domicilium, in quo Theologus addiscet, addiscet & philosophus, proficiet geometer & astrologus, orator fiet eloquentior & poëta diuinior, scriptor habebit quod posteris tradat, politicus quod rebuspublicis cōsulat, iurisperitus leges cœli accipiet, demum omnis literatus salutis disciplinam percipiet. Neque prætexat idiota, nimis alta huius scholæ esse fundamenta, nimis ardua fastigia, cum puer & innocens ea possit superare. Patet omni ætati Academia, omnis conditionis homini, modò velit saluti consulere. Qui Pater est communis omnium, omnium & communis Magister est: quo amore liberos profe-

quitur, eodem ardore studij discipulos erudit. O felicem Academiam, cuius Deus præses est, cuius disciplina salus est æterna, cuius præmium est cælum! O infelicem discipulum, qui tantum non audiet Doctorem, aut si audierit, non proficiet, cum sua culpa, cælorum regno excidat!

In Luc. 6. D. Ambros.

VENI DOMINE IESV, doce nos ordinem Beatitudinum tuarum.

Prima est,
Pauperum spiritu.

Secunda,
Mitium.

Tertia,
Lugentium.

Quarta,
Esurientium & sitientium iustitiam.

Quinta,
Misericordium.

Sexta,
Mundorum corde.

Septima,
Pacificorum.

Octaua,

Perſecutionem patientium propter iuſtitiam. *Math. 5*

Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam qui euangelizas Hieruſalem.

ἐπ' ὄρος ὑψηλὸν ἀνάβηθι μακαρισμῶν: *Iſaie 40.*

O Domine IESV aſcende in altum montem Beatitudinum.



OMNIVM ACADEMIARVM Regina Domináque SACRA CHRISTI Domini Academia.



OMMVNI totius Orbis consensu, nemine reclamante, conspirantibus Christianæ gentis Columinibus, vna voce sacris apprimè literis tinctorum hominum, veráque sententia sanctissimorum Patrum, Christo, æternæ Sapientiæ prima tribuitur, & omnium nobilissima, Academia. Et quidem meritò, cum sit Angelorum Magister, humanique generis Doctor egregius: in cuius sinu præstabiles rerum cœlestium artes suum tenent

Τῆς ἀϊδίου σοφίας πρώτη Ἀκαδημία.

imperium, cuius ex ore, melle dulcior fluit doctrina, cuius in lingua cœli ſuada, cum omni venuſtatis lepore, ſeſſitat. Doctorum igitur Magiſter Chriſtus, ſacræ huic præſidet Academiæ, in qua διδάσκαλος τῆς οἰκουμένης cœleſte iter aperit, virtutum opes explicat, felicitatis numeros deſignat, immortalis vitæ præmia, ſummis repenſa laboribus, euulgat. Digna certè tanto Doctore Academia, in qua nihil aliud docetur, quàm Chriſtiana philoſophia; nihil aperitur, quàm ad cœlum via; nihil explicatur, quàm virtutis munus: nihil deſignatur, quàm beatitudinis meta: nihil euulgatur, quàm reddita labori merces. Ea eſt Academia, quæ omni ex parte, cæteris longè antecellit: Deum ſpectat, & ea, quæ ſunt humanæ ſalutis: non ita profanæ Veterum Scholæ, quæ vt plurimum res futiles & inanes, ſummo cum dedecore aperuerunt. Docet in primis, quid agendum homini, quidve fugiendum, vt diuinam gratiam aſſequatur, poſtea vi tanti ſeminis, immortalem gloriam: non ita Platonis Academia, non ita περίπατος Ariſtotelis, non ita Zenonis ſtoa, non ita Carneadis exedra, vbi nihil reperias, præter afflantem popularis auræ gloriolam. Tradit perhone-

Huius præſes Academiæ Chriſtus.

Huius ſcholæ doctrina cæleſtis eſt.

Cæteris præſtat.

Huius finis Academiæ ſalus hominis.

Inanes Ethnicorum ſcholæ.

Ingens discrimen inter Christi Academiam & veterum scholas.

ſtam doctrinam, animis maximè decôram, rebuſpublicis & imperiis perutiliſſimam, ſublimem, perilluſtrem, Deo Opt. Max. gratiſſimam, terris, cælóque mirabilem: non ita Gentilium Lycea, quæ multa tradiderunt hominibus parum decôra, ne dicam, turpia, multa in regnorum detrimenta, multa abiecta ſordidáque, multa perobſcura, multa ἀθεϊσμοὺς, multa πολυθεΐας, plura ineptiſſima, à prouinciis & nationibus exploſa, ab imperiis repudiata.

S. Dionyſ. in cal. hier.

Æterna ſpectat Chriſti officina.

Nõ attingit res caducas & fragiles, ſed ſtabiles & æternas, τὰ ὑπερουράνια, τὰ ὑπερκόσμια, tota verſatur in diuinis Chriſti Academia: non ita xyſti antiquorum, non ita literatorum palæſtræ, cum totæ in terrenis volutarentur. Hac in ſacra Domini

Oracula.

officina, vera eduntur, & audiuntur Oracula, quæ commentitiorum Deorum oraculis ſilentium impoſuerunt altiſſimum.

In οὐρ. ἱερ.

Hiſce de Oraculis S. Dionyſ. Areop. vir in omni doctrina verſatiſſimus, cum ait, ἐπὶ τὰς τῶν ἱερωτάτων λογίων πατροπαραδότους ἐλλάμψεις, ὡς ἐφικτὸν ἀνανεύσωμεν, ad hos à patre communicatos fulgores ſacratiſſimorum Oraculorum, quoad licebit, adnuamus & intueamur.

Octo Beatitudines, octo Christi Oracula.

Dubio procul, octo Beatitudines, ſunt huius cœleſtis ſcholæ

totidem Oracula, quæ potiori iure ita nominanda sunt, quàm Iouis Dodonæi, & Apollinis Delphici μαντεύματα & μαντεῖα. Audiendus est S. Isidor. Pelus. qui easdem beatitates, Euangelica vocat Oracula, εἰ δὲ ἐπὶ τοὺς εὐαγγελικοὺς ἔλθῃς Χρησμοὺς, πάλιν τὸ ἴσον εὑρήσεις. μακάριοι οἱ πτωχοὶ, &c. Si verò ad Euangelij accesseris Oracula, rursus quid æquale reperies. Beati pauperes spiritu, &c. Huic Academiæ tot sacrorum vatum cedunt vaticinationes, tot Ιεροφαντῶν acroamata, tot θεοφαντόρων cœlestes afflatus; omnes artes, omnésque disciplinæ, suam Magistram ac Dominam fatentur, & quicquid boni suis in officinis continent, ab hac, prima velut origine repetunt. Huius augustæ palæstræ virgam auream exosculantur, quam Censoriam amant, quaque notari non reformidant, adeò placet asteriscus principis Academiæ. Nemo posthac nobis venditet, præ hoc literato diuinóque Christi Domini sacrario, antiquitatis palæstras, Musarum chorum, Palladia, Nymphæa, aliasque rerum profanarum syluas. Monet, qui hac in nobili docet schola, vt relictis futilium Academiarum artibus, nugisque potiùs dicendis, ad sacrosanctam lectionem audiendam conuolemus.

Ep 13. l 3.

Ιεροφάνται. Θεοφάντορες.

Christi Domini sacrarium, Veterum Musis antiquius.

Locus Academiæ mons altus in quo Christus docet.

Noua sedes Academiæ.



Ovvs Academiæ locus, extra vrbem, extra turbam, remotus à communi hominum commercio, sub dio, sublimis, & cœlo vicinior, cui valles subiacent, cælum dumtaxat imminet, illique patet, vndique, & apertum est. *Locus quietis.* Locus sanè, & ad docendum, & ad audiendum, percommodus, vbi summa quies, & amabile otium, vbi via ad cœlum, & cernitur, & explicatur. *Mons literatus* Mons arridet literatus & Academicus, sacer & augustus, collium æternorum affinis, terrenorum montium facilè coryphæus. *Cæteris nobilior iugis.* Cuius radices reuereantur Taurus & Caucasus, cuius latera colant Ossa & Pelion, cuius verticem suspiciat Olympus. *Psal. 23.* Mons est *Mons Domini.* Domini, de quo regius vates, τίς ἀναβήσεται εἰς τὸ ὄρος τοῦ κυρίου: *Psal. 14.* Mons est sanctus, de quo idem, τίς κατασκηνώσει ἐν ὄρει *Mons sanctus.* ἁγίῳ σου; *Psal. 71.* Mons est, in quo suscipiunt montes pacem populo, & colles iustitiam, τὰ ὄρη εἰρήνην τῷ λαῷ, καὶ οἱ βουνοὶ δικαιοσύνην

(ἀναλαμβάνουσι:) Mons est Dei, mons pinguis, ὄρος τοῦ θεοῦ, ὄρος πῖον: mons est, cuius vertex summopere placuit, τὸ ὄρος ὃ εὐδόκησεν ὁ θεὸς κατοικεῖν ἐν αὐτῷ. Mons Domini, Academia Domini; Mons Dei, schola Dei: Mons sanctus, sancta classis: Mons pinguis, pinguis doctrina: Mons in quo, montes Apostoli, à doctore Christo, mentis pacem gentibus & imperiis communicandam beneuolè excipiunt; in quo etiam colles discipuli iustitiam Christianis acerrimè propugnandam alacriter & studiosè admittunt. Egregius omninò Academiæ locus, ab ipsamet sapientia selectus, vbi rigaret (vt cum propheta loquar) de superioribus, suorum alumnorum animos, velut hortos amœnissimos, vbi pellucidos æternæ vitæ liquores effunderet, vbi sacri pectoris sinum panderet, vbi scientiam Sanctorum promulgaret, vbi sempiternas leges sanciret, non in tabulis è saxo, aut è robore, inscribendas, sed in Apostolorum cordibus, animisque, incidendas. Sit ergo mons Christo consecratus, potiori iure, quàm ficto Ioui, de mente Tyrii, κορυφαὶ ὀρῶν, vertices montium: nam Domini est terra, & plenitudo eius. Sit mons arcanus, sit mysticus, sit diuinus, sit spiritalis, quan-

Mons Dei. *Psal. 67.* *Mons ferax.* *Academia Domini.* *Schola Christi.* *Officina sacramentis ferax segetis.* *Tranquillum pacis imperiũ.* *Electus locus.* *Mons Christo sacer.* λόγ. λή. *Tyrius Plat.* *Mons arcanus,* μυστικός. θεῖος.

Or.1.de beatit.

Collis altæ commentationis.

doquidem placet S. Nysseno, πνευματικὸν ὄρος τῆς ὑψηλῆς θεωρίας. Verè est excelsæ contemplationis mons spiritualis, cum ea sint spiritus, haud corporis, quæ in illo peraguntur. Nullum est ibi commercium cū rebus quæ corporeos in sensus incurrunt, sed cum iis, quæ à concretione mortali secretæ sunt. Hic mons non incurrit in vmbram vitiorum, totus collucet Solis iustitiæ radiis collustratus. Quod confirmat D. Nyss. ὃ πᾶσαν μὲν σκιὰν τὴν ἐκ τῶν ὑπερανεστηκότων τῆς κακίας γεωλόφων ἐκπέφευγεν, ἁπανταχόθεν δὲ τῇ τοῦ ἀληθινοῦ φωτὸς ἀκτῖνι περιλαμπόμενον, &c. Qui mons omnem quidem vmbram ex eminentibus vitij collibus, tumulisque proiectam, effugit, vndique verò radio veræ lucis illustratur. Quàm amœnus cælestis Academiæ locus, quàm lucidus collis, vbi non solùm ἥλιος τὰς ἀκρωρείας αὐγάζει, sol montis verticem illustrat, qui naturæ est, sed νοερὸς ἥλιος, animorum iuga larga sua luce complet & exornat, qui gratiæ? Hinc ortus est in Apostolorum animis dies, longè clarior illo Virgilij, de quo, in montibus

Hic mons à nullis opacatur vmbris.

Loc. sup cit.

Cedren in hist p. 470.

Mōs iste suum agnoscit Solem *

Iuxta sensum D. Greg. Theol. in or. S. Athan.

12. Æneid.

Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, cum primùm alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucémque elatis naribus efflant.

Nemo certè, hoc in ſacro monte, tantam auguſtæ lucem Academiæ ferre potuit, niſi priùs oculos Chriſtus eluiſſet. Audio magnum lumen Eccleſiæ, μηδεὶς ἀτέλεςος ἐπὶ τὴν θέαν ἴτω, οὐ γὰρ οὔτε ταῖς ἡλιοτεύκτοις αὐγαῖς ἐν ἀσθενέσι κόραις ἀντωπεῖν ἀκίνδυνον. Nullus qui non ſit initiatus ad hoc ſpectaculum accedat, nam infirmis oculis ſolis fulgores periculoſum eſt intueri. Auguſtum hoc ſacræ iugum Academiæ, ea repræſentat ſpectatoribus, quæ planè lynceos requirit. Nec malè mons Lynceorum dicitur: quis etiam ignorat Chriſtum eſſe mundi lucem, illiuſque diſcipulos faces clariſſimas extitiſſe?

S. Dion. Areop. in Eccl. hier. c. 2.

Nullus hunc conſcendat mõtem, niſi ſacris ſit initiatus.

Mons clarè videntium, Mons Lynceorum.

Lubet audire D. Auguſtinum, doctorem ſubtiliſſimum, quid de hoc monte, Chriſti ſchola, ſentiat: Si quæritur quid ſignificet mons, benè intelligitur ſignificare maiora pręcepta iuſtitiæ, quia minora erant quæ Iudæis data ſunt. Equidem hic mons eſt officina iuſtitiæ, de qua coronatus vates, Iuſtitia tua ſicut montes Dei. Ibi docetur æquitas in Deum, in ſe, in proximum. Alta ſunt iſta & ſublimia, regnum cælorum, non terrarum, ſpectantia. Appoſitè D. Baſilius, Religioſorum decus & ornamentum, iſtum montem τὴν ὑπερουράνιον χώ-

L. 1. de ſerm. Domini in monte.

Mons iuſtitiæ.

Mons, ſedes caleſtis, lucis regio.

In Psal 14. ρὰν, τὴν περιφανῆ καὶ λαμπράν. Cœlestem regionem, splendidam & illustrem. Audebo fidenter, nec minus verè, asseuerare, istum montem, in quo Christus docebat

Sanctorum societas. tenera & iuuenilis ecclesia. Apostolos, veram fuisse sanctorum Ecclesiam, cum primorum fidelium societas, nobiliumque Christianæ gentis Columinum senatus coactus esset. Non moror Iudæorum sententiam, quoad hunc montem, cum bellè Cæsareæ Capp. Archiepiscopus, Ἰουδαῖος μὲν ὁ γήϊνος, ὅταν ὄρος

Non est mons Sion, nec Oliueti. ἀκούσῃ, πρὸς τὴν σιὼν ἀποτρέχει. Iudæus enim terrenus, cum montem audierit, ad Sion accurrit. Non est mons Sion intelligendus, in quo Christus de octo beatitudinibus sermonem habuit, neque mons Oli-

Mons Cardi, aut alius Capharnai proximus. ueti: sed mons, aut Cardi, aut alius non ita remotus à Capharnao, qui quidem à mari Galilææ versus Orientem, duabus circiter leucis distabat. Perbenè Author ignotus,

C. 5 in Matth non Chrysost. in Matthæum, opportunum istum montem agnoscit ad philosophan-

Mons Philosophicus. dum atque de rebus seriis disserendum: ad quem non omni vulgo patet ascensus, cum verum sit S. Ambrosij effatum: Non se-

In c. 6. Luc. quitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia.

Huius

Huius Academiæ Magiſter Chriſtus.



PERMAGNÆ iſtius Academiæ Doctor eſt Chriſtus, quo nemo Doctorum perſpicacior, nemo doctior, nemo ſapientior. Ipſemet eſt Æterna Supremi Patris Sapientia, è cuius ſinu fluit omnis vera germanaque ſcientia. Laurea Magiſterij ab æterno inſignitus filius, Cathedram in cælo habet, in qua beatas mentes Arcana edocet, idemque ſub humana forma, in monte ſcholam aperit, vbi ſaluberrimis mortalium genus præceptis, quibus cælum patet, imbuit.

Chriſtus Doctor.

Æterna ſapientia.

Quàm pulchra, quàm excellens magiſtri Angelorum laurea. D. Auguſt.

Qualis, & quantus Magiſter, qui tenet omnia, qui nihil prorſus ignorat, quem omnis ſcientiæ, artis, diſciplinæ, eruditionis, ſapientiæ fontem primum, & perennem originem, cæleſtes, terrenæque prædicant Academiæ? Quem S. Dionyſ. Areopagita vocat τὸ πατρικὸν φῶς, τὸ ὄν, τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, Lumen patris, quod extat, quod verum eſt, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quo illu-

πάνσοφος Chriſtus.

Lumen Patris. Lumen de lumine.

ἐν οὐρ. ἱεραρχ. c. 1.

πλῆθος γνώσεως.
D. Areop. Cap. 6. eius hierarch.

strantur τὰ πολυόμματα καὶ πολύπτερα τάγματα, χερουβὶμ ἑβραίων φωνῇ καὶ σεραφὶμ ὀνομασμένα, ordines qui multis oculis multisque alis instruuntur, hebræorum voce Cherubim & Seraphim nominati. Quem D. Nazianzenus θεοῦ σοφίαν ἀπαύγασμα, φῶς τοῦ κόσμου, post D. Paulum, appellat, Dei sapientiam, fulgorem, lumen mundi. Cuius actio, sermoque, de mente S. Basilij, κανών ἐστιν εὐσεβείας τε καὶ ἀρετῆς, Norma est pietatis, & virtutis. In quo κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, τουτέστιν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ, vti B. Io. Damascenus explicat, omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, nimirum in eius carne habitat: cuius vita est sanctitas, sermo gratia, opera beneficia, actiones miracula, congressus voluptas, doctrina fulgur, disciplina suauitas. Hic est Magister, de quo D. Paulinus.

De verbo. 1. serm.
Splendor & fulgor æternus
In ascetici c. 1.
*
Plenitudo diuinitatis.
Vnus est magister Christus in quo tam multa lucent stella. * * *

2. Epist ad Ausonium.
Flos Dei, flos Magisterij.
* Iesus Nazarenus.
Virtutum Doctor.
* Not.
Ep. 112. lib. 2.

Hic veritatis lumen est, vitæ via,
Vis, mens, manus, virtus Patris.
*Sol æquitatis, fons bonorum, flos Dei,**
Natus Deo, mundi sator,
Mortalitatis vita nostræ, & mors necis:
*Magister hic virtutum.**

S. Isidorus Pelusiota rectè dixit διδάσκαλον εἶναι ὀφθαλμὸν τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας,

magistrum esse oculum corporis Ecclesiæ. Maximè illum magistrum, in quo agnoscit τἠν τοῦ βίου καθαρότητα, τὴν τοῦ λόγου ἱκανότητα, & vitæ puritatem, & dicendi facultatem: at quis Christo purior, quisve fuit eloquentior? Cœli orator est & philosophus, sanctæque moderator Theologiæ, qui de mente S. Isidori, ταῖς τῆς ἀρετῆς ἀκτῖσι μαρμαίρει, virtutum radiis splendescit, qui hoc habet singulare inter omnes Doctores, vt non modò ad aurem corporis sermonem habeat, sed ad aurem cordis: nam intus corda docet, vt ait S. Augustinus. Tanti nobilitas magistri, discentis ardor erit discipuli, si verum est (vti est) D. effatum Ambrosij.

Christus Magister, caput, & oculus Ecclesiæ.

Ep. 59. l. 3.

Duæ partes optimi Doctoris.

Loc. sup. cit.

Christus magister auris & cordis.

In ep. S. Io. de charit.

Quis non tantum libenter audiat magistrum?

Huius Academiæ Discipuli sacer Apostolorum cœtus: & in Apostolis, Christiana posteritas.



ADSVNT magnæ expectationis Discipuli, futuri post aliquod tempus, egregij Christianæ gentis, imò Gentilium, Iudęorumque Doctores. Beneuoli omninò, do-

Magni Magistri, Discipuli magni.

Christi beneuoli auditores, Apostoli.

ciles, & attenti auditores; vocantur Apostoli, quòd varias in orbis partes, ad Christi fidem promulgandam, sint transmittendi. Quàm diligenter verba vitæ æternæ, ῥήματα ζωῆς αἰωνίου, excipiunt grandes alumni: audiunt cœli animati, quæ loquitur Dominus: dum fluit, vt ros eloquium Christi, spirantes herbæ viuique flores illum libant feliciter. Perbellè Moses insignis præpotentis Dei vates & cosmographus, de Christo docente Apostolos vaticinatus est, cum dicat, Audite cœli (nimirum Apostoli) quæ loquor (ego Christus:) Audiat terra (nempe turba populi) verba oris mei. Concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquiũ meum: quasi imber super herbam, quasi stillæ super gramina, ὡσεὶ ὄμβρος ἐπ᾽ ἄγρωστιν, καὶ ὡσεὶ νιφετὸς ἐπὶ χόρτον, inquiunt Septuaginta, velut imber super herbam quæ in modum hederæ serpit & propagatur, & velut minuta pluuia more niuis in fœnum dilabens. Cæli rorem ebibunt Apostolica gramina, quæ cælestis fauonius, naturæ zephyro, è terræ sinu lenissimis afflatibus euocauit. Nubes ecclesiarum aquis onerantur, quæ supereffluent totum terrarum orbem, & nationes, & regna magna cum vbertate irrigabunt. Montes fidei, so-

Verba Magistri, verba vitæ
S. Ioann. c. 6.
S. Greg. ho 30
Cæli animati.
Felices herbæ.

Terra, populus Doctrina Christi, pluuia cæli.
Deuter. 32.
ἄγρωστις, cætus apostolicus. *

*Gramen apostolicum * rore Domini irrigatum.*
Clemens aura Spiritus sancti
Nubes Ecclesiæ Apostoli.
Montes fidei.

lis ortum, principesque radios veræ religionis excipiunt, quos imis vallibus Christianorum sunt postea communicaturi. Initiantur sacris Euangelij, Christique Arcana, superatis Adytis, carissima æterni patris pignora gnauiter audiunt, qui imposterum erunt Ἱεροτελέσται & Ἱεράρχαι. Duodecim leones regium veri Salomonis diuinitus perorantis solium hoc in monte sustinent, qui tantos posthac rugitus edent, vt Curias, & Lycea, populos & vrbes, diuino terrore completuri sint. Verè Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, vti canit Ecclesia, & verè hoc in monte congregati, vt alumnorum munia ritè obeant. Ciues sanctorum & domestici Dei magistrum Beatitudines exponentem summopere admirantur: modò discipuli, breui Doctorum in numero reponendi, & quidem Doctores Ecclesiæ renuntiandi. Debebant ij omnium primi cœlestem magistrum audire, qui futuri erant ὑπηρέται χριστοῦ καὶ οἰκόνομοι μυστηρίων θεοῦ, ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei, qui ἄρτον συνέσεως, καὶ ὕδωρ σοφίας gentilibus ministraturi erant. Priùs etiam Christus ostendit illis regnum Dei, & dedit illis scientiam sanctorum, vt sapiens vocat βα-

Initiationes sacra.

Sacra pignora.

S. Dionys. in Eccl. Hierarch. & Max. in schol.

Sacrorum principes, & initiatores.

Leones veri Salomonis.

Principes Apost. populorũ.

De comm. Apost.

πολῖται ἁγίων. domestici Dei.


D. Greg. hom. 30.

Doctores Ecclesiæ.

1. ad Cor. c. 4. Ministri Christi & œconomi myster. Dei.

Ecclesiastic. 15. Panis intellectus: aqua sapientiæ.

Sap. c. 10.



σιλείαν θεοῦ & γνῶσιν ἁγίων: & cũ illos diui-
nis informaret præceptis, christianæ reli-
Æternus magister virtutum sator. gionis posteritatem erudiebat. Æternus
magister, dando satus eximiæ virtutis Apo-
stolorum animis, ferebat futuris suæ spon-
Pictor animarum. sæ, matris Ecclesiæ sæculis, & posteris: co-
lorando viuis coloribus eorum imagines,
pingebat, Apelle meliùs, & quidem æter-
nitati seruandas tabulas, ἐμψύχους πίνακας,
Cebetis elegantiores, diuturnioresque. iecit
Christus in monte fundamenta summæ
Fundamenta Apostoli in montib. sanctis perfectionis, quæ sustinuerunt alia funda-
menta Apostoli in montibus sanctis, prius-
quam imbecillitas humana subiiceret humeros,
cum non esset tantæ moli suppar.
Verbo Christi corroborati Apostoli. Reuera verbo Domini cœli firmati sunt,
secundùm D. Greg. vatisque sententiam,
vbi Dominus Iesus cælestem philosophiam
Christi placita, edictaque. suos Apostolos edocuit. Beati prorsus di-
scipuli, qui vt ait D. Chrysostomus τὰ δόγ-
Comm. in Ep. ad Galat. ματα ἐδέξατο παρὰ τοῦ χειστοῦ, à Christo
Ibid. dogmata præceptáque exceperunt; pror-
Principes discipulorum. sus κορυφαῖοι τῶν μαθητῶν εἰσί. Principes di-
scipulorum sunt habendi.

Beati Christi Domini Discipuli.



EATVS, quem tu erudieris Domine, canit vir desideriorum, & verè beatus, cùm erroribus artium minimè subiaceat, cæcitatem malorum interpretum declinet, ignorantiam hominum effugiat, offusam literis caliginem deuitet. Felix, ait venerabilis à Kempis, quem veritas per se docet. Additque postea, Taceant omnes Doctores, sileant vniuersæ creaturæ in conspectu tuo, tu mihi loquere solus. Equidem D. Nyssenus multis antea sæculis, obseruarat Christi discipulos esse omnium felicissimos, cum asseuerarit non mediocrem in audiendo tanto magistro fuisse voluptatem, imò beatitatem. Ἀλλ' ἀνοιξάτω καὶ ἡμῖν ὁ θεὸς λόγος τὸ στόμα, καὶ διδαξάτω ἡμᾶς ἐκεῖνα, ὧν ἡ ἀκρόασις μακαριότης ἐστίν. Verum etiam nobis Deus verbum os aperiat, atque nos illa edoceat, quorum auditio est beatitudo. Intelligit Christianus Philosophus, veritatis amantissimus, quæ sit illa felicitas, qua

Christi alumnus beatus.

Mira tenebra in artibus.

Cap. 3. de imit. Christi.

Vbi veritas docet, silent creatura.

1 *Or. de beat.*

In audiendo cali magistro magna felicitas.

perfunditur animus, totus Christi radiis collucens, gemmisque æternæ lucis locupletatus. Tantus est ex se veritatis thesaurus, vt quemcumque sui possessorem perbeatum efficiat. Nemo dixerit auditores Platonis, aut Arcesilæ, aut Metrodori, aut veteris Stoici felices, cum tantis rebus falsis, & commentitiis, & parum decôris, suas opiniones resperserint. At beatos illos, ipsamet veritas, (qua non potest esse maior, nec grauior authoritas,) discipulos proclamat, qui Christum nacti sunt magistrum. Audio sanctum Poëtam & Theologum,

Ingens ἀληθείας θησαυρός. *

Illius possessor felix.

In scriptis antiquorum ethnic. multa falsa.

ἐν διαφ. βίων μακαρ.

Ὄλβιος, ὃς καθαροῖο νόου μεγάλῃσιν ἐρωαῖς,
Οὐρανίων φαέων δέρκεται ἀγλαΐην.

Felix, qui puræ permagno mentis amo[re]
Lucis polaris cernit ornatum iubar.

Beatus qui Christum dicentem audit, lucem videt.

Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, ait Magister Angelorum.

Verè beati, & non alij.

Octo Beatitudines, octo Christi placita.

ORTHODOXA sunt ista dogmata, cælestia decreta, Platonicis legibus potiora, plebiscitis digniora, prætorum edictis vtiliora, senatusconsultis

Vtilissima Christiana Reip. placita.

augustoria, reſponſis prudentum ſolertiora, placitis principum nobiliora, philoſophorum opinionibus tutiora, ſapientum ſententiis maturiora; placita ſunt è cælo petita, à Chriſto Domino ſancita, promulgataque, iis omnibus diligentiſſimè obſeruanda, qui ſempiterno frui æuo ſummè concupiſcunt. Hic vocabit ſacra hæc edicta, ſcalam Iacob, cuius octo gradus, octo beatitudines cenſentur, per quos patet ad cælum aſcenſus. Mirabilis ſcala, per quam Chriſtus è cælo deſcendit, & rurſus è terris aſcendit: per quam Angeli iter habent ad homines, & ab hominibus ad Deum: per quam Apoſtolorum ſenatus, eorumque poſteri, cæleſtem aulam ſubeunt. Ille nominabit ſancta hęc decreta, currum Heliæ, cuius rotæ & equi beatitudines denotant, quibus Chriſtiani ſeſſores ad beatam ciuitatem vehuntur. Mirandus currus, quælibet eſt beatitudo, quo animus ad ſinum æterni patris rapitur: currus amoris, ἅρμα πυρὸς; currus Iſraël, ἅρμα Ισραὴλ; currus triumphalis, ἅρμα θριαμβευτικὸν: currus ſecundus, ἅρμα δεύτερον, figurati Ioſeph. Vnus appellabit portas Sion, quibus datur aditus ad templum Dei: alter nuncupabit Tabernacula Iacob, in quibus ſublimes ani-

Regia Christi decreta.

Beatitudines, ſcala Iacob. Geneſ. 28.

Stupenda ſcala.

Reg. 4. c. 2. Beatitudines currus Heliæ.

*1. c. 4. Reg. Currus igneus. Currus amoris. Currus Iſrael. Geneſ. 41. Currus Ioſeph ſecundi. Pſal. 86. Beatitudines * portæ Sion. Beatitudines, Iacob tabernacula. Pſal. 86.*

Beatitudo, arca fœderis.
Exod. 34.
Exod. 35.
Exod. 16.

mæ versantur. Alius Arcam fœderis, cum beatitudinum sancitus octonarius numerus, legis tabulas, Mosisque Decalogum facilè contineat, & insuper virgam miraculorum effectricem, vrnamque auream suauitate mannæ refertam.

Beatitudines, ὅπλα ῥωμαλέων arma fortium.

Alius Armaturam fortium, βολίδας τῶν δυνατῶν (vt placet 70.) proclamabit, qua fortes Christi pugiles & athletæ, contra dæmones armantur. Arma valida, æreis, ferreisque, longè duriora, perenniorumque.

Beatitudines, Castra Domini: amœni horti: perennes bonorum fontes.
Mamma terræ οὖθαρ ἀρούρης Hom.

Vt paucis multa complectar, si quis octo Beatitudines vocarit Castra Domini, amœnissimos virtutum hortos, æternorum bonorum fontes, terram lacte melléque diffluentem, non aberrarit à scopo veritatis.

Procul placita profana.
Plutarch. l. 1. de Placit. Philos.
l. 2. id.
Inania Placita.
l. 5. id.
l. 3.
l. 2.

Facessant profani, qui τὰ ἀρέσκοντα τοῖς φιλοσόφοις pluris faciunt, quàm Christi oracula, qui malũt audire placita ethnicorum περὶ δαιμόνων, περὶ εἱμαρμένης, περὶ τοῦ ἐκτὸς τοῦ κόσμου εἰ ἔστι κενὸν, de dæmonibus, de fato, de illo quod est extra mundum, si sit vacuum: περὶ μαντικῆς, περὶ Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος, περὶ κινήσεως γῆς, περὶ σχημάτων ἀστέρων: de diuinatione, de Iside & Osiride, de terræ motu, de figuris astrorum, & aliis id genus futilibus rebus,

Odi profanum vulgus, & arceo.

Placet audire illum, qui in σοφίᾳ Σειρὰχ dicit παιδείαν ὡς ὄρθρον φωτιῶ, disciplinam, vti diluculum illustrabo. quàm est Domini Iesu clara, perspicua, illustris disciplina! siquidem instar auroræ refulget, nihil est in ea fraudis, nihil doli, nihil caliginis.

c. 24. Ecclesiastic.
Disciplina Christi.
** instar auroræ est. **
** Lucet scientia, stella Domini. **

Omnium Beatitudinum dux Christus & Magister fuit.



ERISSIMVM effatum, Iesus cœpit facere & docere, de fide est, stat adamante firmius, stabitque æternùm in suo flore immortale robur perpetuans. Hoc in beatitudinum campo videre est: nihil docet Christus Magister bonus, quod non antea fecerit, ἔργα τοὺς λόγους ἔχων, vt ait S. D. Chrysostomi discipulus, opera sermones nactus. Prius operibus locutus est Iesus, quàm sermone. Si scholam iam aperiat paupertatis & humilitatis, quis illo pauperior, quisve humilior? minutæ volucres sunt illo ditiores: inseruit suis famulis factus omnium seruus. Si necessitatem lacrymarum humanum genus edo-

Christi modus agendi optimus & docendi.
cap. 1. Act. Apost.
Opera Christi, sermones Christi.
S. Isid. Ep. 342. l. 1.
Christus pauperrimus.
Christus in luctu, Christus in lacrymis.

ceat, quis illo crebriùs humanas calamitates defleuit? Si clementiam & mansuetudinem persuadeat, nemo fuit vnquam humanior, benignior nemo. Si famem, sitimque iustitiæ, de meliori nota commendet, quis mortalium tanto æquitatis studio flagrauit? quis illam Christo ardentiùs expetiuit? quis amplexus est arctiùs. Toto vitæ decursu non alio cibo, non alia potione vsus est, quàm singularis iustitiæ, fuit illius nectar, fuit & ambrosia. Si misericordiam celebret, infinitum suarum commiserationum vbique dedit argumentum: oliuas vbique seuit, æterna suæ pietatis & diuinæ misericordiæ insignia. Si mentis puritatem & corporis integritatem prædicet, florem habemus castitatis, gemmamque virginitatis eundem præconem; germanum Beatissimæ Virginis filium, Regem Angelorum, & Angelum hominum. Si pacem mirum in modum efferat, ipsemet est author pacis, qui perfecit, vt hominum genus, cum æterno Patre rediret in gratiam: lites composuit, bella placauit, suum paci restituit imperium. Si denique ad patientiæ stadium descendat, si res perarduas subeundas esse afferat, si cum calamitatibus, cum molestiis, cum animi,

Christus mansuetissimus.

Christus sitit iustitiam, vt qui maximè.

Christus pater misericordiarũ.

Christus princeps virginum, cælo purior & sole.

Christus princeps pacis.

Christus ipsamet patientia, plus omnib. passus est.

corporiſque ægritudinibus, cum rebus aduerſis dimicandum; quot & quantis conflictatus fuerit miſeriis, quàm dura, quàm aſpera, quàm multas deuorarit difficultates, laboreſque exantlarit, nemo facilè dicet. Eſt talis & tanti Magiſtri publicè profiteri, qui priùs opere docuit, quàm ſermone, priùs manu, quàm ore. Benè ſacer ſcriptor initio operis dixit, τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην περὶ πάντων ὦ θεόφιλε, ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν: Nihil Chriſtus, quoad virtutis palæſtram ſpectat, edixit, quod non antea obierit. D. Baſilius rotundò oſtendit hanc veritatem, de Chriſto agit: αὐτὸς ἦρξεν ὁ κύριος, παράδειγμα τοῖς μανθάνουσιν ἑαυτὸν προτιθείς. ἐπαίνηκε ἐπὶ τοὺς μακαρισμοὺς, καὶ ἕκαστον ἐξετάσας, εὑρήσεις ὅτι προέλαβε τὴν ἐκ τοῦ λόγου διδασκαλίαν τοῖς ἔργοις. μακάριοι οἱ πραεῖς. πῶς οὖν μάθωμεν τὴν πραότητα, μάθετε ἀπ' ἐμοῦ ὅτι πρᾶός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, &c. Ipſe incœpit Dominus, exemplum diſcipulis ſeipſum proponens. Redi ad beatitudines, & vnamquamque expendendo, reperies, quod operibus omnem ſermonis doctrinam præoccuparit. Beati mites: quomodo igitur addiſcemus manſuetudinem? Diſcite à me quia

Octo beatitudines Chriſtus in ſe expreſſit, priuſquàm doceret.

c. 1. Act. Apoſtol.

Ieſus fecit, & docuit.

Hom. in Pſal. 33.

Exemplum beatitudinum Chriſtus.

ceat, quis illo crebriùs humanas calamitates defleuit? Si clementiam & mansuetudinem persuadeat, nemo fuit vnquam humanior, benignior nemo. Si famem, sitimque iustitiæ, de meliori nota commendet, quis mortalium tanto æquitatis studio flagrauit? quis illam Christo ardentiùs expetiuit? quis amplexus est arctiùs Toto vitæ decursu, non alio cibo, non alia potione vsus est, quàm singularis iustitiæ, fuit illius nectar, fuit & ambrosia. Si misericordiam celebret, infinitum suarum commiserationum vbique dedit argumentum: oliuas vbique seuit, æterna suæ pietatis & diuinæ misericordiæ insignia. Si mentis puritatem & corporis integritatem prædicet, florem habemus castitatis, gemmamque virginitatis eundem præconem: germanum Beatissimæ Virginis filium, Regem Angelorum, & Angelum hominum. Si pacem mirum in modum efferat, ipsemet est author pacis, qui perfecit, vt hominum genus, cum æterno Patre rediret in gratiam: lites composuit, bella placauit, suum paci restituit imperium. Si denique ad patientiæ stadium descendat, si res perarduas subeundas esse afferat, si cum calamitatibus, cum molestiis, cum animi,

Christus mansuetissimus.

Christus sitit iustitiam, vt qui maximè.

Christus pater misericordiarũ.

Christus princeps virginum, cælo purior & sole.

Christus princeps pacis.

Christus ipsamet patientia, plus omnib. passus est.

corporisque ægritudinibus, cum rebus aduersis dimicandum; quot & quantis conflictatus fuerit miseriis, quàm dura, quàm aspera, quàm multas deuorarit difficultates, laboresque exantlarit, nemo facilè dicet. Est talis & tanti Magistri publicè profiteri, qui priùs opere docuit, quàm sermone, priùs manu, quàm ore. Benè sacer scriptor initio operis dixit, τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην περὶ πάντων ὦ Θεόφιλε, ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν: Nihil Christus, quoad virtutis palæstram spectat, edixit, quod non antea obierit. D. Basilius rotundò ostendit hanc veritatem, de Christo agit: αὐτὸς ἦρξεν ὁ κύριος, παράδειγμα τοῖς μανθάνουσιν ἑαυτὸν προτιθείς. ἐπάνηκε ἐπὶ τοὺς μακαρισμοὺς, καὶ ἕκαστον ἐξετάσας, εὑρήσεις ὅτι προέλαβε τὴν ἐκ τοῦ λόγου διδασκαλίαν τοῖς ἔργοις. μακάριοι οἱ πραεῖς. πῶς οὖν μάθωμεν τὴν πραότητα, μάθετε ἀπ' ἐμοῦ ὅτι πρᾶός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, &c. Ipse incœpit Dominus, exemplum discipulis seipsum proponens. Redi ad beatitudines, & vnamquamque expendendo, reperies, quod operibus omnem sermonis doctrinam præoccuparit. Beati mites: quomodo igitur addiscemus mansuetudinem? Discite à me quia

Octo beatitudines Christus in se expressit, priusquàm doceret.

c. 1. Act. Apostol.

Iesus fecit, & docuit.

Hom. in Psal. 33.

Exemplum beatitudinum Christus.

mitis sum & humilis corde, &c. Omnium doctorum Christus præstantissimus qui docet & exemplo, & verbo: quem Doctorem tota reueretur Ecclesia, sancti Patres in sinu fouent, Christianus orbis auscultat, superi mirantur, mortales in ore ferunt. Ille est etiam, qui teste D. Ambrosio, dat Leges suas in sensum ipsorum, easque in cordibus eorum digito suo scribit, vt agnitionem Dei non doctrinæ humanæ opere, sed Magisterio summi eruditoris accipiant; quia neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.

Sol Doctorum Christus.

Doctor Ecclesiæ.

De vocat. gent. l. 1 c. 3.

Magisterium Christi mirabile.

1. Cor. 3.



Prima Classis Christi alumnorum qui pauperes spiritu vocantur.



HAc in Classe Magister Angelicus authorem suis alumnis legit, qui est de paupertate spiritus. Vehementer contendit illam esse magnifaciendam, siquidem in se continet beatitatem, illique, si suis sit expleta numeris, ingens deberi præmium, fidenter asseuerat. Nihil minus obtineri, regno cælorum, testatur. Nouum docendi genus, &

Docetur spiritus paupertas.

Noua doctrina & insolens visa mundi sophis.

quasi παράδοξον, visum est olim parum institutis rebus fidei, Gentilibus & Græcis κόσμου σοφοῖς inauditum. Quasi verò, inquiebat illa mundi prudentia, via paupertatis possit aliquis locupletari, multò minus felicitatem assequi. Quæ potest esse in summa rerum inopia, in angustiis rei familiaris, in sordibus penuriæ voluptas, quæue oblectatio? Quin contra, extrema rerum omnium reperitur calamitas. Quæ potest excogitari felicitas in humili abiectoque loco, in quo versantur inopes, in quo tanquam in cœno volutantur? Credite posteri, istis miseris, spretisque homuncionibus cæleste domicilium datum iri. Ad populum phaleras, nobis Themistæ sociis nedum quis facilè imponet. Ita stulta & inanis Ethnicorum prudentia (si prudentia tamen nominanda sit, & non mera insania) Doctoris Angelici miranda conabatur eludere dogmata. Non ita Domina gentium ratio, fidei lumine collustrata, non ita disseruit, statim agnouit, vbi oculos aperuit, ipsam spiritus paupertatem esse donum immortale, à Deo immortali hominibus concessum; in ea veras opes contineri; ipsius vsu miram detexit animi quietem, in eius officinæ tandiu quæsitam reperit Phi-

Mundi prudentiæ mala ratiocinatio.

Gentiles cæci in rebus fidei.

Sophorum Ethnic. insania.

Benè differit ratio fidei radiis collucens.

Paupertas spir. diuinum munus.

Animi quies.

Domus Christianæ philosophia. *Clauis argentea.*

losophiam, suauissimam omnium perturbationum tranquillitatem: vidit clauim esse argenteam, qua ciuitas Dei paupertatis amatoribus, & quidem voluntariæ, aperitur: vidit solutis ignorantiæ tenebris, exactisque, veram esse cœlestis Magistri promissionem. D. Nyssenus vir eximio ingenio, diuinaque prudentia, melius gloriosis Philosophis est philosophatus, cum in paupertate spiritus magnum thesaurum repererit, quo cœlum emitur, quo Deus possidetur.

Thesaurus in paupertate.

Οὗτος ἐκεῖνός ἐστιν ὁ θησαυρὸς, ἀδελφοὶ, ὃν καταμηνύει τὸ γράμμα. κέκρυπται δὲ ὑπὸ τῆς ἀσαφείας ὁ πλοῦτος. οὐκοῦν Χρησώμεθα καὶ ἡμεῖς οἱ ἐπιθυμηταὶ τοῦ ἀκηράτου χρυσίου; τῇ τῶν εὐχῶν πολυχειείᾳ, ὥστε ὑμῖν εἰς τὸ ἐμφανὲς τὸν πλοῦτον ἐλθεῖν. καὶ πάντας ἐξ ἴσου διελέσθαι τὸν θησαυρὸν, καὶ ὅλον ἕκαστον κτήσασθαι.

** Occultus thesaurus. **

Hic est ille thesaurus, fratres, quem indicat scriptum: occultæ sunt ab obscuritate diuitiæ. Igitur nos quoque qui auri minimè corrupti desiderio tenemur, multis precibus vtamur vt opes in lucem prodeant, & omnes ex æquo thesaurum diuidamus, & totum vnusquisque possideat. Optimè philosophatur, dum asserit paupertatem spiritus,

Recondita opes in spir. paupertate.

esse reconditas & abstrusas diuitias, quæ

fere

ferè omnes homines latent. Sub sordido palliolo sæpe latet sapientia, aiebat Orator Rom. sed multo magis sub veri tecto pauperis latet cœlestis thesaurus, qui vocatur ab eodem D. Nysseno πνευματικὸς πλοῦτος, spiritales diuitię. Hanc Christi doctrinam ritè callebat ille, qui dicebat, habebo amodò paupertatem pro diuitiis, humilitatem pro gloria.

Spiritales diuitiæ.

Paupertas melior opibus.

Thom. à kemp. de trib. tabernaculis.

Beati pauperes spiritu.



AGGREDIMVR dicere, quinā sint isti pauperes spiritu. Mirum, siste, & audi, os ambrosium: Non dixit, beati diuites, sed pauperes: inde incipit beatitudo iudicio diuino, vbi ærumna æstimatur humano. Vbi D. Ambros. per pauperes spiritu, eos intelligit qui sponte se suis propter Christum priuarunt bonis; vti alibi demonstrat, ordine enim prima est, & parens quędam generatioq; virtutū (videlicet paupertas spiritus) quia qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna. Certum est magnum esse discrimen inter necessitate, voluntateque pauperes,

Οὔτε οὐ πᾶς πτωχὸς δίκαιος, ἀλλ' ἐκεῖνος οἷος ὁ Λάζαρος. S. Asterius hom. 2.

Cap. 16. offic. l. 1.

Voluntarij pauperes.

L. 5. Luc. c. 6.

Duo genera inopum.

Ibid. Idem. nec omnes beatos esse liquet. Ait idem Doctor, Paupertas enim media est, possunt; *Boni & mali pauperes.* & boni esse, & mali pauperes. Beati igitur pauperes intelligendi, iusti pauperes, longè *Prouerb. 19.* potiores fraudulentis diuitibus, pauperes, *Christi pauperes diuitib. meliores.* qui suam spem in Deo reponunt, qui illum pauperem æmulantur, qui cum diues esset, propter humani generis salutem paupertatis angustias subiit.

Pauperes spiritu, humiles. Ibid. Satis idem S. Pater innuit per hos pauperes spiritu, humiles esse intelligendos, cum dicat: Pauper enim spiritu non inflatur, non extollitur mente carnis suæ. Et iterum: Oportet te pauperem fieri spiritu: * humilitas enim spiritus, diuitiæ virtutum *Humilitas, magna virtutum opes.* sunt. Tertiam addit ἀλληγορικῶς sententiā cum spiritu pauperes, vitiorum egenos in- *Vitio um inopes spirit. pauperes.* terpretatur. Ita ille, pauper à crimine, pauper à vitiis, pauper in quo mundi princeps nihil inuenit, &c. Depone igitur quæ improba sunt, egeto vitiis secundùm bonam paupertatem, mitiga affectum tuum, vt nō irascaris. Quartum accedit ex eodem pi- *Christi mystici inopes.* gnus, posse intelligi pauperes spiritu, mysticos inopes Christi: ait ille, Vide nunc *In Psal. 36.* pauperem mysticum, id est, simplicem & timentem Dei nomen, audientem verbum de castitate, & soluentem: audientem de

misericordia, & soluentem : audientem de placiditate, & non irascentem.

Pauperes spiritu.

I. Bonorum contemptores. II. Humiles. III. Inopes vitiorum. IIII. Pauperes mystici. ex D. Ambrosio.



CONSVLENDVM D. Chrysostomi Oraculum, quod in omni argumento permagnum est: μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι; præclarè ita eloquitur; καθάπερ γάρ τις οἰκίαν μεγάλην καὶ λαμπρὰν οἰκοδομεῖσθαι μέλλων, ἀνάλογον καταβάλλεται τὸ θεμέλιον, ὥστε δυνηθῆναι τὸ μετὰ ταῦτα ἐπιθέμενον ἐνεγκεῖν βάρος. οὕτω δὴ καὶ ὁ Χριστὸς, τὴν μεγάλην ἐκείνην οἰκοδομὴν τῆς φιλοσοφίας ἐν ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν ἐγείρων, ὥσπερ τινὰ θεμέλιον καὶ τρόπιν ἀσφαλῆ καὶ κρηπῖδα βεβαίαν καὶ ἀκίνητον, τὴν τῆς ταπεινοφροσύνης προκαταβάλλεται παραίνεσιν, εἰδὼς ὅτι ταύτης ἐρριζωμένης ἐν ταῖς διανοίαις τῶν ἀκουόντων, ἅπαντα ἄλλα τῆς ἀρετῆς μέρη μετὰ ἀσφαλείας οἰκοδομεῖσθαι δύναται. Beati pau-

Beati pauperes spiritu.

In illud, Paulus vocatus. Serm. 49. in tom. 5.

peres ſpiritu. Nam quemadmodum is qui magnas & magnificas ædes fuerit ædificaturus, conueniens iacit fundamentum, vt eam quæ poſtea imponetur, molem ferre poſſit: ita nimirum etiam Chriſtus, cum ingens illud ædificium philoſophiæ in illorum animis erigeret tanquam fundamentum, & carinam, & baſim firmam, & immobilem, cohortationem humilitatis prius ponit, cùm probè nouerit, poſtquam hæc in auditorum mentibus radices egerit, reliqua omnia virtutum genera tuto poſſe ædificari. Vbi verè & eloquenter per pauperes ſpiritu S. Ioann. humiles interpretatur, qui totum pondus huius philoſophicæ fabricæ ſuſtinent, ita vt ſint chriſtianæ inſtitutionis veluti fundamenta, ſtabiles carinæ nauis eccleſiaſticæ, baſes æreæ perennium columnarum, quibus templum Dei nititur.

Magnum Chriſtianæ philoſ. ædificiũ nititur paup. ſpirit. fundamento.

Magna nauis carina paup. ſp. fundatur.

Magna columna paup. ſpir. baſi fulcitur.

Paupertas ſpiritus, humilitas.

Ταπεινοφροσύνην δὲ, οὐ τὴν ἐν ῥήμασι λέγω, οὐδὲ τὴν ἐπὶ τῆς γλώττης, ἀλλὰ τὴν ἐν τῇ διανοίᾳ, τὴν ἀπὸ τῆς ψυχῆς, τὴν ἐν συνειδότι, ἣν ὁ Θεὸς δύναται μόνος ὁρᾷν. Humilitatem autem dico, non eam quæ in

Paupertas ſpiritus humilitas

verbis, neque quæ in lingua, ſed quæ in mẽte, in anima, in conſcientia ſita eſt, quam ſolus Deus poteſt intueri. Et verò, vera eſt paupertas ſpiritus, animi demiſſio, cordiſq; humilitas, non ſermonis, linguæue lenocinia. Ex D. Chryſoſtomo.

Magnum illud Græciæ lumen S. Nyſſenus, veluti magnos Reges, pauperes ſpiritu veneratur. ἀλλ' οἴδαμεν βασιλέας τοὺς ἀπὸ τῆς σοφίας ὄντως εἰς τὴν ἀτελεύτητον προϊόντας ἀρχήν, τοὺς πτωχοὺς τῷ πνεύματι. Sed nouimus alios reges, qui à ſapientia verè deducuntur ad imperium, quod finis eſt expers, ij ſunt pauperes ſpiritu. Habemus Reges, & quidem locupletiſſimos, licet pauperes nominentur. Solerter in Eccleſiaſten indicat, quæ ſit paupertas ſpiritus,

Orat. 2. contra Eunomium.

Pauperes ſpiritu Reges;

Hom. 7.

Paupertas ſpiritus, priuatio vitiorum.

Κακὸν κτῆμα ἡ φυλαργυρεία: οὐκοῦν ἀπολέσωμεν. πονηρὸν ἀπόθετον ἡ μνησικακία; οὐκοῦν περθώμεθα. ὀλέθριον κτῆμα ἡ ἀκόλαστος ἐπιθυμία. τούτου μάλιστα πρὸς τῶν ἄλλων πτωχεύσωμεν, ἵνα τῆς τοιαύτης πτωχείας, τὴν βασιλείαν κερδήσωμεν, &c. Mala poſſeſſio eſt argenti cupiditas, eam ergo.

Paupertas ſpiritus, delictorum priuatio.

Hom. 7. in Eccleſ.

perdamus. Malum depositum est acceptæ iniuriæ recordatio: id ergo amittamus. Mala hæreditas est effrenata libido: eius potissimùm, præ cæteris, inopia laboremus, vt per eiusmodi paupertatem regnũ lucremur. Beati enim sunt pauperes spiritu, videlicet qui sunt talium egeni diuitiarum τοιούτου πλούτου πενόμενοι.

Veri pauperes, qui moderatè viuunt.

Veri sunt pauperes spiritu, qui diuitias & commutabilia pecuni[illegible] membra contemnunt, qui iniurias sibi facto sempiterna delent obliuione, qui malos appetitus coercent, qui sibi in omnibus temperant.

Orat. I.

Idem S. Pater de beatitudinibus, dicit illum esse pauperem spiritu, qui sponte sua earum rerum omnium, quæ per vitium & nequitiam intelliguntur, inops est, καὶ οὐδὲν τῶν διαβολικῶν κειμηλίων ἐν τοῖς ἰδίοις ταμείοις ἔχων ἀπόθετον, ac nihil ex diabolica supellectile in suo ærario reconditum habet, sed spiritu feruet, & per hunc, malorum sibi paupertatem comparat, κακῶν. πενίαν ἑαυτῷ θησαυρίζων, ille fuerit is, qui à Verbo in ea, quæ beata habetur, egestate versari declaratur, ἧς ὁ καρπὸς βασιλεία οὐρανῶν ἐστιν.

Paupertas spiritus, voluntaria mentis demissio.

Δοκεῖ μοι πτωχείαν πνεύματος, τὴν ἑκούσιον ταπεινοφροσύνην ὀνομάζειν ὁ λόγος, ait idem Magister: videtur mihi verbum paupertatem spiritus nominare voluntariam animi depressionem. Et ita (vt cum eodem loquar) superbiam eiicit ἀρχέγονόν τι κακόν. *Ibid. Id.* *Paupertas spiritus princeps bonum.* *Superbia, primarium malũ.*

Audio libenter S. P. Antiochum, qui pauperes spiritu, eos intelligit qui πάροικοι sunt ἐπὶ τῆς γῆς aduenæ super terram, qui nihil circumferunt secum προσκαίρου αἰῶνος, rei temporariæ, qui produnt se ἀϊδίων ὀρέγεσθαι ἀγαθῶν, sempiterna bona expetere dum se suis bonis exuunt, qui Heliæ & Ioannis imitatores comperiuntur, qui inopiæ merito τοῖς Ἀγγέλοις συναμιλλῶνται cum Angelis congrediuntur, & δικαίοις συγχορεύουσι choro iustorum annumerantur, qui τὸν κόσμον καὶ τὸν μαμωνᾶν odio prosequuntur, & * κοσμοποιὸν amant, qui præ se ferunt μεγάλης οὖν ψυχῆς καὶ θεοφιλοῦς γνώρισμα τὴν ἀκτημοσύνην. *Hom 89. περὶ ἀκτημοσύνης.* *Felices ἀκτήμονες.* ** Mundi opificem.* *Paupertas, magnæ ac generosa mentis argumentum.*

Paupertas spiritus, margarita & thesaurus.

Ὁ οὖν θέλων (ait idem S.) κτήσασθαι τὸν πο- *Pergrandis margarita.*

λύπιμον μαργαρίτην, τὰ παρόντα πάντα μετὰ χαρᾶς ἀποκτησάσθω ἀγαθὰ, ἵνα τὸν ἀγρὸν ὄντως κτήσηται ἐν ᾧ τὸν εὗρεν τ θησαυρὸν κεκρυμμένον τῆς ζωῆς. Qui igitur cupit hanc pretiosissimam margaritam adipisci, omnia bona præsentia cum gaudio abiiciat, vt agrum sibi comparet, in quo inueniet thesaurũ vitæ reconditum. Verè pauper spiritu ἀετὸς ὑπάρχει ὑψιπετὴς, est aquila altè volans.

Ingens thesaurus.

Pauper, magna aquila.

S. Basilius argutè, more suo, & quidem attico, discutit & expendit, quinam sint pauperes spiritu, sibique respondet, οὐχ οἱ πένητες κατὰ τὴν περιουσίαν, ἀλλ' οἱ τὴν πτωχείαν ἐκ ψυχῆς προελόμενοι: non pauperes facultatibus & diuitiis (nimirum contra voluntatem) sed qui paupertatem ex animo selegerunt & amplexi sunt. Additque, οὐδὲν γὰρ τῶν ἀπροαιρέτων μακαριστόν. διότι πᾶσα ἀρετὴ, μάλιστα δὴ πάντων τῷ ἑκουσίῳ χαρακτηρίζεται. Nihil beatum, quod non est spontaneum. Quapropter omnis virtus maximè voluntate & libero arbitrio notatur, figuraturque. Idem, alibi affirmat beatos esse omnium primos Christi discipulos, qui pauperes & nudi totum terrarũ orbem decurrerunt. ὧν οἱ μακάριοι μαθηταὶ πρῶτοι πένητες καὶ γυμνοὶ τὴν οἰκουμένην

Hom in Psal. λγ. 33.

Pauperes animo.

Omnis virtus Stella libertatis signatur. *

Hom. de humil.

Nudi & pauperes Christi discipuli.

διαδραμόντες. Idem in asceticis, οὗτοί εἰσιν οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, illi sunt pauperes spiritu, qui non propter aliam causam ἐπτώχευσαν inopes facti sunt. Sed propter διδασκαλίαν doctrinam Domini dicentis, Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.

ἀποκρ. σε. Respons. 205.
Pauperes propter doctrinam Domini.

D. Hieronymum habeo, qui paupertatem, quæ est necessitatis, à nemine beatitudinis excludit, negatque felices esse, qui tantùm necessitate, in paupertatis angustiis versantur.

Paupertas necessitatis minimè beata.
In Matth. c 5.

Ne quis autem putaret paupertatem quę nonnunquam necessitate portatur, à Domino prædicari, adiunxit spiritu, vt humilitatem intelligeres, non penuriam. Beati pauperes spiritu, qui propter Spiritum sanctum voluntate sunt pauperes. Egregia D. Hier. interpretatio, vbi pauperes Spiritus sancti nacti sumus.

Onus paupertas minimè voluntaria, & graue onus: voluntaria leue iugum.

S. Augustinus, ingeniorum aquila, hanc beatitudinem paupertatis acutè vidit. Quapropter rectè hîc intelliguntur pauperes spiritu, humiles & timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem, (quàm à paupertate spiritus) siquidem peruentura est ad summam sapientiam. Initium autem sapientiæ, timor

L. 1. de sermo Domini in monte.
Pauperes timentes Deum.
C. 1.
Humiles paup. cœli regnum quærunt: terræ regna superbi.

Domini: quoniam & è contrario, initium
omnis peccati superbia scribitur. Superbi
autem appetant & diligant regna terra-
σ. 4. rum. Iterum, sic itaque dictum est: Beati
pauperes spiritu, quoniam ipsorum est re-
gnum cœlorum, tanquam diceretur, ini-
tium sapientiæ timor Domini. S. Doctor
per pauperes spiritu eos accipit, de quibus
Ps. ριά. 111. vates regius, μακάριος ἀνὴρ ὁ φοβούμενος
Ps. ά. 1. τ̃ κύριον, Beatus vir qui timet Dominum;
Ps. ριή. 108. μακάριος ἀνὴρ ὃς οὐκ ἐπορεύθη ἐν βουλῇ
Veri pauperes. ἀσεβῶν: qui non abiit in consilio impio-
ἄμωμοι pau- rum: μακάριοι ἄμωμοι ἐν ὁδῷ, οἱ πορευό-
peres spiri- μενοι ἐν νόμῳ κυρίου. Beati immaculati in
tu. via, qui ambulant in lege Domini. Benè
Legis Domini de pauperibus spiritu dicitur, quod ambu-
custodes & lent in paupertate spiritus, quæ lex est Do-
viatores itine-
ris cælestis. mini.

In cap. 31. S. Gregorius ait, ergo illi sunt veraci-
Iob. c 11. ter pauperes, qui inflati per superbiæ spi-
Pauperes non ritum non sunt, quos apertè veritas expri-
fastu tument. mit. In eandem it sententiam D. Hilarius
(imò longè antè D. Greg. id censuerat.)
In Math. 5. In spiritus humilitate perfectæ beatitudi-
Humilia spi- nis posuit exordium. Igitur humilia spi-
rantes. rantes, id est, se homines recordantes in
Veri homines, cœlestis regni possessione constituit. Præ-
sua naturæ
memores. clarè eloquitur D. Hilarius nobilis Picta-

uorum antistes, cum per pauperes spiritu, homines sui memores & naturæ, interpretetur: quia fieri nequit vt homo sese locupletem ostentet, suaque prædicet, si suæ conditionis abiectissimæ memor sit, quin potius se miserum & inopem omni ex parte pronunciabit. Idem sentit S. Leo, Ostendit eis regnum cœlorum tribuendum, quos humilitas commendat animorum, magis quàm indigentia facultatum. Idem sentit S. Epiphanius, pauperes autem sunt animi humilitate. Venerabilis Beda, voluntaria paupertate humiles. D. Anselmus, pauperes spiritu, id est, voluntate non coactione.

In c 5. Math. Humilitas animorū paupertas spiritus.

Contra hær. l. 2 c. 2.

In Math.

In eund.

Paupertas spiritus.

Vbi idem S. Anselm. Paupertas ipsa est abdicare se & sua. Duo enim sunt abdicanda, exteriora & interiora. Exteriora sunt nobilitas, & diuitiæ, & aliæ possessiones: interiora ingenium, fortitudo, pulchritudo, velocitas, & similia.

Abdicatio sui & suorum.

Alchuinum Caroli Magni magistrū mirantur discipuli, cū dicat: Pauperes Christi sunt, qui non amant hoc sæculum, siue habeant diuitias, siue non habeant. Grauiter

Expos. in Cāt. grad.

Pauperes spiritu sunt osores sæculi.

omninò & verè, nã non ij tantum pauperũ ſpiritu nomen merentur, qui ſe ſuis abdicarũt opibus; ſed etiam ij, qui licet luculenta habeant patrimonia, iis tamen minimè afficiuntur, eaque velut Christi œconomi, in pauperes distribuunt, quando neceſſitas postulat, & charitas imperat. Verum fatendum eſt ingenuè, de illis poſſe dici.

Qui non capiuntur diuitiis.

Boni diſpenſatores bonorum, ſed rari.

Rara auis in terris, nigroque ſimillima cygno.

Author in Mathæum, (quem D. Ioannem Antiochenum aliqui vocant) quærit, qui ſunt pauperes ſpiritu? Humiles ſcilicet mente, atque contriti ſpiritu. Vera reſponſio, cum certum ſit, vt ipſemet inſuper adiungit, pauper ſpiritu, eſt humilis corde, id eſt, pauperem ſpiritum habens, qui non magna de ſe ſapit. Quid illo paupere ſpiritu locupletius excogitari poteſt, qui nihil habet niſi Chriſtum? & vide ſi nihil habeat, qui omnia habentem habet. Videat nihilominus qui pauper eſt ſpiritu, cum omnia poſſideat, ne inſoleſcat, ſed continuò de ſe humiliter ſentiat, cum ſcire debeat omnes homines eſſe admodum inopes, omneſque plurimùm egere gratia Dei. Rectè D. Nazianzenus de amore paupertatis ſuam orditur oratio-

Pauperes contrito corde.

Bonus pauper, qui Chriſtum habet, nam omnia habet. S. Paul. ep. 5. ad Senec.

nem, Ἄνδρες ἀδελφοὶ καὶ συμπένητες, πτωχοὶ γὰρ ἅπαντες καὶ τῆς θείας χάριτος ἐπιδεεῖς, viri fratres & vnà inopes, omnes enim pauperes, & diuina gratia egentes.

Omnes ſunt pauperes quia egent Dei gratia.

Audiendus eſt B. Ioannes Ketel, præclarè docebit, quinam ſint dicendi pauperes ſpiritu. Ita illius vitæ ſcriptor inſignis. Quodam die ſacro, cum quidam clerici veniſſent ad eum de ſchola, cœpit eis dicere aliqua bona, & inter cætera hæc ait: Benè inuenimus in Euangelio ſcriptum, beati pauperes ſpiritu, &c. ſed nullibi legimus, beati magiſtri artium, at illi obſtupeſcentes de nouitate verborum, cum multa reuerentia eius verba ſumpſerunt. Quibus etiam declarabat ſententiam ſuam, quia ſine humilitate ſcientia non prodeſt, ſed paupertate ſpiritus, id eſt humilitate, regnum Dei veraciter obtinetur. Nam & humilitas nunc inuenit gratiam apud Deum; & vitam æternam in futuro. Quàm appoſitè hic Chriſti pauper & humilis diſſerebat, neque impediit illius muneris, nimirum culinæ, officium, quo minus veros pauperes ſpiritu cognoſceret, beatoſque intelligeret.

In vita Ioannis Cacabi apud Thom. à Kemp.

Nullibi legitur, aut B. Ketel, beati magiſtri artium.

Regnum Dei in paupertate obtinetur.

Probatur mens venerabilis Thomæ Malleoli in multis, quæ de pauperibus ſpi-

De trib. tabernaculis.

Corporalis & spiritalis paupertas. ritu scripsit, aliàs dicit, beati paup. spirit. &c. siue de corporali, siue de spirituali paupertate id intelligitur, in singulis voluntaria paupertas prædicanda & amanda videtur: aliàs, hi sunt pontifices almi, *Rebus paupe-res, meritis lo-cupletes.* pauperes spiritu, pauperes reb. sed meritis locupletes, & clari virtutibus: aliàs, *Modici, pau-peres.* per pauperes spiritu, modicos intelligit, vnde ait, nosti Martinum virum sanctissimum, qui ob singularem deuotionem *D. Martinus pauper & mo-dicus.* paupertatis, Martinus pauper & modicus meruit appellari: aliàs, in numero marty- *Serm. ad noui-tios.* rum pauperes spiritu reponit; sancta quippe voluntaria paupertas, pro martyrio *Pauperes spiri-tu veri marty-res.* computatur, & ideò sicut martyribus, ita & pauperibus regnum cœlorum à Domino promissum est, & donatur: aliàs, amicos intelligere est diuini numinis, siquidem ait, Veruntamen paupertas, amica *Paupertas, amica Dei.* mea, noli contristari.

Magnus ille rex Dauid se pauperem & inopem coram Domino profitebatur, ὅτι *Pauperes spiri-tu regij animi.* πτωχὸς καὶ πένης εἰμὶ ἐγώ. Regius planè animus, quales sunt pauperes spiritu, itaque dicere pauperes spiritu, idem est ac dicere regios animos, generosas & excelsas mentes, fortes robustosque spiritus, ἰφθίμους *Il. a.* ψυχάς. De his pauperibus spiritu D. Pau- *1. Cor. 6.*

lus, in quorum albo reponitur: ὡς πτωχοί, πολλοὺς δὲ πλουτίζοντες: ὡς μηδὲν ἔχοντες, καὶ πάντα κατέχοντες: vt egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Adsunt mirabiles pauperes spiritu, qui signatam in thesauris Domini habent paupertatem. Ita est, Dei opes, illorum sunt opes, & suum habent in cœlo peculium, imò in Deo. Magnum bonum, quo maius orbis non capit.

ἀστερόεσσα πενία, stellata paupertas. Signata in ærario Domini paupertas. Pauper spirit. in Deo suum habet peculium.

Nec est quod prætermittam diuinitus philosophantem hac in parte pauperum spiritu, D. Iustinianum Protopatriarcham Venetum: Locuturus enim multa de legalibus institutis, de virtutibus moralibus, & de beatitudinibus futuris ab ipsa humilitate tanquam à radice, cæterarumque custode virtutum exorsus est fari: Beati (ait) pauperes spiritu, videlicet humiles, timentes Deum, & non habentes inflantem spiritum, cuius profectò est proprium, mentem in sublime attollere, distendere, decipere, & prosternere. Non aliunde Dei sapientia, quàm ab humilitate inchoare debuit, ipsam pro aliarum fundamento virtutum in imo constituens. Nouerat quippe ille qui loquebatur, quod superua-

Paupertas spiritus radix, custosque virtutum.

Dei sapientia inchoat à paupertate spiritus.

Humilitas virtutum fundamentum. Lib. de humilit. cap. 10.

cuè ædificat virtutum actus, qui humilitatis caret fundamento, atque illam absque hac virtute minimè posse perseuerare structuram, quæ flantibus ventis, & quotidie impingentibus vndis impellitur ad ruinam. Ita ille, hæc quoque habet singularia de paupertate spiritus.

Paupertas spiritus.

De discipl. & perf monast. conuers. Egregiũ paupertatis voluntariæ encomiũ & verissimũ.

O beata paupertas voluntaria nihil in hoc sæculo possidens, nihil formidans, quoniam omnem thesaurum suum recondit in cœlo. Non irruentes piratas, non insidiantes latrones, non terræ sterilitatem, non aeris tempestates pauescit. Quicquid infortunij, quicquid noui eueniat secura est, semper hilaris, semper abundans est, & cum nihil habeat, omnia sibi communia facit, omne incommodum suo facit profectui deseruire. In facie læta, iucundiorque in corde Deum vbique reperit prouisorem, hominum facultates renuens, in solo diuino innititur suffragio. Tanquam viator vacuus & peregrinus in hoc sæculo semper gaudet, qui hac fuerit ornatus. Margaritam quippe absconditam in agro inuenit, pro hoc distraxit omnia sua, insuper

G. Margarita.

insuper abnegauit seipsum; quatenus ipsa dignus efficiatur. Nemo certè nisi expertus percipere sufficit quàm amabilia, quàm dulcia, quàm preciosa sint, quæ largitur iis, qui pro ipsius amore suis, sibique renunciant. Est tanti viri, Christiano, religiosoque more philosophari, sacra paupertatis spiritus in Academia. *Pauperes spir. seipsos abnegant.*

Quàm leniter hoc in argumento versatur S. Chromatius Aquileiensis Episcopus! Hos vtique pauperes significat esse beatos, qui contemptis mundi diuitiis spretaque sæculi facultate; vt Deo fierent diuites, mundo esse pauperes voluerunt. Hi tales pauperes quidem sæculo videntur, sed Deo diuites sunt; egentes sæculo, sed Christo locupletes: Tantum discrepat à Christo mundus, vt contrariam semper abeat in sententiam. *2 Conc. de Beatitudinib.* *Deo diuites mundo pauperes.* *Egentes sæculo, Christo locupletes.*

S. Macarius quærit, quomodo potest quispiam pauper esse spiritu, & respondet, ὅταν δὲ ἔλθῃ εἰς ταύτην τὴν σύνεσιν, καὶ τὴν προκοπήν, quando accesserit ad talem intellectum & promotionem (scilicet humilitatis, suique veræ cognitionis) αὕτη ἡ χάρις διδάσκει αὐτὸν εἶναι πτωχὸν τῷ πνεύματι, τὸν ὄντα τινὰ δίκαιον καὶ ἐκλεκ- *σύνεσις καὶ προκοπὴ paupertatis ratio.* *Hom. 12. in respons.*

τὸν θεοῦ, μὴ ἡγεῖσθαί τι ἑαυτὸν εἶναι, ἀλλ' ἔχειν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἄτιμον, καὶ ἐξουδενουμένην, ὡς μηδὲν εἰδότα ἢ ἔχοντα, καίτοι εἰδότα καὶ ἔχοντα: ipsa docet illum gratia, reuera quidem iustum & electum Dei pauperem esse spiritu, vt qui de se nihil existimet, sed animo sit vilis & abiectus, tanquam nihil habens aut sciens quamuis multa habeat & sciat.

Iustus & electus Dei pauper spiritu est.

Orat 18.

S. Basilius Seleuciæ asserit Christum paupertatem spiritus, quam appellat humilitatem, discipulos variis modis docuisse, ποτὲ μὲν βοῶν, μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι οἱ τὸν ὄγκον τῶν τρόπων ἐμίσησαν, καρπὸν τοιαύτης πτωχείας, τὸν οὐρανοῦ πλοῦτον ἐπαγγελλόμενος. Quandoque clamans, beati pauperes spiritu, qui morum fastum oderunt, fructum eiusmodi paupertatis, diuitias cœli pollicitus.

Pauper spir. mundans fastuosores.

Immortaliter lætantur religiosi homines, dum S. Bernardum de beatitudinibus differentem audiunt, quàm leniter, quàm piè, quàm religiosè: Aperiam os meum, eructabo abscōdita à constitutione mundi. Quid enim tam absconditum, quàm paupertatem esse beatam? Attamen veritas loquitur, quæ nec falli, nec fallere potest,

Psal 77.
In festo omn. Sanct. serm. 1.
Res abscondita paupertas beata.

& ipsa est quæ dicit, quoniam beati pauperes spiritu. Sic vos insensati filij Adam diuitias quæritis, diuitias desideratis vsque adhuc: cum iam beatitudo pauperum diuinitus commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus? Quærat eas paganus, qui sine Deo viuit. Quærat Iudæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte magis, aut qua mente Christianus diuitias quærit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicauit? Quousque filij alieni, quousque vanitatem loquetur os vestrum, vt beatum dicatis populum cui hæc sunt, hæc visibilia, hæc præsentia: cum filius Dei os suum aperiens, locutus sit veritatem beatos esse pauperes, & væ diuitibus? Deinde paucis interiectis, (cum dixerit nec plebeios pauperes necessitate miserabili non laudabili voluntate, Christum intellexisse, nec quosdam Philosophos, qui noluerunt censu abundare terreno, vt abundarent magis in sensu suo) ait, Beati verò pauperes spiritu, spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Bellè tandem concludit, Vis obtinere cœlum quod perdidit

Paupertas spirit. diuinitus commendata.

Falsò beatus populus qui affluit diuitiis.

Nec paup. plebeij, nec philoso. hi paup. beati.

Quomodo cœlū obtineri possit.

superbiens Angelus, qui confisus est in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum: paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. Benè idem S. alibi.


Est paupertatis regnum cæli.

De aduentu Domini ser. 4.

Paupertas, magna penna.

Magna quædam penna est paupertatis, qua tam citò volatur in regnum cœlorum. Nam in aliis virtutibus quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur, paupertati non tam promittitur, quàm datur.

Quod Christus de paupertate spiritus semel in monte docuit, idem per sanctos Patres qualibet ætate repetiit.



EX variis in sacrum solem productis SS. Patribus, tàm Latinis quàm Græcis, multisque aliis præteritis, liquidò constat; quotidie Christum paupertatem spiritus edocere, perpetuamque hac de materia lectionem habere. Certum est eundem esse Doctorem, qui

magnam hanc moderatur Academiam, quique superioribus sęculis moderatus est, cum sit idem spiritus, eadem mens, idem animus, quo regitur & administratur. Per ora sanctorum Patrum pauperes spiritu erudit, format, excolit, exercet, perficit: erudit accedentes, format tyrones, excolit studiosos, exercet constantes, perficit promotos.

Christus opera S. Patrum tenet acad. miā paupertatis.

Si auditur labor paupertatis, sudor, spinæ, vigiliæ, contentiones, asperitates, dolores, difficultates, molestiæ, & alia id genus, iis etiam optimum additur condimentum, maximum quoque præmium, æternum imperium, æterna felicitas, ipsummet cœlum rependitur.

Labor paupertatis magno compensatur præmio.

Mirum principium (ait S. Chromatius) fratres, doctrinæ cœlestis, non à terrore incipit, sed à beatitudine: non terrorem faciens, sed potius desiderium. Vice enim Agonothetæ vel munerarij certatoribus in hoc stadio spiritali præmium grande proponit, vt dum aspiciant prœmium nec labores timeant, nec pericula perhorrescant.

Serm. 1. in cap. 5. Matth.

Insignis Agonotheta Christus.

Grande præmium.

Classis personat voluntaria paupertate, magnopere laudabili; personat timore Domini, personat abnegatione sui, bono-

Christus variis modis loquitur.

rumque communium, personat inopia Dei: auditur vox Euangelistæ, αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσι καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνώσεις, ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ. auditur vox aut potius tuba D. Pauli, ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι, ἵνα Χριστὸν κερδήσω: auditur vox boni Tobiæ, καὶ μὴ φοβοῦ παιδίον, ὅτι ἐπτωχεύσαμεν, ὑπάρχει σοι πολλὰ, ἐὰν φοβῇ τὸν θεόν. Auditur Canticum D. Matris; Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes: auditur Psaltes regius, Parasti in dulcedine tua pauperi Deus: idem rursus auditur, Patientia pauperum non peribit in finem: auditur vox Domini Iesu, per multorum ora magistrorum: interdum auditur, Habitauit in tabernaculo paupertatis, magnus ille Helias propheta: testantur corui qui eum pascebant: spelunca in qua latebat: asperitas vestium, quæ eum tegebat, & Angelus Domini qui subcinericium panem & aquam illi ministrabat: interdum auditur, Non displiceat paupertas tua, nec te frangat egestas, vel temporalium penuria: vis cognoscere, quàm locuples sit? cœlum emit: quibus thesauris conferri potest, quod paupertati videmus indultum? Vt ad se-

Luc. 9. Vulpes foueas habent, &c.

Phil 3.

C. 4. Tob.

Luc 1. Ora Sanctorum docetium ora Domini.

Ps. 67.

Ps. 9.

De trib. tabern. ven. à Kemp.

In ligno vitæ de paupertate: D. Iustinian.

Cœlum emitur paupertate.

gnum cœlorum veniret diues, possessione sua obtinere non potuit, nunc pauper obtinet, vt perueniat: aliàs auditur, Adorna thalamum tuum Sion, sed humilitate, sed paupertate: aliàs, Nunquid non pretiosiorem ducitis paupertatem vestram thesauris sæculi? Siquidem ipsa est quæ liberat vos à verbo aspero: aliàs Nobilis reuera titulus paupertatis, quam ipse Deus ore commendans prophetico, Ego sum, ait, vir videns paupertatem meam.

Paupertas Christi thalamus.

In vigil Nat. Domini serm. 1 S. Bern. in Ps 90 s. 3.

Nobilis titulus paupertatis.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.



Postquam ostensum est, quinam sint pauperes spiritu dicendi, dictiue, modo videndum est, quare beati proclamētur, quodque sit eorum præmium.

Ex præmio, quod à Christo promissum est, colligitur beatitudo. Nonne meritò beati censentur, quibus cœlestis hæreditas pollicita est? Si beatos homines vulgus appellare solet, qui circumfluunt diuitiis, qui

Pauper. spiritu præmium beatitudo.

Verè beati paup. spir. Falsò beati mundani.

variis honorum titulis afficiuntur, qui genio indulgent, qui luculenta terrarum prædia possident: quanto magis, illos felices prædicabimus, quibus locupletissimum cœli patrimonium est assignatum, qui reges æterni renunciantur, quorum imperium nullis terminis circumscribitur, quos

Gloria & diuitiæ in domo eius.

perennis corona exornat, quos æternę manent diuitię, quorum Deus est beatitas?

Nemo Christianę gentis dubitat, quin beati sint pauperes spiritu, quandoquidem ipsa veritas, quę falli nequit, eos beatos pronuntiauit. Sed à multis ignoratur, (licet sciant idcircò dici beatos, quoniam ipsorum est regnum cœlorum) in qua re potissimùm sita sit ista beatitudo, propter quam felices habentur, & perbeati.

Beatitudo prima.

Beatitudo illa, qua beati sunt in hac vita per gratiam, & post hanc vitam, in cœlo per gloriam, omnium prima Deus est, cuius communicatione quicquid beatum est, secundo loco, quatenùs est principis beatitudinis particeps, beatum iudicatur: vt optimè S. Nyssæ Episcopus testatur, δευτέ-

Or. 1. de beatit.

ρῳ αὖ εἴη μακαριστὸν τὸ κατὰ μετουσίαν τῆς ὄντως μακαριότητος ἐν τῷ ὀνόματι τούτῳ γινόμενον: Secundò id beatum habeatur,

quod per eius communionem & consortium quæ verè beatitas est, hoc nomine appellatur.

Verè ille est beatus, qui Deo fruitur, cum in se omnium bonorum fontem contineat.

Alia est beatitudo, quam secundam prima parit, & est omnium bonorum simul coactorum æterna possessio. Ita D. Greg. modò citatus, μακαριότης τίς ἐστι κατά γε τὸν ἐμὸν λόγον, περίληψις πάντων τῶν κατὰ τὸ ἀγαθὸν νοουμένων, ἧς ἄπεστι, τῶν εἰς ἀγαθὴν ἐπιθυμίαν οὐδέν. Beatitudo, mea opinione, est earum omnium rerum quæ boni nomine intelliguntur, comprehensio, à qua nihil eorum abest, quæ pertinent ad bonorum desiderium atque cupiditatem. Μακαριότης ἐστὶν ἡ ἀκήρατος ἐκείνη ζωὴ, τὸ ἄρρητόν τε καὶ ἀκατανόητον ἀγαθὸν, τὸ ἀνέκφραστον κάλλος, ἡ αὐτόχαρις, καὶ σοφία, καὶ δύναμις, τὸ ἀληθινὸν φῶς, ἡ πηγὴ πάσης ἀγαθότητος, ἡ ὑπερκειμένη τοῦ παντὸς ἐξουσία, τὸ μόνον ἐράσμιον, τὸ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχον, τὸ διηνεκὲς ἀγαλλίαμα, ἡ ἀΐδιος εὐφροσύνη, περὶ ἧς πάντα τις ἂν δύναται λέγων, λέγει τῶν κατ᾽ ἀξίαν οὐδέν. Beatitudo est immortalis illa vita, bonum quod nec explicari nec

Beatitudo 1.

Definitio beatitudinis.

Loc. sup. cit.

Beatitudo ἀκήρατος.

cogitari potest, pulchritudo quæ nequit enunciari, ipsamet gratia, sapientia, potestas, vera lux, fons omnis bonitatis, suprema rerum potentia, sola amabilis, semper eodem modo sese habens, perpetua exultatio, sempiterna lætitia, de qua si quis dicat omnia quæ possit, nihil eorum dicit, quæ rei dignitas requirit.

Propter similitudinem Dei datur beatitudo paup. spir. S. Nyss. 1. or. εἰς τοὺς μακαρισ.

Hæc beatitudo pauperum spiritu est, qui in hoc quòd Dei similes sint, illius beatitudinis consortes fiunt: ἡ δὲ τοῦ μακαρισμοῦ κοινωνία τοῖς ἀνθρώποις διὰ τῆς πρὸς τὸν θεὸν ἐστιν ὁμοιώσεως: Beatitudinis verò communio hominibus per diuinam similitudinem euenit. Ista beatitudo

Lectus umbrosus beatitudo. In Cant. Canticor.

est pauperum spir. lectus vmbrosus, de quo Salomon, προσκλίνη ἡμῶν σύσκιος, vt ait Cantacuzenus, τὴν διὰ τοῦ εὐαγγελίου πρὸς ἡμᾶς γεγενημένην μακαριότητα, propter beatitudinem nobis in Euangelio promissam. Equidem omnes Christi inopes facilè capit, iisque gratissimam creat vmbram, & in eo somnum vident tranquillissimum.

Merces, regnũ cœlorum. In ligno vitæ de carit. cap. 7.

Pauperum spiritu prœmium, est regnum cœlorum, quam vitam beatam intelligimus, quæ, authore D. Iustiniano, omnibus delectationibus plena est, vbi

nullum laborem ſuſtinebimus, vbi eſt ſemper ſumma ſecuritas, ſecura felicitas, felix libertas, & libera beatitudo, &c. O felix & glorioſa ſocietas, ô ſanctum conuiuium, ô deſiderabilis gloria, ô benedicta ciuitas, quæ es Angelorum ſanctorumque omnium congregatione beata, quàm mirificè meritis fulgentibus micas! in te æterna ſalus exuberat, nullus ciuis tuus inde eiicitur, nullus malus illuc admittitur, ô quàm glorioſa dicta ſunt de te! In te pudici Angelorum chori exultant, in te eſt ſocietas omnium Deum videntium, in te fit ſolennitas iugis & dulcis à peregrinationis huius labore redeuntium, in te denique feſtiuitas ſine fine, æternitas ſine labe, & ſerenitas ſine nube.

ἔκφρασις vita beata.

Siquidem eſt pauperis ſpiritu regnum cœlorum, debetur illi quoque regius titulus, rex appelletur neceſſe eſt, haud terræ ſed cœli, induatur quoque cœleſti purpura, regale ſceptrum teneat, regalia gerat inſignia, regiæ paupertatis ſtemmata præ ſe ferat, dominetur.

Paup. ſpir. regnum eſt quia regnat.

Stemmata paupertatis regia.

Nullum maius prœmium à Deo dari poteſt homini quàm quod pauperi ſpiritu liberaliter conceditur. Quid, amabo, maius Deo? quid ipſamet immortali peren-

Nullum eſt maius præmiũ Deo.

níque beatitudine ſublimius, quid melius? Datur pauperi Deus, datur Dei regnum, datur ſummi boni ſempiterna poſſeſſio, μισθὸς πολὺς, vt ait S. Baſilius, καὶ στέφανοι δικαιοσύνης, αἰώνιοι σκηναὶ, ζωὴ ἀτελεύτητος, χαρὰ ἀνεκλάλητος, μονὴ ἀκατάλυτος. Multa merces, coronæ iuſtitiæ, æterna tabernacula, vita quæ fine caret, gaudium quod dici nequit, manſio quæ nunquam ſoluetur.

In aſceticis, περὶ ἀποταγῆς βίου, &c.

Pauperis multa merces.

Quemadmodum apud Ethnicos paupertatis ſpiritus duntaxat vmbra fuit: ita fuit vmbra beatitudinis.

Ciuiles virtutes: aliàs artes vocat.

Ciuilis paupertas.

De Ciuit. Dei c.19 c.5.

Dum illud conſtet inter omnes veraciter pios, neminem ſine vera pietate, id eſt, veri Dei vero cultu veram poſſe habere virtutem, nec eam veram eſſe quomodo gloriæ ſeruit humanæ?

* * *

Vmbra.



Placet ciuiles, cum D. Auguſtino, virtutes gentilium appellare, inter quas locum habebit eorum paupertas & parſimonia, quæ ciuili titulo inſignitæ, nobis erunt frondes & vmbræ, haud flores, haud baccæ, ideóque vſui erunt tanquam vmbraculi fugacis, haud perennis

domicilij. Gentiles ſuam olim oſtentabant inopiam, & in ea neſcio quam inanem conſtituebant beatitatem. Arcades βαλάνους, Argiui ἀπίους, Athenienſes σῦκα, Tirynthij ἀχεράδας, Indi καλάμους, Carmani φοίνικας, Mæotici κέγχρον, Perſæ τέρμινθον καὶ κάρδαμον, ita Ælianus. Æthiopes locuſtas, teſte Plinio: Ægyptij herbas ac paluſtres caules, teſte Diodoro: Babylonij veſpertiliones, teſte Strabone: Nomades lac, teſte Columella: Getuli & Libyes humi pabulum, teſte Saluſtio. Hanc magnam vocant frugalitatem, hanc efferunt penuriam, hanc paupertatem magnopere celebrant: vbi plurimum ſordium reperitur, virtutis nihil. Adſunt alij qui Moſchos, Anchimolos abſtemios commendant, qui *Philinos, qui Curios, amant:

Curius paruo quæ legerat horto
Ipſe focis breuibus ponebat oluſcula.

Hic in ſinu fouet Diogenianas ſordes, ille Cincinnati ſqualorem, hic Ennium canit, ille Ælios, hic Tuberones de quib. Seneca, Tubero paupertatem ſe dignam & Capitolio indicauit, cum fictilibus in publica cœna vſus oſtendit hominem his debere eſſe contentum, quibus dij etiam

Gentilium fucata paupertas.
Glandes.
Pyra.
Ficus.
Pyra ſylueſtria.
Calami, arundines.
Palmæ, palmulæ.
Milium.
Terebinthus, naſturtium.
L.3. v. hiſt. c.30
Pl. l.6. c.30.
Diod. l. 2. biblioth. c.1.
Strab. l.15. geog.
Colum. l.7. c.2
Saluſt. in bell. Iugurth.
Sua diuenditant gentiles.
Hegeſander Delph.
**Philoſtrat.*
Magna nomina, ſed futilia.
Iuuen. ſat. xi.
Liu. 1. Dec. l. 3.
Eutrop. l. 2. c. 3.
Valer l. 2. c. 4.
ἀπα[illegible] Cynica paupertas.
Ep. 3. l. 16. epiſt.

nunc vterentur. Laudat heroas Athenæus, quorum erat tanta paupertas, vt eorum mensis olera apponerentur. Laudat εὐτέλειαν διαφόρων (vt subscribit Scholiastes) nimirum ὀλιγοπότην Pithagoram, inopes Aristidem, Epaminondam, Phocionem, Phormionem, egregios duces. Laudant Fabricios, Scipiones, Attilios, Paulos Æmilios, Socrates, Pelopidas, Craretes, Hippias, Catones, Ophiates, Lamachos, & illis paupertatis insignia liberaliter tribuunt veteris memoriæ scriptores gentilitij. Ausus quoque est Iulianus Apostata profanos istos fucatosque maiori ex parte pauperes, cum Christianæ gentis pugilibus, verisque Christi pauperibus non modo comparare, sed anteponere. Verum egregiè redarguit Græcorum Theologus, & illum redarguendo, condemnat istos omnes laudatores commentitię paupertatis & adulterinę virtutis. Ita ille, ὁρᾷς τοὺς ἀβίους τούτους, καὶ ἀνεστίους, καὶ ἀσάρκους μικροῦ, καὶ ἀναίμονας, καὶ θεῷ κατὰ τοῦτο πλησιάζοντας; Vides illos inopes, nulliusque patrimonij possessores, sine domo, macilentos, exangues, & hoc modo Deo vicinos? ὧν οὐδὲν ἐν κόσμῳ, καὶ πάντα τὰ ὑπὲρ κόσμον, quorum nihil in

Athen. l. 1. deipnos. Et lib. 10.

Haud frugalitas sed sordida parcitas.

**nomen virtutis inane.*

Malus philosophus in paupertatis lyceo: & peior in camino.

στηλιτ. α. D. Naz.

Commentitia paupertas.

Vide pracl. Christi pauper apud eund. ἐκφράσει.

Veri pauperes.

mundo est, & omnia supra mundum, possident. Certè vera fuit vmbra, illa prætexta quorundam ethnicorum paupertas, si cum Christi paupertate suorumque comparetur. Scio D. Augustinum rectè, & more suo, diuinitus eloquutum esse, dum ait: Nam licet à quibusdam tunc veræ & honestæ putantur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac superbæ sunt, & ideò non virtutes, virtutes, sed vitia iudicanda sunt.

Vmbra paupertatis.

De ciuit. Dei l. 19. cap. 25.

Superba virtutes, non amplius virtutes.

Certum est multos, imò ferè omnes Diogenis simillimos, propter nescio quam gloriolam, sordes inopiæ redamasse, qui tantum abest, vt pauperes dicendi sint, vt potius inanis gloriç diuites nominandi, quorum inopia pondus fumi extitit. Huius farinæ pauperes, nihil habent commercij, nihil affinitatis cum Euangelicis pauperibus. Nam vbi vera religio non fuit, nec fuit ea paupertas spiritus, de qua Christus in monte egit. Quod si paupertas germana soror sanctissimç humilitatis apud gentiles locum non habuerit, cur illi beatitudo tribueretur, quod est genuinæ paupertatis prçmium? Non solet ciuitas Dei, Babylonis incolis sua largiri præmia.

Sordes inopiæ.

Ethnicorum pauperes Christi pauperibus non communicant.

Negatur beatitudo tali paupertati.

nunc vterentur. Laudat heroas Athenæus, quorum erat tanta paupertas, vt eorum mensis olera apponerentur. Laudat εὐτέλειαν διαφόρων (vt subscribit Scholiastes) nimirum ὀλιγοπότην Pithagoram, inopes Aristidem, Epaminondam, Phocionem, Phormionem, egregios duces. Laudant Fabricios, Scipiones, Attilios, Paulos Æmilios, Socrates, Pelopidas, Craterès, Hippias, Catones, Ophiates, Lamachos, & illis paupertatis insignia liberaliter tribuunt veteris memoriæ scriptores gentilitij. Ausus quoque est Iulianus Apostata profanos istos fucatosque maiori ex parte pauperes, cum Christianæ gentis pugilibus, verisque Christi pauperibus non modo comparare, sed anteponere. Verum egregiè redarguit Græcorum Theologus, & illum redarguendo, condemnat istos omnes laudatores commentitię paupertatis & adulterinę virtutis. Ita ille, ὁρᾷς τοὺς ἀβίους τούτους, καὶ ἀνεστίους, καὶ ἀσάρκους μικροῦ, καὶ ἀναίμονας, καὶ θεῷ κατὰ τοῦτο πλησιάζοντας; Vides illos inopes, nulliusque patrimonij possessores, sine domo, macilentos, exangues, & hoc modo Deo vicinos? ὧν οὐδὲν ἐν κόσμῳ, καὶ πάντα τὰ ὑπὲρ κόσμον, quorum nihil in

Athen. l. I. deipnos.
Et lib. 10.
Haud frugalitas sed sordida parcitas.
**nomen virtutis inane.*

Malus philosophus in paupertatis lyceo: & peior in camino.

στηλιτ. ά.
D. Naz.

Commentitia paupertas.

Vide præcl. Christi pauper apud eund. ἐκφράσει.
Veri pauperes.

mundo est, & omnia supra mundum, possident. Certè vera fuit vmbra, illa prætexta quorundam ethnicorum paupertas, si cum Christi paupertate suorumque comparetur. Scio D. Augustinum rectè, & more suo, diuinitus eloquutum esse, dum ait: Nam licet à quibusdam tunc veræ & honestæ putantur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac superbæ sunt, & ideò non virtutes, virtutes, sed vitia iudicanda sunt. *Vmbra paupertatis.* *De ciuit. Dei l. 19. cap. 25.* *Superba virtutes, non amplius virtutes.*

Certum est multos, imò ferè omnes Diogenis simillimos, propter nescio quam gloriolam, sordes inopiæ redamasse, qui tantum abest, vt pauperes dicendi sint, vt potius inanis glorię diuites nominandi, quorum inopia pondus fumi extitit. Huius farinæ pauperes, nihil habent commercij, nihil affinitatis cum Euangelicis pauperibus. Nam vbi vera religio non fuit, nec fuit ea paupertas spiritus, de qua Christus in monte egit. Quod si paupertas germana soror sanctissimę humilitatis apud gentiles locum non habuerit, cur illi beatitudo tribueretur, quod est genuinæ paupertatis pręmium? Non solet ciuitas Dei, Babylonis incolis sua largiri præmia. *Sordes inopiæ.* *Ethnicorum pauperes Christi pauperibus non communicant.* *Negatur beatitudo tali paupertati.*

Omnes cœli ciues spiritu pauperes.

Omnes οὐρανοπολῖται spiritu pauperes: at reges opum. Psal. 109.



Onclusio istius classis, quæ prima est numero Beatitudinis, conficit omnes cœli ciues esse spiritu pauperes. Christus, Deus & homo, pauper spiritu in splendoribus sanctorum ἐν λαμπρότησι τῶν ἁγίων triumphat, omnium pauperrimus, omnium locupletissimus, omnium humillimus, omnium supremus: pauper spiritu Beata Mater astat regina à dextris Domini in vestitu deaurato circumdata varietate ἐν ἱματισμῷ διαχρύσῳ περιβεβλημένη πεποικιλμένη: Pauperes spiritu omnes cœlorum intelligentiæ, & mirificè humiles, Ἄρχοντες ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, Christi opibus locupletantur: omnes beatę mentes pauperes spiritu, omnes Sancti, omnesque sanctę Diuini numinis πρόσωπον λιτανεύουσιν οἱ πλούσιοι τοῦ λαοῦ, vultum deprecantur iam facti diuites populi cœlestis, tota domus Domini plena est pauperibus sancti Spiritus quos thesauris locupletat ęternitatis.


*Omnes cœli ciues opibus æternis, *ἀστεΐζονται* Ps. 44.*

Ps. 44.

Aurea

Aurea D. Augustini, in gratiam pauperum spiritu, Conclusio.

De Ciuitate Dei, lib. 5. cap. 18.



Vid ergo magnum est pro illa æterna cœlestique patria, cuncta sæculi huius quamlibet iucunda blandimenta contemnere, si pro hac temporali atque terrena filios Brutus potuit & occidere, quod illa facere neminem cogit? Sed certè difficilius est filios interimere, quàm quod pro ista faciendum est, ea quæ filiis congreganda videbantur, atque seruanda, vel donare pauperibus, vel si existat tentatio, quæ id pro fide atque iustitia fieri compellat, amittere.

Nihil magnũ sit si consideretur quid sit cælestis patria. Aureum est totum istud caput, & sæpius voluendum.

Felices enim vel nos, vel filios nostros, non diuitiæ terrenæ faciunt, aut nobis viuentibus amittendæ, aut nobis mortuis, à quibus nescimus, vel fortè à quibus nolumus, possidendæ: sed Deus felices facit, qui est mentium vera opulentia.

Opes relinquendæ.

Deus vera animorum opulentia.

Rectè monet in titulo istius capitis

gentem Christianam, cum ait: Quam alieni à iactantia debeant esse Christiani, si aliquid fecerint pro dilectione æternæ patriæ, cum tanta Romani gesserint pro humana gloria & ciuitate terrena?


Procul ostentatio à Christi pauperibus.





SECVNDA
CLASSIS CHRISTI Auditorum.

Qui mites nominantur.



ÆC est secunda Classis mansuetiorum Musarum & plurimùm amandæ humanitatis. Idem est Doctor mitium, qui fuit pauperum spiritu. Docet verbo mansuetudinem, quam prius exemplo docuit. Clamat, Discite à me quia mitis sum & humilis corde: proponit se suis discipulis imitandum. Filius hominis, quid sit humanitas, aperit. Monet hominem, *Mansuetioris musarum & humanitatis Lyceum.* *Matth. 11.*

vt sit memor sui nominis, & multo magis suæ naturæ, quæ humana est, vt se gerat in hominum societate humaniter. Videat vt, qui reliquas animantes ratione superat, easdem & humanitate vincat. Neque tantùm eo in gradu sistat, vt se hominem præstet, haud belluam: verùm naturæ humanitati aliquid addat, quo magis excolatur, & perfectior euadat in genere lenissimæ virtutis. Naturæ dona augeat, quæ licet sint præstabilia, possunt tamen fieri præstabiliora. Talem esse lenitatis & clementiæ virtutem, vt possit humanum genus exornare, cumulumque natiuæ humanitati afferre. Multa esse humanæ prolis ornamenta, vnum è potissimis, communi omnium consensu, esse Mansuetudinem. Cuius tanta vis, vt homines tanto sint perfectiores, quo humaniores. Est nescio quid in ipsa benignitate morum, quo viri exornati, cæteris antecellunt. Quod munus, partim est naturæ, partim gratiæ: totumque quantum est, diuinum est. Neque mirum videri debet, si tali tantáque virtute præditi, reliquos ad se alliciant, vt morum suauitate, congressusque affabilitate perfruantur. Tanta est istius mitis na-

Qui superat ratione feras superet & humanitate.

Natura dona sunt augenda gratia.

Magna vis lenitatis.

Lenitatis virtus donum quà natura quà gratia.

Lenitas magnes lapis.

turæ gratia, tantus lepos, tantum decus, tanta suauitas, tam singularis oblectatio, vt in rebus humanis, nihil sit venustius, nihil dulcius, delectabilius nihil. Accedit, quod istud hominum genus virtute mansuetudinis, propius accedat ad naturam angelicam, imò ad naturam diuinam, qua nihil fingi potest aut excogitari clementius. Quod genus commendationis est omninò singulare. Quis igitur diuino quodam amore lenitatem non prosequatur? non in sinu foueat? non amplectatur? Hac societates humanæ coalescunt, consuetudines vigent, habentur commercia, optimi quique cœtus sociantur, hæc alit religiosorum consortia, mater est pietatis, fouet ingenia, mores asperos excolit, turbulentas cupiditates cohibet, mirum in modum alumnos oblectat. Nullum vnquam pœnituit ad Mansuetudinis asylum confugisse, quod omnes experiuntur aduersus huius vitæ casus & impetus tutissimum perfugium. Nemo hactenus doluit, quod se huic tranquillissimo portui commiserit, siquidem vniuersi contra tumultuantes corporum, animorumque tempestates, ad securitatem seligunt.

Lenes & mites propius accedunt ad Deū.

Asylum mansuetudinis.

Portus benignitatis.

Hoc in lyceo lenissimus magister

& omnium mortalium humaniſſimus benignitatis euulgat arcana : diligengenter audiunt diſcipuli, & humanitatis coloribus animos tingunt. Fiunt agnis leniores, poſthac inter medios barbararum gentium lupos mittendi, vt eoſdem immanitate ferociſſimos, in lenes agnos commutent. Fiunt columbæ ſine felle, quæ poſtea ex arca Domini emittentur, vt ramos oliuarum ad hoſtiles nationes deferant, æternæ pacis argumenta. Fiunt lactis amnes, quibus modò geniti infantes gentilium nutrientur, & alluentur. Fiunt theſauri niuis, quibus veluti lanis, terrarum incolæ in Chriſti lenitate veſtientur. Sua Chriſtus humanitate complet Apoſtolos, clementia reficit, benignitate demulcet, ſedat animos, placat motus, extinguit inſolentes flammas, ſuum nomen, inſtar olei ſuauiſſimi, in alumnos effundit, pectora mirabili ſuauitate ſpiritus delinit. Nihil hac in claſſe, quod ſit paulò durius, aſperiuſue auditur, durities morum exulat, aſperitas ſermonis remota eſt, nullus datur locus contentioni, tumultus arcetur, clamor aufertur, quieſcunt omnia, manſuetudinis iſthæc ſunt opera, iſthæc quoque munia, quæ rite obeunt, quicumque Chriſti diſciplinam ſequuntur.

Agni leniſſimi.

Lenes columbæ.

Lactis amnes

Theſauri niuis.

Vis Chriſti manſuetis doctoris.

Hæc in ſchola nihil durum, aſperum nihil.

In hoc felices, quod nacti sint eundem Doctorem lenitatis, quem Angelorum chorus nanciscitur Magistrum virginitatis. Praeclara Academia, vbi Magister ipsamet benignitas, agni discipuli, eruditio, coelestis mansuetudo, exedra oliuae arbor, pulpitum morum suauitas, sermo columbae gemitus, silentium cupiditatis somnus.

Felices discipuli tantum nacti magistrum *Breuis imago praeclara Academia.*

Beati Mites.

Quinam sunt isti Mites?



VLCIS est omnis cognitio, praesertim omni studioso sciendique cupido, quem φιλομαθῆ vocant Attici. Mitium verò cognitio habet nescio quid singulare, quo perfundit hominum mentes, & mirificè reficit: ita vt non modò dulcis habeatur, sed etiam gratissima iudicetur. Nomen ipsum mitis animi summopere afficit, & sensim in pectus leni tractu illabitur, secumque defert florem humanitatis. Quod si prima species mansuetudinis tantam vim habeat, quid ipsa res, quid ipsa virtus efficiet, cogitandum relinquitur.

Omnis est dulcis cognitio. *At dulcior mansuetudinis cognitio.* *Nomen ipsum lenitatis dulce est.*

Audiamus germanos Christianae gentis

Philosophos hac in classe mitium θεολογοῦντας, ipsummet Christum in eorum linguis insidentem, eorumque labra melle lenitatis intingentem non obscurè deprehendemus. Videbimus (vt cum S. Dionysio loquar) ἀγάλματα θεῖα τῆς θεαρχικωτάτης εὐωδίας, diuinas primariæ fragrantiæ, principisque odoris statuas, benignitatis radiis, rosisque clementiæ coronatas.

Diuinæ statuæ primarii odoris Eccles. hierarch. c. 4.

D. Clementem Alexandrinum, prope diuina virum eruditione philosophantem audire cordi est: μακάριοι οἱ πραεῖς· πραεῖς δέ εἰσιν, οἱ τὴν ἄπιστον μάχην τὴν ἐν τῇ ψυχῇ καταπεπαυκότες, θυμοῦ καὶ ἐπιθυμίας, καὶ τῶν τούτοις ὑποβεβλημένων εἰδῶν. πραεῖς δὲ τοὺς κατὰ προαίρεσιν, οὐ κατ᾽ ἀνάγκην ἐπαινεῖ. Mites autem sunt, qui infidam quæ est in anima, pugnam sedauerunt, iræ & cupiditatis, & eorum quæ sub ipsas cadunt. Mites autem laudat eos qui tales sunt sponte & ex animi instituto, non autem eos, qui ex necessitate. In quo veram intueri licet philosophiam, cum eos mites agnoscat, qui θυμικῷ & ἐπιθυμητικῷ imperant, reliquisque motibus, qui ex iis fluunt: qui perantiquas illas lites componunt, quæ statim ab orbe condito, fractis summi Numinis legibus, inter animum & corpus inter-

Lib. 4. strom.

Beati mites.

Quinam mites? ex Clem. Alex.

Pars irascibilis & concupiscibilis (vt loquuntur philosophi.)

cesserunt. Caue putes anime, mites commendari, qui necessitate naturæ lenes sunt (licet non careant laude, cum lenis natura laudabilis sit) sed qui vi virtutis & voluntate, ita sentit hic eximius scriptor. *Mites necessitate natura, & voluntate.*

Habemus S. Augustinum vbique excellentissimum Magistrum & hac in mitium schola, Domini interpretem: *Quinam mites? ex D. Aug. cap. 2. lib 1. de ser Domini in monte.*

Mites autem sunt, qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum. Rixentur ergò immites, & dimicent pro terrenis & temporalibus rebus. * Opus est mitis animi, nunquam verbis contendere, nunquam digladiari oppositis sententiis, nunquam sibi primas in vlla lite partes arrogare, etiam si iure posset, continuò cedere, dare manus, nemini molestiam afferre, deuincire beneficiis vel aduersantes maximè, omnibus prodesse, nulli nocere. Hæ sunt partes sedatæ mentis. D. Laurentium Iustinianum, D. adhærentem Augustino, cum Doctore cõiungo: *Partes mitium* *Quinam mites? ex D. Iust. l. de humilit. cap. 10.*

Mites sunt, qui detractiones, contumelias, damna & opprobria ab hominibus illata æquo perferunt animo, non remurmurantes, neque reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed in bono vincentes malum, Dominum & præcepto- *Descriptio mitium.*

rem suum imitantes, qui sicut ouis ad occisionem ductus est, & tanquam agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum. Submissa loquuntur voce, humanitatis & caritatis verba edunt, ignorant contradicere, renuunt de sibi obiectis excusari, in moribus quoque circumsepti sunt, in incessu maturi, in bonis proximorum creduli, & in obsequiis eorum semper parati, diligentes ex corde ac de humilitatis thesauro, quod gerunt in mente, amabilia atque vtilia promentes, non minus verba quàm opera. * En omnibus suis numeris absoluta mitium hominum descriptio, digna D. Laurentij calamo, digna penicillo. Ab eodem mutuatam mansueti tabulam hoc in loco, tanquam in bona luce, collocabo.

Mitium facies

In ligno vitæ de caritate.c.7.

Sacram mihi videor audire Sirenem, aut (vt verius loquar & grauius) Themistan: * Qui enim mansuetus est, in omnibus motibus suis, nihil facit quod cuiusquam offendat affectum, sed quod suam deceat sanctitatem. Mansuetudo enim est suauitas malo cedens, subesse sciens, superiori non resistens, & bonis consentiens. Pia quærit, honorat sancta, non reprehendit, non resistit, propter quod suum dilectum exhibet possessorem.

Vera & breuis icon mansueti.

Vtina m effet in hominum societatibus eiusmodi mansuetorum magna copia, qui malo cederent, subesse scirent, superiori non resisterent, bonis consentirent, pia quærerent, honorarent sancta: florerent respublicæ, vigerent regna. Vtinam in religiosis cœtibus plures adhuc, quàm sunt, reperirentur, qui in omnibus tùm dictis, tùm factis, nihil prorsus agerent, quod vel leuiter congredientium aspectus & animos offenderet sed quod suam redoleret sanctimoniam: Tùnc mansuetos, quos describit S. Laurent. feliciter sortiti essemus, & diceremus cũ S. Greg. Naz. καλὸν ἡ πραότης, καὶ μαρτυροῦσι Μωυσῆς καὶ Δαβίδ, τοῦτο περὶ τῶν ἄλλων μαρτυρηθέντες, καὶ ὁ τούτων διδάσκαλος οὐκ ἐρίζων, οὐδὲ κραυγάζων, οὐδὲ ἐν ταῖς πλατείαις φωνὴν περιϊέμενος, οὐδὲ ζυγομαχῶν πρὸς τοὺς ἄγοντας: res pulchra est & honesta mansuetudo, & id testantur propter hanc virtutem ante alios celebres Moyses & Dauid, & eorum Magister non contendens, non vociferans, in plateis nullam vocem emittens, nec repugnans actoribus.

Mansuetorum corona frequens desideranda.

Mansuetudo res præclara. περὶ φιλοπτ.

Res mansuetorum Christus, & magister.

In Psal. 33. hom.

D. Basilius, explicando illud Dauidicum (Audiant mansueti & lætentur) per istos mansuetos ait intelligi Christi discipulos,

Mansueti Christi discipuli.

quos Christus in monte mites appellat, illosque spiritu prophetico vatem Regium notasse vult: ἀκουσάτωσαν γὰρ οἱ πολλαῖς ὕστερον γενεαῖς γενήσεσθαι τοῦ Χριστοῦ μαθηταὶ μέλλοντες. τούτους γὰρ ὠνόμασε πραεῖς, οἷς ὁ κύριος διαλέγεται, μάθετε ἀπ' ἐμοῦ ὅτι πρᾶός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. Audiant qui multis postea ætatibus futuri sunt Christi discipuli. Hos vocauit (Dauid) mansuetos, quos Dominus alloquebatur, (dicendo) Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Deinde addit, οἱ κατεσταλμένοι τὰ ἤθη καὶ παντὸς πάθους ἀπηλλαγμένοι, ὡς μηδεμίαν ἔχειν ταραχὴν ἐνοικοῦσαν αὐτῶν ταῖς ψυχαῖς, οὗτοι πρᾶοι προσαγορεύονται. Illi vocantur mansueti qui sunt compositis moribus & ab omni perturbatione liberati, ita vt nullum suis in animis sentiant tumultum. Quàm verè philosophatus est magnus antistes Cæsareæ, ij verè mansueti dicendi sunt, qui mores suos concinnarunt, & quorum vita numerus est, & concinnitas cœlestis: nihilque mirum est, si hoc hominum genus lenissimum, sit omnibus per amabile. Bellè Thomas à Kempis: Humilis & mansuetus amabilem se facit omnibus.

Prophetia de mansuetis.

Concinnis moribus ἐπιεικεῖς.

Bios mansuetorum εὔρυθμος.

Ἀρχέτυπος πραότητος Christus ab omnibus proclamatur, qui satis in se clarè de-

Exemplar lenitatis Christi

monſtrat, quinam ſit meritò lenis & manſuetus proclamandus. Non modò dux leniſſimus dicitur & humanæ prolis, & angelicæ proſapiæ, ſed origo manſuetudinis, & fons primus humanitatis: idcirco exemplar abſolutiſſimum habetur omnis perfectæ lenitatis. Oſtendit quoque Diua Mater, (inter omnes mitis) quid ſit manſuetudo, quinamue mitis appellandus, in illius terſiſſimo ſpeculo vitæ humaniſſimę exprimitur imago germanæ benignitatis. Nec S. Ioſephus integerrimæ ſponſæ ſponſus integerrimus caret veræ manſuetudinis inſignibus. At reliqua conſulamus oracula. Non eſt mediocris voluptas, audire S. Nyſſenum mitium Euangelicorum naturam perſcrutantem & ediſſerentem: inprimis aſſerit, omnem lenitatem non eſſe virtutem, atque adeò non omnes lenes eſſe virtute lenitatis præditos, ſiquidem non rarò lenitas ſumitur pro quieto naturaliter, tardoque animo, at pugnat iſta tarditas, & nimia quies cum vera manſuetudine. Lenitas quæ virtus eſt, non arcet à ſe celeritatem in agendo, acrem diligentiam in operibus admittit, tarditatem refugit, moras neſcit. Quis D. Paulo mitior? nihilominus fuit ὀξὺς ϗ εὐκίνητος ἐν τοῖς ἀγῶσιν ὁ Παῦλος, acer &

B. Virgo mitiſsima.

S. E. hym.

Mitiſsimus S. Ioſeph.

Omnis lenitas non eſt virtus.

λογ. β. εἰς μακαρισμούς.

Lenitas non caret acri vi in agendo.

Lenes D. Paul. & Dauid, & in acres in agendo.

agilis in certaminibus. Quis Dauide lenior, de quo canitur, Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius? attamen πλατύνει διαβήματα τοῖς ἐχθροῖς ἐπιτρέχων, inuadens hostes gradus maturat. Deinde explicat quàm natura, vitio corrupta, sit præceps ad peccandum; & quàm facilis sit illius ad nequitiam lapsus, ideò, cum sit admodum periculosa ista celeritas & propensio ad delictum, egere quadam tarditate, quæ in mãsuetudine reperitur, & est laude digna, quæ coerceatur. ἐπεὶ οὖν χαλεπόν ἐστιν ἡ ἐν τούτοις ὀξύτης, μακάριον ἂν εἴη πάντως τὸ ἐξ ἀντιστρόφου νοούμενον. Quoniã igitur res noxia est atque periculosa in his velocitas est, beatum omninò habendum fuerit, id quod ex aduerso intelligitur. τοῦτο δέ ἐστι πρᾳότης, ἡ πρὸς τὰς τοιαύτας τῆς φύσεως ὁρμὰς βραδειά τε καὶ δυσκίνητος ἕξις. Id autem lenitas est, nimirum aduersus eiusmodi naturæ impetus & appetitus, tardus pariter motuque difficilis habitus. Pergit vlterius, & verè philosophatur, cum dicat non esse existimandum, mansuetos esse ἀπαθεῖς & omnium affectuum expertes, cum neque Christus τὴν ἀπάθειαν νομοθετεῖ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, vacuitatem affectuum humanæ naturæ præscribit: τὸ μέτριόν τε καὶ

Lenitas reuocat lapsum.

Non sunt mites vacui omnib. affectibus

Non præscribitur à Christo ἀπάθεια.

πρᾶον, ὃ τὸ παντάπασιν ἀπαθὲς ἐγκελεύεται: moderatio & lenitas, non orbitas affectuũ imperatur: nam hoc quidem excedit naturam, illud verò virtute perficitur. Demum, quos cæli Magister mites appellauit, his pingit coloribus: μακάριοι τοίνυν οἱ μὴ ὀξύῤῥοποι πρὸς τὰς ἐμπαθεῖς τῆς ψυχῆς κινήσεις, ἀλλὰ καταστελλόμενοι τῷ λόγῳ, ἐφ' ὧν ὁ λογισμὸς, καθάπερ τις χαλινὸς ἀνασπῶν τὰς ὁρμὰς, οὐκ ἐᾷ τὴν ψυχὴν πρὸς ἀταξίαν ἐκφέρεσθαι. Beati igitur illi qui ad turbulentos animi motus non feruntur præcipites, sed ratione sedati sunt, in quibus rationis vis, veluti quoddam frenum impetus inhibens, non finit animum in incompositos perturbationum motus ferri.

Apathia naturam excedit nō verò moderatio.

Veri mites.

Placet S. Ambrosio, lenes & humanos haberi, qui præsto sint cæteris, opem ferendo: ita ille; Inde appellata humanitas, specialis & domestica virtus hominis, quæ cõsortem adiuuet: & alibi, lenes intelligit, qui suos mores temperant, qui viam rectam sequuntur, qui iracundiam cohibent: ita ille. Superest vt mores meos temperem. Quid enim mihi prodest carere sæcularibus, nisi fuero mitis atque mansuetus? Nam qui sequitur viam rectam, sequitur vtique illum, qui ait, Discite à me quia mitis sum,

Mites iuuant alios.

C.3.l.3.offic.

Moderatores morum.

In cap.6. Luc.

&c. Depone igitur quæ improba sunt, &c.

Iræ sedatores. Mitiga affectum tuum, vt non irascaris, aut certè iratus ne peccaueris, iuxta quod scriptum est, Irascimini, & nolite peccare. Præclarum est enim motum temperare consilio, nec minoris virtutis ducitur cohibere iracundiam, indignationemque compescere, quàm omninò non irasci, cum plerumque illud lentius, hoc fortius æstimetur. * Vnius est mansueti præsidere consilio rationis, & ad illius gyrum insolentes perturbationes reducere: eiusmodi mansuetos definit S. Doctor Ambrosius, probatque.

Ad Timoth. 2. hom 6.

Mites minimè dolosi nec contentiosi.

D. Chrysostomus breuiter mitium naturam virtutemque describit his verbis, ἐκείνοις θάῤῥει μόνοις, μὴ τοῖς ἁπλῶς ἐπικαλουμένοις, ἀλλὰ τοῖς ἀνυπούλως, ἀνυποκρίτως, οὐδὲν ἔχουσι δολερὸν, τοῖς μετ' εἰρήνης προσιοῦσι, τοῖς ἀμάχοις, μετ' ἐκείνων ἀναμίγνυσο. Illis confide solis, non simpliciter (Deum) inuocantibus, sed minimè subdolis, minimè simulatis, iis qui nihil fraudis habent, qui cum pàce procedunt, minimè contentiosis te immisceas. ita S. Apostolus carissimum suum Timotheum instituebat; formamque mansueti hominis subiiciebat, de mente sacri Oratoris & planè aurei.

Author

Author operis imperfecti in Matthęum, ita differit in gratiam mansueti: Mansuetus enim neque irritat malum, neque irritatur à malo, neque aduersus eum præualet causa peccati, neque aduersus alterum ex illo nascitur causa peccandi, sed magis contentus est iniuriam pati quàm facere. * Qualis & quantus vir mansuetus, qui neminem lædit, & læsus minimè cogitat de vltione, sed de nouo in lædentem conferendo beneficio? Mens est ista sanè regia, & digna Deo.

Hom. 9. in Matth.

Mansuetus mauult pati iniuriam quàm inferre.

S. Leo, Mitibus atque mansuetis, humilibus ac modestis, & ad omnium iniuriarum tolerantiam præparatis, possidenda terra promittitur. * Decet mansuetos eximia modestia, in iis ingens animi magnitudo requiritur, ad quælibet ardua toleranda.

De gradib. ascens. in beatit. serm. 1.

Mites, humiles & modesti.

B. Anselmus, Mitis est qui propter nullam iniuriam vel damnum commoueri potest. * Est hoc præstabile, nec moueri iniuriis, nec propter damna vllo dolore affici, hoc angelicum est, & diuini prorsus hominis, qui mansuetus dicitur.

In cap. 5 Mat.

Mitis non commouetur perturbationibus.

Eusebius Emissenus (si tamen istius operis author est habendus) quærit, & sibi facit satis: Qui enim sunt mites, nisi pa-

Inuidens Inf. turb.

Mites maximè patientes. tientes, & humiles? * Verba breuia multa efferunt, quæ maximè mitium naturam exponunt: quis ignorat, verè propriam esse mansuetorum virtutem,* inuictam patientiam, sine qua, frustra sibi titulum lenitatis arrogarent? Quem latet, humilitatem esse matrem humanitatis? Ista conuertuntur (Christiane Philosophe) mitis est, ergo patiens, ergo humilis: humilis est, patiens est, ergo mitis.

Inuicti mites.

*Ista conuertuntur.**

In cap 5. Matth.

Theophylactus Bulgarorum præsul in explicanda mitium natura vnum notat, quod verissimũ habetur: Mites autẽ sunt, non qui prorsus non irascuntur, tales enim insipientes sunt & insensati, sed qui iræ vim habent, continent autem, & quando oportet, irascuntur. * Vera isthæc est, & Christiana philosophia, nam qui natura sunt iracundi, non excluduntur ab hac virtute, neque ab hac beatitudine, modò iræ motus coerceant, & nihil contra rationis legem admittant, irascantur quantum satis est, in album mitium transcribentur. Ne igitur lenes natura, sibi tantum tribuant, vt arbitrentur totam suam esse virtutem & beatitudinem, quæ mansuetudo nominatur: communis est omnibus naturis, modò velint leges à Christo datas obseruare diligentissimè.

Mites possunt irasci causa postulante.

Lex mansuetudinis.

Petrus Damianus ait, Mitis est, qui nulli reddit malum pro malo. Læsus veniam petit, & benefacit lædentibus.* Nisi esset à Christo hæc virtus, quî fieri posset, vt adeò luceret in rebus perarduis actitandis? Postquam grauiter ab aliquo alter læsus est, si ipsemet culpa vacuus veniam petat à lædente, quàm heroicum opus, & immortalitati consecrandum. Hæc sunt Christi Domini trophæa, hæc sancto cruore parta, quæ tandiu vigebunt, quandiu Deus erit. Quid hoc est? benefacere lędentibus, hoc est, præstare se Christi discipulum, in humanitate mitissimum.

In festo sanctorum omnium.

Mira mansueti virtus.

In schola humanitatis mitis discipulus.

Guerricus Abbas per mansuetos obedientes intelligit. Prima siquidem virtus inchoantium est renunciatio sæculi, qua pauperes efficimur spiritu: secunda mansuetudo, qua nos obedientiæ subdimus & assuescimus.*. Veri ergo mites sunt mandatorum Dei obsequentissimi, genuini filij sanctæ obedientiæ. Hæc virtus religiosis maximè congruit.

In Matth. 5. 1.

Mansueti obedientes.

Mites filij obedientiæ.

Christianus Druthmarus in nomine mansueti hæret, Mansuetus (inquit) manu assuetus dicitur, hoc est, qui non despiciunt alios, sed omnes vt proximos amant & recipiunt: huius etymologiam non moror,

Mansueti etymologia.

Amor mitium in omnes. at miror istos mansuetos, qui neminem spernunt, quamuis sit infimæ conditionis, omnes diligunt tanquam affinitate coniunctos.

S. 1. in Euang. vid. a. 1. f. In fide simplices. Chromatius Episcop. Aquil. Mites sunt homines mansueti, humiles, & modesti, in fide simplices, & ad omnem iniuriam patientes, qui præceptis Euangelicis instituti, Dominicæ mãsuetudinis imitantur exemplum. * Magni omninò viri mites habendi sunt, quandoquidem Christo mansueto persimiles iudicantur, quo genere magnitudinis nihil maius esse potest, nihil sublimius.

In Luc. 6. Perfecta virtus morum possessio. Non est omittenda glossa ordinaria, Mites sunt, qui malis moribus dominantur, perfecta virtus est morum possessio. Egregia cogitatio, qua constat mansuetos esse perfectos morum possessores, quia dominantur in omnes corporis appetitus, reges sunt cupiditatum, domitores perturbationum, exercent imperium in vniuersos affectus, rationis numeros explent, eamque reginam vbique constituunt. Benè additur ab eadem glossa, perfectam virtutem esse morum possessionem, quam omnes agnoscunt esse mansuetudinem, quæ germana & *Mansuetudo perfecta virtus.* absoluta virtus est, morumque sanctissimo-

rum feliciſſima poſſeſſio, qua qui perfruitur, non modo locuples cenſendus eſt, ſed etiam beatus ſæpius enunciandus.

Characteres mitium.

Ex Epiſtola 8. S. Dionyſ. Areopagitæ.



Ites dicendi ſunt, qui ſunt perſimiles humaniſſimi Moyſis, qui propter ſuam eximiam animi manſuetudinem, in aſpectum Dei venit, vt Hebrçorum tradunt hiſtoriæ: αἱ τῶν Ἑβραίων ἱστορίαι φασὶν, καὶ τὸν ἱερὸν ἐκεῖνον μωσέα διὰ τὴν πολλὴν πραότητα τῆς θεοφανείας ἠξιωμένον. Iidem ſerui Dei vocantur, & diuini numinis ſimillimi: vti hac in epiſtola de Moſe traditur, qui erat valdè manſuetus: καὶ ὑπὲρ τούτου λέγεται θεράπων θεοῦ, propterea ſeruus Dei dicitur, & cæteris prophetis dignior habitus qui Deum videret, καὶ εἰς θεοπτίαν ἁπάντων προφητῶν ἀξιώτερος: Quoad ſimilitudinem, addit, ſciebat oportere eum eſſe, quantum fieri poteſt, bono Deo ſimili-

Mites qui Moſis ſunt ſimiles.

ἐπισ. η̃

Mites ſerui Dei, & eiuſdem ſimiles.

Deus typus mitium. mum, qui eo familiariter vteretur, ᾔδει γὰρ, ὅτι χρὴ τὸν ὁμιλοῦντα θεῷ τἀγαθῷ πρὸς τὸ ὅτι μάλιστα ὁμοιότατον, ὡς ἐφικτὸν, ἀποτετυπῶσθαι.

Similes Dauidis mites. Mansueti sunt appellandi, qui Dauidem lenissimum principem in moribus referunt, idcircò θεοφιλεῖς vocantur Dei amantes, & ἄνδρες κατὰ τὴν καρδίαν θεοῦ, homines secundùm cor Dei. *Viri secundum cor Dei.* Lenes, sunt alij Iobi, ἀκακίας ἐχόμενοι, minimè mali, *Alij Iobi.* in quibus nihil est malitiæ. Sunt alij Abeles ἁπλῶς καὶ αὐτοπόδως incedentes. *Alij Abeles. In ep. 8.* Non cogitant mala, μὴ προσεννοοῦντες τὰ κακὰ, sed θεοειδῶς καὶ τοὺς κακοὺς ἀγαθύνοντες, improbos & perditos, more diuino, bonis afficiunt.

Mites terrarũ Angeli. Mites sunt terræ Angeli, qui lætantur de salute peccatorum, qui molestè ferunt iacturam animarum, ἀχθόμενοι ἐπὶ κακοῖς, εὐφραινόμενοι δὲ τῇ σωτηρίᾳ τῶν εἰς τὰ ἀγαθὰ μεταχαλουμένων. *Ibid. Mites Angeli.* imitantur Mites φιλανθρώπων ἀγγέλων ἀγαθότητας, humanorum Angelorum bonitatem, & humanum agendi modum.

S. Max. Schol. in ep. 8. S. Dion. Imitatio Dei est mãsuetudo. Scholiastes S. Dionysij, verum characterem hominis diuinum numen imitantis esse mansuetudinem, ὅτι ἐξαίρετον καὶ προῦχον εἰς μίμησιν θεοῦ ἡ πραότης, quia

ſingulare quiddam & excellens ad imitationem Dei eſt manſuetudo: hinc ſequitur, quòd homines manſueti ſint imitatores Dei. Et idcircò non oportet mitem, teſte Pachymera, οὔτε προεπινοεῖν, οὔτε προποιεῖν τὰ κακὰ, ἀλλὰ μηδὲ μεταπίπτειν ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ εἰς κακίαν, διὰ τὴν τῶν ἑτέρων κακίαν, ἀλλὰ μᾶλλον πλεονάζειν καὶ τότε τὴν ἀγαθότητα, ὡς ἂν ἐκείνους ἐκκαλοίη πρὸς τὸν ὅμοιον ζῆλον. *In paraph. in ep S Dionyſ.* *Manſueti ſpecies formaque.* Neque prius cogitare, neque facere malum; ſed neque à bonitate incidere in malitiam, propter aliorum improbitatem, imò magis augenda eſt bonitas, vt & alij ad ſimilem æmulationem prouocentur. Sunt hi germani mitium characteres, characteres à Chriſto petiti, omnium mortalium benigniſſimi. *Veri characteres mitium.* Cuius manſuetudinis radios in ſumma quiete, collegit S. Dionyſius, cum dicat τοῦ ὄντως ἀγαθοῦ καὶ ὑπεραγάθου χριστοῦ τὰς ἀγαθοποιοὺς ἀκτῖνας ἐν ἡσυχίᾳ παραδεχόμενοι: Boni omninò & peroptimi Chriſti beneficos, bonorúmque effectores radios in tranquillo otio excipientes. Characteres humaniſſimi, clementiſſimique Domini Ieſu, fuerunt manſuetudinis radij, quibus ſponſa Chriſti Eccleſia *Characteres Chriſti mitis Domini, radij mãſuetudinis.*

collustrata scitur benignissima, quibus illuminati Apostoli laudantur mitissimi, quibus decoratus sanctissimorum Patrum consessus effertur lenissimus, quibus (vno verbo) filij Dei, electique ad omnem gentium, vel barbararum admirationem, prædicantur amabilissimi.

Christus χρηστὸς ingratis.

Quibus characteribus Christus, Agnus Dei notatur, iisdem exprimitur totus mansuetorum cœtus, at Christus χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους, benignus est omnibus ingratis, benigni quoque sunt mansueti suis infensissimis hostibus. En verus character mitium: Multa pati mala, bona rependere.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

Quænam est ista terra?

Terra felicissima.

Amœna, feracisque terræ breuis descriptio.



QVæcunque sit ista terra, est omnium terrarum feracissima, omnium amœnissima, omnium felicissima. Vestita est perenni viriditate, collucet æternis floribus, fœta est frugibus immortalitatis, pellucidis liquoribus nectaris irrigatur, spirat suauissimos odores, è suo sinu fundit omnium bonorum copiam, & incredibilem vbertatem. Hoc in solo cuncta prosunt, nihil nocet, cuncta recreant, nihil mœrore afficit, vbique amœnitas, vbique fertilitas. Cedant campi Elysij, fortunatæ insulæ, hortus Alcinoi, pomarium Hesperidum, cedat Argos vber terræ, οὖθαρ ἀρούρης, cedat terrestris paradisus,

μακάρων νῆσοι λειμῶνες ἐναυγεῖς.

D. Chrys. de iudic.

Hom. il.

Ver vbi continuum est, interpellata nec vllis

Frigoribus pallescit humus, sed flore perenni

Hortus eden. Sidon. in paneg. anthemij.

Picta peregrinos ignorant arua rigores.
Halant rura rosis, indescriptosque per agros
Fragrat odor.

Virg. 6. Æneid.

Cedant, & amœna vireta Fortunatorum nemorum.

Hæc verba magni Cæsareæ Antistis huic terræ, qua de agitur, magis conueniunt, quàm horto Eden: ὅπου οὐκ ἀνέμων βία, οὐχ ὡρῶν ἀμετρία, οὐ χάλαζα, οὐ πρηστῆρες, οὐ λαίλαπες, οὐ σκηπτοὶ, οὐ χειμερινὴ πῆξις, οὐχ ὑγρότης ἠρὸς, οὐ θερινὴ πύρωσις, οὐ φθινοπωρινὴ ξηρότης, ἀλλ᾽ εὔκρατος καὶ εἰρηνικὴ συμφωνία τῶν ὡρῶν πρὸς ἀλλήλας, ἑκάστης αὐτῶν ἰδίῳ κάλλει κεκοσμημένης, καὶ μὴ ἐπιβουλευομένης παρὰ τῆς γείτονος. Vbi non est vis ventorum, nullæ tempestates immoderatæ, nec grando, nec turbines, nec procellæ, nec fulmina, nec hyberna glacies, nec veris humiditas, nec ardor æstiuus, nec autumni siccitas, sed tempestatum anni inter se temperatus & tranquillus consensus, vnaquaque propria sua pulchritudine exornata, & à vicina minimè offensa.

εἰς τὸν παράδ. Basil.
Quanta huius terræ felicitas.

* Reuera hæc terra est γῆ πίων, μαλακὴ, ὄντως ῥέουσα γάλα καὶ μέλι, terra pinguis, mollis, prorsus fluens lacte melleque.

Basil. in parad. serm.
Terra fluens lacte & melle.

Nemo facilè hanc terram deſcripſerit, ſi ſolus illius deſcriptionem aggrediatur: ideò & penicillis, & coloribus ſanctorum Patrum vtendum eſt in ea depingenda.

S. Hieronymus negat eſſe hoc infimum elementum, cum dicat intelligendam eſſe, non terram Iudæ, nec terram iſtius mundi: non terram maledictam, ſpinas & tribulos afferentem, quam crudeliſſimus quiſque, & bellator magis poſſidet: Sed terram, quam pſalmiſta deſiderat dicens, Credo videre bona Domini in terra viuentium. * Terra viuentium, eſt terra beatorum, ipſummet cœleſte domicilium. *In Math. c. 5.* *Non terra maledicta:* *Sed terra viuentium.*

S. Hilarius per hanc terram, Chriſtiani corpus intelligit, quod in hoc vitæ decurſu, venerabili Sacramento nutritum fuit, & poſtea in ſempiterno æuo glorioſum eſt futurum, & ita conforme factum gloriæ corporis Chriſti erit beata terra. Audiatur, Mitibus terræ hæreditatem pollicetur, id eſt, eius corporis, quod ipſe Dominus aſſumpſit, habitaculum. Et quia per manſuetudinem mentis noſtræ habitauerit Chriſtus in nobis, nos quoque gloria clarificati eius corporis veſtiemur. Hîc reuera B. Hilarius per hanc terræ hæreditatem clarè etiam intelligit Chriſti corpus, quod *In c. 5. Math.* *Corpus glorioſum beata terra.* *Terra ſancta Chriſti corpus.**

possidet sancta Mater Ecclesia, quod sacerdotes quotidie, celebrando sacrum, cedit in hæreditatem.

D. serm. Domini in monte c. 1.
Psal. 141.

S. Augustinus ait: Illam credo terram, de qua in psalmo dicitur, Spes mea es tu, portio mea in terra viuentium. Significat enim quandam soliditatem & stabilitatem hæreditatis perpetuæ, vbi anima per bonum affectum, tanquam loco suo requiescit, sicut corpus in terra, & inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra, ipsa est requies, & vita sanctorum. Idem ait, terram esse, de qua pelli non possunt mansueti. Rursus, Mitibus hæreditas data est tanquam testamentum patris cum pietate quærentibus.

Terra hæc locus animæ quietus.
Hæc terra, requies & vita Sanctorum.
Cap. 2. eiusd. ser.
Terra hæc testamentum Domini.
Cap. 4. eiusd. serm.
In Matth.
Terra intelligibilis.

D. Chrysostomus: Dic quæso, quam terram? terram quidam intelligibilem dicunt, verum istud omninò falsum est, nec in scripturis vspiam reperimus intelligibilem terram. Quidnam hoc ergo est quod dicitur? sensibile hîc præmium statui, sicut & prius, &c. Hæc verò dicit, non tantùm ad præsens tempus sua promissa perducens, sed cum futuris etiam ista promittens.

Terra promittitur cælique hæreditas ex mente D. Chrys.

Orat. 2. de beatit.

D. Gregorius Nyssenus hanc terram, quam cum regio vate asserit esse γῆν ζώντων terram viuentium, nobis ab adiunctis

describit, cum dicat eam esse, ἧς οὐκ ἐπέβη θάνατος, ad quam mors non ascendit, ἐν ᾗ ὁδὸς ἁμαρτωλῶν οὐκ ἐτρίβη, in qua non est trita via peccatorum, ἡ κακίας ἴχνος ἐφ' ἑαυτῆς οὐκ ἐδέξατο, quæ improbitatis vestigium in se non excepit, ἣν οὐκ ἀνέτεμεν τῷ ἀρότρῳ τῆς πονηρίας ὁ τὰ ζιζάνια σπείρων, quam is, qui serit zizania, non pestrinxit aratro prauitatis, ἡ τριβόλων καὶ ἀκανθῶν ἄγονος, quæ tribulos & spinas non producit, ἐν ᾗ τὸ ὕδωρ τῆς ἀναπαύσεως, καὶ ὁ τῆς χλόης τόπος, καὶ ἡ τετραχῆ μεριζομένη πηγή, καὶ ἡ παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων γεωργουμένη ἄμπελος, καὶ ὅσα ἄλλα δι' αἰνιγμάτων παρὰ τῆς θεοπνεύστου διδασκαλίας ἀκούομεν: In qua quietis aqua, & locus pascuæ, & fons qui in quatuor riuos deducitur, & vitis quæ à summo Deo colitur, & quæcunque alia quæ per ænigmata à doctrina diuinitus afflata audimus. Sublimis est illa terra quæ supra cœlos videtur, in qua ciuitas Regis sita est, de qua magnifica narrantur & gloriosa prædicantur: ὑψηλὴ γῆ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν θεωρουμένη, ἐφ' ἧς ἡ πόλις τοῦ βασιλέως συνῴκισται.* Mens D. Nysseni est, hanc terram nihil aliud significare, quàm (vt loquitur) οὐρανίας γῆς κληρονομίαν, cœ-

Amœna felicis terræ descriptio.

Sublimis terra supra cœlos.

εἰς μακαρ. λογ. β.

Terra cælestis.

lestis terræ hæreditatem, terram benedictionis γῆν εὐλογίας, γῆν ζώντων terram viuorum. Verum est, (vt ait) repositam esse iis, qui cum virtute vitam transegerint, terram quæ supra cœlum est: εὑρήσομεν ἐκεῖ τὴν ὑπερουράνιον γῆν, τὴν εἰς κληρονομίαν τοῖς κατ᾽ ἀρετὴν βεβιωκόσιν ἀποκειμένην.

In 5. Matth.
Futura possessio terræ felicis.

Chromatius, Huius ergo modi mites Dominus beatos ostendit, quibus non in præsenti vita, sed in futura possessionem terræ illius felicis repromisit, de qua dictum legimus in Psalmo, Mansueti autem possidebunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Et iterum, Qui expectant Dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram. de qua & per Salomonem Spiritus S. testatur dicens, Quoniam recti habitabunt in terra, & sancti habitabunt in ea. χρηστοὶ ἔσονται οἰκήτορες γῆς, ait Parœmiastes, Benigni erunt incolæ terræ, videlicet perbeatæ.

Prouerb 2.

De gradib. ascens. in beatit. § 1.
Terra hæc non est vilis hæreditas.
Est coniuncta cum cælesti habitatione.
Terra caro sanctorum.

S. Leo de hac terra loquens, dicit: Nec parua est æstimanda hęc aut vilis hęreditas, tanquam à cœlesti habitatione discreta sit, cum regnum cœlorum alij non intelligantur intrare. Terra ergo promissa mitibus, & in possessionem danda mansuetis, caro sanctorum est, quę ob humi-

litatis meritum felici resurrectione mutabitur, & immortalitatis gloria vestietur, in nullo iam spiritui futura contraria, & cum voluntate animi, perfectę vnitatis habitura consensum. Tunc enim exterior homo, interioris hominis erit quieta & intemerata possessio. Tunc mens videndo Deo intenta, nullis corporeę infirmitatis impedietur obstaculis, nec iam dici necesse erit, Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem: quoniam habitatori suo non reluctabitur terra, nec immoderatum aliquid contra imperium sui rectoris audebit. Possidebunt enim illam mites pace perpetua, & nihil vnquam de eorum iure minuetur, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, vt periculum vertatur in pręmium, & quod fuit oneri, sit honori. Egregius de hac terra corporis D. Leonis discursus, clamat Christianus Philosophus.

Bona terra.

Terra beata gloriosum corpus 4 dotib. exornatum.

S. Bernardus, per terrę possessionem, corporis adhuc corruptionis haud expertis hęreditatem intelligit, ita ille: Hanc ego terram corpus nostrum intelligo: quod si possidere vult anima, si regnare desiderat

In festo sanct. omnium ser. ...

Terra, corpus mortale.

lestis terræ hæreditatem, terram benedi-ctionis γῆν εὐλογίας, γῆν ζώντων terram viuorum. Verum est, (vt ait) repositam esse iis, qui cum virtute vitam transegerint, terram quæ supra cœlum est: εὑρήσομεν ἐκεῖ τὴν ὑπερουράνιον γῆν, τὴν εἰς κληρονομίαν τοῖς κατ' ἀρετὴν βεβιωκόσιν ἀποκειμένην.

In 5. Matth.

Futura poßessio terræ felicis.

Chromatius, Huius ergo modi mites Dominus beatos ostendit, quibus non in præsenti vita, sed in futura possessionem terræ illius felicis repromisit, de qua dictum legimus in Psalmo, Mansueti autem possidebunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Et iterum, Qui expectant Dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram. de qua & per Salomonem Spiritus S. testatur dicens, Quoniam recti habitabunt in terra, & sancti habitabunt in ea. χρηστοὶ ἔσονται οἰκήτορες γῆς, ait Parœmiastes, Benigni erunt incolæ terræ, videlicet perbeatæ.

Prouerb 2.

De gradib. ascens. in beatit. § 1.

Terra hæc non est vilis hæreditas.

Est coniuncta cum cœlesti habitatione.

Terra caro sanctorum.

S. Leo de hac terra loquens, dicit: Nec parua est æstimanda hęc aut vilis hęreditas, tanquam à cœlesti habitatione discreta sit, cum regnum cœlorum alij non intelligantur intrare. Terra ergo promissa mitibus, & in possessionem danda mansuetis, caro sanctorum est, quę ob humi-

litatis meritum felici reſurrectione mutabitur, & immortalitatis gloria veſtietur, in nullo iam ſpiritui futura contraria, & cum *Bona terra.* voluntate animi, perfectę vnitatis habitura conſenſum. Tunc enim exterior homo, interioris hominis erit quieta & intemerata poſſeſſio. Tunc mens videndo Deo intenta, nullis corporeę infirmitatis impedietur obſtaculis, nec iam dici neceſſe erit, Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem: quoniam habitatori ſuo non reluctabitur terra, nec immoderatum aliquid contra imperium ſui rectoris audebit. *Terra beata glorioſum corpus 4 dotib. exornatum.* Poſſidebunt enim illam mites pace perpetua, & nihil vnquam de eorum iure minuetur, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, vt periculum vertatur in pręmium, & quod fuit oneri, ſit honori. Egregius de hac terra corporis D. Leonis diſcurſus, clamat Chriſtianus Philoſophus.

S. Bernardus, per terrę poſſeſſionem, *In feſto ſanct. omnium ſer m.* corporis adhuc corruptionis haud expertis hęreditatem intelligit, ita ille: Hanc ego *Terra, corpus mortale.* terram corpus noſtrum intelligo: quod ſi poſſidere vult anima, ſi regnare deſiderat

super membra sua, necesse est vt sit ipsa mitis, & superiori suo subiecta; quoniam tale inueniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori.

Lib. de humilit. c 10. *Cælestis terra.* D. Laurentius Iustinianus, perbenè interpretatur, quę sit huius terrę natura.* Istis quidem peracto certamine terrę possidenda pollicetur hęreditas; non huius quę spinas & tribulos germinat; & quæ reptilibus ac iumentis, iustis & peccatoribus est communis, sed illius, quam propheta videre cupiebat, cum diceret; credo videre bona Domini in terra viuentium, in qua videlicet, nulla erit rixa, nulla aduersitas, nullusque hostis contra quem pugnare oporteat, sicut in hac, in qua degimus, confligimus, & ploramus.

In Euang. videns Iesus turbas. *Terra, anima.* Incertus author sub nomine Eusebij Episc. Emisseni (siue de facto sit ipsissimus) nil repugnat: hanc terram capit pro anima: Qui igitur impatiens est, nec animam suam, nec terram suam possidere potest. Quomodo animam suam possidet, qui animi sui furorem & iram cohibere non valet? *Terra, corpus.* Quomodo autem terram suam possidet, qui neque oculos ab illicito vsu, neque aures ab illicito auditu, neque nares ab illicito odoratu, neque os ab illicito gustu,

neque

neque manus ab illicito tactu compescere valet ?* Addit, Possumus tamen per hanc terram, terram viuentium intelligere.

Terra viuentium.

Theophylactus, Aliqui spiritualem terram dicunt, cœlum videlicet: verùm tu & hanc terram intellige, quoniam enim putantur mites, despecti, & inopes, dicit, quod hi magis omnia habeant.

In c. 5. Matth. *Spiritalis terra.* *Terra nostra.*

Euthymius Zigabonus in D. Chrysostomi & Theophylacti it sententiam: Quoniam olim ab hominibus magno studio affectabatur terræ possessio, hanc etiam pro virtutis præmio ponit.

In id Euang. expos. *Terra possessio virtutis præmium.*

Haymonem Halberstatensem Episcopum audire iuuat, qui ait: Beatitudo enim cœlestis terra dicitur, non quòd ibi terra sit, sed propter soliditatem. Terra etenim præ cunctis elementis solidius elementum est, ita etiam cœlestis beatitudo omnibus possidentibus solida & perpetua permanebit. Vel Mites, id est, mansueti, qui aduersa æquanimiter tolerant, possidebunt terram, hoc est, peracto die iudicij recipient corpora sua incorrupta, vt sicut Domino corpore & anima seruierunt, ita etiam post hanc vitam & anima & corpore beatificentur.

In c. 5. Matth. hom. *Beatitudo cœlestis terra.* *Terra, corpus incorruptum.*

Mites etiam qui seipsos possederunt,

In festo sanct. omnium.

hæreditatem patris in futuro possidebunt. Plus autem est possidere terram quàm habere regnum cœlorum, multa enim habemus quæ amittimus. ita Catena aurea.

erra est hæreditas æternæ patris.

Alterum exponentem legi, quasi cœlum, in quo habitaturi sunt sancti, dicatur terra viuorum, quæ quantum ad nostram regionem inferiorem cœlum est, quantum autem ad illud superius cœlum, terra dicitur. Ita imperfectus author in Matthæum.

Quomodo cœlum, quomodo terra.

In c.5. Matth.

Petrus Damianus quærit, quænam terra est in illa cœlorum summitate reposita, quam non præterfluat & irriget fluuius gloriosus? Regnum cœlorum terra viuentium est, de qua dicit sanctus, Portio mea Domine in terra viuentium. &, Placebo Domino in regione viuorum.

A fluuio glorioso hæc terra irrigatur.

In annunciat. B. Mar. serm.

Viuorum regio.

Rectè idem alibi dicit: Pietas autem mites facit, dum nos dulciori spiritu superfusos ad mansuetudinis thalamum introducit. Equidem in terra cœlesti regius mansuetudinis reperitur thalamus, ad quem omnes mansueti introducuntur, qui thalamus longè est felicior iis, de quibus vates,

In festo sanct. omnium.

Regius mansuetudinis thalamus.

Pars secreta domus ebore & testitudine cultos

Ouid. 2. Metam.

Tres habuit thalamos, quorum tu Pandrose dextrum,
Aglauros læuum, medium possederat Herse.
Stabat præterea luco dilectior omni
Laurus, virgineos olim quæ fronde pudica
Vmbrabat thalamos.

Claud. 3. de rapt.

Claudat hanc terram D. Rupertus Abbas: Quid aliud est illa ciuitas, nisi regnum cœlorum? Quod mites verè beati sint, & quod ipsi possideant terram, Moyses pro exẽplo vel testimonio est, de quo veridica dicit scriptura: Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra: simulque Iosue & Caleph, qui tanquam mites non detraxerunt terræ quam lustrauerant per quadraginta dies, sicut detraxerunt immites alij, qui exasperauerunt Dominum, & idcirco non possederunt eam, sed pleni alio spiritu laudauerunt, & idcirco possederunt eam. Non quidem Moyses possedit terram, ad quam ingrediebatur Israel possidendam, terram trans Iordanem, terram Chanaan, sed possedit & possidet terram viuentium, quam solam in spiritu Psalmista suspirans, Credo inquit, videre bona Domini in terra viuentium.

De gloria & honor. fil. hom. l. 4.

Terra possessionem testatur Moses. Num. 2.

Terra viuentium Mosis, & mitium possessio.

Præmium Mitium cæli Imperium.



Vàm felices habentur mites, quorum hæreditas est cœleste imperium! Singulare quidem præmium, sed Christi mansuetis dignissimum. Ita placet mansueto regi, è terrestri Ierusalem ad cœlestem, mansuetum populum transmittere. Noua est colonia, quæ propter excellentis mansuetudinis officia, regios cœli fines promerita est. Nec sua mercede benignus labor caret, habet sua præmia, quæ tanta sunt, quanta est cœlestis imperij possessio. Quis verò illud imperium mente finget, aut oratione prosequetur? Nemo mortalium, ea cum dignitate, qua par est. Hoc scitur præmium mitium esse cœli regnum: at quale sit, & quantum, nescitur. Est beatorum mitium, aut Angelorum eas partes tueri. Quàm melius iam scriberet D. Augustinus de regno cœli, mansuetorum regno, (licet tam multa, & tàm egregia de eo scripserit) postquam in diuinum illum beatarum

Regnum cœlorum merces mitium.

Noua colonia à terrena Ierusalem ad cœlestem deducitur.

Ingens præmium.

ıentium ordinem eſt aſcriptus! Videa-
ıus tamen, quo ſtylo, quaue arte, cœle-
:e regnum deſcribat, vt more humano,
quidem nondum angelico, aliquid de
rœmio mitium intelligamus. Notat D. Cap 23. l 20.
ıuguſt. de ciuitate Dei, regnum Sancto- Regnum ſanctorum.
ım, (quod etiam eſt manſuetorum impe- Daniel. 7.
um) explicatque Danielem ab eo illud
ſſumendo (quod eſt prœmium mitium;)
'idebam, & cornu illud faciebat bellum
ım ſanctis (terræ videlicet manſuetis) &
ræualebat ad ipſos, donec venit vetuſtus
ierum, & regnum dedit ſanctis Altiſſimi, Regnum altiſſimi.
ıimirum mitibus) & tempus peruenit, &
:gnum obtinuerunt ſancti. Iſtud regnum
atur manſuetis, magnum ſanè præmium,
ım dicat propheta, καὶ ἡ βασιλεία αὐτοῦ Dan. 7.
ι διαφθαρήσεται, & iſtius regni non
:it finis. De quo ita S. Auguſt. Nam quis L 22. c. vlt. de
ius noſter eſt finis, niſi peruenire ad re- ciu Dei.
num, cuius nullus eſt finis? Et paulò ante,
a de iſto regno mitium, & omniũ ſancto-
ım, Ibi vacabimus, & videbimus. Vide-
mus & amabimus, amabimus & laudabi-
ıus. Ecce quod erit in fine ſine fine.

Hoc regnum cœli mites, ſua manſuetu- Regnum cælorum manſuetudine emitur.
ıne ſibi comparant, & continuis ſuis ora-
onibus, vitæque probitate rapiunt: de his

D. Clem. Alexandrinus, οἱ γὰρ ἁρπάζοντες τὴν βασιλείαν βιασταί, οὐ τοῖς ἐριστικοῖς λόγοις, ἐνδελεχείᾳ δὲ ὀρθοῦ βίου: qui enim regnum rapiunt, sunt violenti, non contentiosis verbis, sed rectæ vitæ assiduitate. Reuera quamuis nihil sit mansuetis lenius & mollius, nihilominus in rebus diuinis, palæstraque virtutum, vbi agitur de regno Dei, nihil est acrius, nihil vehementius.

In hoc violenti mites.

Istud imperium æternum est, æterna quoque mansuetudinis gloria: est florentissimum, floret quoque mansuetudinis rosa sine spinarum aculeis: est amplissimum, ampla quoque lenitatis dominatio: est omnium celeberrimum, celebris quoque vis clementiæ: stat firmum, & optimis legibus stabilitum, stat quoque robur humanitatis æternum: nescit occasum, nec mansuetudo nec imperium, vtrumque perenne, tàm virtus, quàm regnum ad omnem æternitatis memoriam vigebit.

Æterna mansuetudini æternum respondet præmium.

Cœlestis terræ possessio luculentissima hæreditas.



Vid terris hæres mortalis? quæ nihil aliud è suis fundunt gremiis, quàm spinas & vepres, quibus cruentantur manus: cum aliunde Christianę gentis, mansueti populi caput, te ad terrę cœlestis flores & fruges inuitet benignissimè. Quid pro terrarum angulo tantopere decertas, cum tibi liberum sit immensitatem temporum cœlestium possidere? Quid tribis exercitus? quid fers signa? quid arma moues? quid acriter dimicas? quid tantum cruoris fundis? vt agello, ne dicam, orbis puncto, potiaris. Cum possis sine copiis, sine signis, sine armis, sine pugna, sine sanguine, totum terrarum orbem tuę ditionis facere, modò agnus sis, modò mansueti Domini feras insignia. Quid tibi cum ira, quid cum furore, vt latiori fundo adhærescas, tanquam saxo polypus? cum clauis cœlorum aureis, & trabalibus, mens

Ad cœlestis terræ possessionem adhortatio.

Quot bella pro terra puncto mouentur.

cœlesti figenda esset hæreditati. Clam te non est, non posse tecum, ex hac terra, in aliam longè feliciorem & vberiorem, ne quidem vnam glebam deferre. Quid ergo tam abiecto vilique elemento, animum tam nobilem, tam excelsum addicis? quid argillam quæris deterrime figule? quid lutum amas? quid in cœno versaris? Mentem erige, cœlum intuere, vides stellas, cælorum oculos: suo benigno aspectu tibi innuunt, vt inculto terræ solo derelicto, tuum ad cœlestem terram studium transferas: tacitè loquuntur hi cœli flores, & Christi terræ studiosis, mansuetisque hominibus è suis amœnissimis hortis perennes coronas pollicentur. Vsquequò placebit terræ corruptio? Vsquequò labor inanis erit? Vsquequò dumeta cordi erunt? heu quanta fit iactura cœlestis hæreditatis, dum fit iactura lenitatis! Dum terra hominum quæritur, terra Dei amittitur: dum argilla terræ amatur, aurum cœli deperditur. Quàm beata gens est mansuetorum quibus terra promissa est cœlorum! Hi sunt qui luculentissimam omnium possessionem sua sibi mansuetudine comparant, dum toti hærent Deo, & cœlo. Patiuntur omnia terrarum incommoda, vt cœlestis terræ fru-

Nihil ex hac terra in cœlestem defertur.

Studium ad cœlum.

Labor inanis.

gibus, suo tempore perfruantur. Verè terræ mansueti, qui non dimicant ad asserendam sibi terræ hæreditatem, quæ infinitis mutationibus subiacet, sed summo viuunt in otio, tranquillè & quietè, locupletissimam æterni patris expectando possessionem, quæ nullis iactatur contentionum procellis, nullis fortunę casibus agitatur. Ea mansueti, terræque contemptores, suo iure potiuntur.

Certa & stabilis cœlestis terræ possessio.





TERTIA CLASSIS Lugentium.



Classis luctus.

HANC tertiam classem Lugentium ingrediamur, cum satius sit scholam luctus frequentare, quàm domum conuiuij. Placet ista classis atratorum, placet magister luctus, placet ars lacrymarum, placet mœroris exedra, sanctus horror arridet, religiosus squalor non displicet, fletus lectio naturæ conuenit, non abhorret à præsenti huius vitæ statu, comes est virtutis, gratiam consequitur. In omnium vultibus alumnorum

Fletus natura humana gemma.

edet tristitia, quam cœli Doctor prius in uo expressit, quàm in discipulorum. Ista ristitia non est terræ filia, sed cœli; non bjectæ mentis, sed erectæ; non homini ocet, sed multum prodest; non dedecet Christianum, sed addecet; Deo grata est, dcirco eam docet, eam commendat, eam nirificè probat. Qui sæpius fleuit homo-Deus, & qui docuit oculis, vim & πρέπον acrymarum, iam ore docet, earundem eatitatem. Luctum celebrat, laudat lacrymas: illas tanquam gemmas excipiunt discipuli, & velut magni pretij inaures uis auribus illigant. Felix Academia, quæ ore cœlestium lacrymarum tingitur, ex quibus prægrandes oriuntur margaritæ, uæ diademata sanctitatis cohonestant. Qui in ortu vitæ more cæterorum infanium, huiusce vitæ calamitatem suis tenerimis lacrymis testatus est, qui sinum matris iisdem repetitis decorauit, qui persæpe ngemuit, qui Lazari sepulchrum oculoum gemmis cohonestauit, qui Ierosolymis illacrymatus est, qui toties humanæ entis vitia, se conscio duntaxat, defleuit, lle ipse docet suos Apostolos, quid valeant acrymæ, quidue consequantur felicissimè. Hæc doctrina luctus, ipsaque disciplina la-

Tristitia sancta.

Christus fleuit.

Bonæ lacrymæ.

*Gemmæ & inaures.**

Crebræ Christi lacrymæ.

Disciplina luctus aliis facilior. crymarum cæteris artibus facilius, & citius addiſcitur: quòd homo propenſius ſit ad ſuas calamitates deplorandas, quodque natura ſua commiſeratione alienæ miſeriæ tangatur. Quanta ſit bonitas magiſtri hinc agnoſcitur, quòd velit, & doceat, re tam *Labilis ex se lacryma.* facili & labili, qualis eſt lacryma, regnum cœlorum emi. Cúmque aliunde videat tantam vim lacrymarum ab hominibus in rebus inanibus abſumi, perutilem earum vſum ſummo cum pietatis ſenſu edocet. *Miseri ridentes, beati lugẽtes.* Ita quoque ab eo errore humanum genus reuocat, quod exiſtimet eos tantummodo eſſe perbeatos, qui gaudio triumphant, qui continuos in riſus, & cachinnos ſoluuntur, qui diurnis, nocturniſque in comeſſationibus verſantur. Accedit, quod decoram laudando mœſtitiam, egregiè mores hominum concinnet, & ſingularem animis modeſtiam, maturámque grauitatem *Tristis anima moderatior.* conciliet. Conſtat pœnitentem animam, ſubtriſtemque de peccatis, longè eſſe modeſtiorem, grauioremque: contrà nimia geſtientem lætitia, parum moderatam, ſolutioremque. Licet cœli Doctor poſcat lacrymas; hilarem tamen earum datorem eſſe cupit. In quo ſatis intelligitur non quamlibet triſtitiam probare, ſed

ım, quæ abhorret à vitio, quæ terram *Bona tristitia.*
ıernit, quæ cœlum ſpirat, quę Deum
nhelat, quæ rore gratiæ tota madet.
'lacet Angelis hæc Lugentium claſſis, *Placet Deo & Angelis.*
amque frequentant aſſiduè, vt abſter-
ant lacrymas ab oculis eorum. Non eſt
uòd grauentur auditores ad eam aduola-
e, vbi tam nobilis & tam frequens eſt
Apoſtolicorum Senatorum conſeſſus, vbi *Vtilis fletus.*
Chriſtianus celebratur luctus ęterna ſola-
ia geniturus. Ad Lugentes accedamus.

Beati qui Lugent.

Quinam ſunt iſti Lugentes? quiue Luctus?



Ihi placet inprimis, Luctum in humanis definire, vt melius luctum in diuinis intelligam, & vt lugentes vana, à vera lugentibus, diſtinguam. Qui dicet luctum, eſſe mœſtum animi affectum propter rei gratæ & amatæ priuationem conceptum, non à ſcopo definitionis aberrabit: ſiue etiam affirmabit, eſſe peracerbum doloris ſenſum de illarum *Luctus definitio.*

rerum orbitate, quibus homines plurimùm oblectantur & capiuntur. Ita D. Nyssenus, Ergo patet omnibus; ὅτι πένθος ἐστὶ σκυθρωπὴ διάθεσις τῆς ψυχῆς, ἐπὶ στερήσει τινὸς τῶν καταθυμίων συνισταμένη; quòd luctus sit tristis animi habitus & affectus, qui oritur propter priuationem alicuius rei quæ cordi erat.

Orat. 3. de beatit.

Vnde oritur luctus humanæ vitæ?

Patet etiam luctum in humana vita sæpius oriri ex orbitate parentum & disiunctionibus amicorum, ex detrimento facultatum, ex incommodis corporum, ex aduersis fortunæ casibus, è qualibet iactura commutabilium pecuniæ membrorum, è grauibus diuersarum ægritudinum molestiis, & si quæ sint id genus, luctum procreant. In quo facile est videre quàm dissideat & discrepet luctus in diuinis, à luctu qui est in humanis, cum omnino sit illi oppositus, & in aduersam partem feratur. Luctus in diuinis concipitur ex priuatione summi boni æternique, cujus τὸ τῆς λύπης πάθος ἐπισυμβαίνει, διὰ τὸ μὴ παρεῖναι τῷ βίῳ τὸ ζητούμενον, doloris affectus contingit, quia id, quod quæritur, vitæ non adsit. Concipitur ex præsenti vitæ statu, qui carcer est, aut exilij locus, cum natale solum sit beata Ierusalem, verúmque

Luctus humanus à diuino discrepat.

Vnde luctus in vita salutis.

D. Nyss. loc. cit.

Origines sancti luctus.

ſanctæ libertatis domicilium. Concipitur ex admiſſis præterito vitæ ſpatio peccatis, quo tantum & tam benignum numen læſiſſe pœnitet. Concipitur è tot tantiſque moleſtiis, quibus miſer homo afficitur, dum virtutis iter terit; è tam crebris, periculoſiſque certaminibus, quę ſunt illi cum corporis blanditiis, cum mundi fallaciis, cum dæmonum inſultibus, ineunda. Concipitur ex ancipiti huiuſce vitæ meta, dum neſcitur quę ſit futura cataſtrophe. Concipitur ex ardentiſſimo videndi Deum deſiderio, quo ſoluuntur obices lacrymarum, vt abundè fluant: illudque identidem ſacri vatis repetitur: Fuerunt mihi lacrymæ meę panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus? *Pſal. 41. Lacrymæ inſtar panis, prophetæ erant.*

Iam facili negotio intelligemus, quomodo claſſis inania lugentium, à claſſe perennia ſpirantium & delicta humani generis deflentium ſegreganda ſit. Nec erit nobis arduum opus, agnoſcere, quos lugentes beatos Chriſtus proclamarit. Eos ſanê intellexit, qui non tantùm ſua, ſed etiam aliena deflerunt flagitia, qui hoc etiam tempore, & futuro, eadem munia obibunt: qui continuas effundunt lacrymas in comparandis virtutibus, in domandis vitiis, in *Duplex claſſis lugentium.* *Veri & beati lugentes.*

euellendis peruersis, inueteratisque consuetudinibus, qui libant cœlo, & Deo, haud terrę, haud dęmoni, turturum gemitus, tristes columbarum sonos, oculorum aquas, gemmasque: sed pręstat audire columina Christianę gentis & Ecclesię viua Oracula.

In luctu beata animæ perturbatio.

S. Gregorius Nyss. iudicat beatam esse perturbationem animæ, quę vitam flagitiis addictam deplorat, cum antea duplex genus tristitię, de sententia D. Pauli supposuerit, quarum vnam κοσμικὴν vocat, quę mortis effectrix existit: alteram verò amicam pœnitentiæ dicit σωτηρίαν ἐργάζεσθαι, salutem afferre mœrentibus. Postea ita infert, τῷ ὄντι γὰρ οὐκ ἔξω τοῦ μακαρίζεσθαι τὸ τοιοῦτον τῆς ψυχῆς πάθος ἐστιν, ὅταν ἐν αἰσθήσει γενομένη τοῦ χείρονος, τὸν ἐν κακίᾳ βίον ἀπολοφύρηται. Nam reuera non potest non beata iudicari talis animę perturbatio, cum eo animaduerso, quod deterius est, vitam vitiis implicitam deflet.

Tristitia mundi, & tristitia salutis.

Bonum est vitiosam deflere vitam.

Vult illos beatos intelligi, quos vitæ malè anteactę pœnitet: addit pręterea illos beatos esse qui licet non lugeant præteritas culpas, eo quòd vitam duxerint ἀκατηγόρητον, nihilominus εἴδησιν τοῦ ἀγαθοῦ, scientiam

Vita sine culpa.
Dolor de priuatione boni.

tiam boni nacti sunt, quo priuati, maximè dolent. Quàm præclarè disserit, & his verbis, luctus intendit vim, & beatitudinem: ὅσῳ δὲ τῆς γνώσεως ἡμῶν ὑψηλότερον εἶναι τὸ ἀγαθὸν τῇ φύσει πιστεύομεν, τοσούτῳ μᾶλλον τὸ πένθος ἐν αὐτοῖς ἐπιτείνομεν, ὅτι τοιοῦτόν ἐστι καὶ τοσοῦτον τὸ ἀγαθόν, οὗ διεζευγμένοι τυγχάνομεν, ὡς μηδὲ τὴν γνῶσιν αὐτοῦ χωρεῖν δύνασθαι. Quantò autem cognitione nostrà altius illud esse natura bonum credimus, tantò magis luctum in nobis intendamus & augeamus, quòd tale ac tantum sit bonum à quo disiuncti sumus, vt ne cognitionem quidem eius capere possimus.

Quantò maius bonum est, tantò maior est dolor de illius priuatione.

Petrus Damianus ita in Lugentes beatos: Luctus autem sanctorum non est de diminutione rerum; de corporum infirmitate; de ferocitate sublimioris potestatis: Lugent enim peccata, vel propria, vel aliena, ruinam mundi, detrimentum fidei, contemptum iustitiæ, abundantiam iniquitatis, dilationem regni. Vera Lugentium beatorum imago, in qua obseruantur eorum lineamenta, viuis coloribus satis feliciter expressa, longéque ab omni fuco remota.

In festo omn. sanctorum.

Luctus sanctorum.

Breuis imago beatorum lugentium.

D. Clemens Alexandrinus illos lugen-

Lib. 4. stromat.

tes interpretatur, οἱ γὰρ μετανοήσαντες ἐφ' οἷς κακῶς προβεβιώκασιν, qui malè actæ vitæ ducuntur pœnitentia. Duos autem modos pœnitentis & lugentis ponit: τοῦ ματανοοῦντος δὲ, τρόποι δύο. ὁ μὲν κοινότερος, φόβος ἐπὶ τοῖς πραχθεῖσιν: ὁ δὲ ἰδιαίτερος, ἡ δυσωπία, ἡ πρὸς ἑαυτὴν τῆς ψυχῆς ἐκ συνειδήσεως. Pœnitentis verò duo sunt modi, vnus quidem communior, timor propter ea quæ facta sunt: alter autem magis proprius, animæ apud seipsam ex conscientia pudor.

Duo modi pœnitentis lugentisque.

De Sanctorum luctu, qui hac in vita frequens est, deque lugentium felicissimo cœtu benè D. Augustinus de ciuitate Dei: Quis verò tam sit absurdus, & obstinatissima contentione vesanus, qui audeat affirmare in huius mortalitatis ęrumnis, non dico populum sanctum, sed vnumquemque sanctorum, qui hanc vel ducat, vel ducturus sit, vel duxerit vitam, nullas habentem lacrymas & dolores: cum potius quantò quisque est sanctior, & desiderij sancti plenior, tanto sit eius in orando fletus vberior? An non est vox ciuitatis supernæ Ierusalem, quæ dicit, Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte? &, Lauabo per singulas noctes lectum meum: in lacry-

Lib.20. c.17.

Luget populus sanctus.

Vox ciuitatis supremæ Ierusalem, vox lugentis.

Psal.41.

Psal.6.

mis meis stratum meum rigabo: &, Gemitus meus non est absconditus à te: &, Dolor meus renouatus est? Aut verò non eius filij sunt, qui ingemiscunt grauati, in quo nolunt expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur mortale hoc à vita. Nonne ipsi sunt, qui primitias habentes spiritus, in semetipsis ingemiscunt, adoptionem expectantes, redemptionem corporis sui? An ipse Apostolus Paulus non erat supernus Hierosolymitanus, vel non multo magis hoc erat, quando pro Israëlitis fratribus carnalibus suis, tristitia illi erat magna & continuus dolor cordi eius? Præclarè D. Augustinus ostendit viros quosque probos, sanctosque, dum hac lucis vsura fruuntur, continuò lugere, continuò ingemiscere. Quidni lacrymarentur in tantis rerum, & calamitatibus, & angustiis? Habent certè quod lugeant, & in hoc beati, quòd velis remisque ad cœlestem patriam contendant, serendo lacrymas.

Psal 37.
Psal 38.
Filij Dei grauati lugentes.
Primi in spiritus ingemiscentibus.
Sancti lacrymas serunt.

Magnum illum Chromatium hoc in argumento Philosophantem audio: Quis nobis iste luctus intelligendus est salutaris? Vtique non ille, qui ex rerum nascitur detrimentis, non qui ex amissione charorum, nec qui ex iactura sæcularium dignitatum,

In cap 5. Matt. serm. 2
Salutaris luctus.

quæ vtiq; e omnia iam pauper factus spiritu non dolebit. Hic est luctus salutaris, qui agitur pro peccatis, pro recordatione diuini iudicij. Nam quia prius inter innumeras sæculi occupationes & asperitates animus constitutus, de seipso cogitare non poterat, iam securus & mitis effectus, incipit seipsum propius intueri, examinare actus suos diurnos atque nocturnos, & sic præteritorum criminum vulnera incipiunt apparere, & tunc luctus ac lacrymę aderunt salutares, & adeo salubres vt mox cœlestis consolatio subsequatur. Et alibi rursus idem Aquil. Episcopus.

E vulneribus animæ luctus.

Ser. 2. in idem Euang.

Sicut de pauperibus superiùs, ita & hîc de lugentibus loquitur, non eos beatos appellans, qui aut dilectæ alicuius coniugis orbitatem, aut amissionem charorum pignorum, filiorumque grauiter lugent, sed eos potius beatos esse significat, qui aut propria commissa peccata iugi lachrymarum fletu expiare contendunt aut qui pio legis affectu iniquitatem sæculi, ac peccantium delicta lugere non desinunt.

Deflenda sæculi iniquitas.

In Euang. Matth. c. 5. Samuel luges.

S. Hieronymus de hoc lugentium cœtu breuiter ista disserit: Luctus hic non mortuorum ponitur communi lege naturæ, sed peccatis, & vitiis mortuorum. Sic fleuit

& Samuel Saülem, quia pœnituerat Deum quòd vnxiſſet eum regem ſuper Iſrael. Sic & Paulus Apoſtolus flere ac lugere ſe dicit eos, qui poſt fornicationem, & immunditiam non egerunt pœnitentiam.*. Vbi videmus tàm veteris Teſtamenti, quàm noui, ſuos lugentes Chriſtum habuiſſe. Et certè, vbique, & omni tempore, luctus ſanctorum beatus exiſtimatus eſt. Quis neget ante Moſis tabulas, felices non fuiſſe lugentes, generis humani principes? quis ſub lege, lacrymantem Dauidem beatum non prædicet? quis Hieremiæ peccata populi deflenti beatitudinem adimat? quis Danielis lacrymas infelices appellare audeat? quis in regno gratiæ flentem D. Magdalenam diuinis laudibus non efferat, perbeatamque proclamet? Neque ſunt audiendi mundi amatores & ſtultæ præcones lætitiæ; quorum iudicio ſi ſtandum eſſet, malè cum lugentibus ageretur. Ita D. Chryſoſtomus in hunc locum (Beati qui lugent) & certè iſti infelices ab hominibus iudicantur, ſed idcircò ante doctrinam ſigna præmiſit, vt facillimè crederent talia decreta ferenti. Verùm hic quoque non ſimpliciter lugentes poſuit, ſed propter peccata lugentes. Quippe cum illud aliud

D. Paulus lugens.

Luctus beatus.

Primi patriarchæ lugentes.

Dauid lugens.

Ieremias lugens.

Daniel lugens.

D. Magdalena lugens.

Inanis præcones gaudij.

Lugentes propter peccata.

etiam vehementer vetetur, de sæcularium scilicet rerum dispendiis, quod significabat & Paulus dicēdo: Quoniam sæculi quidem tristitia mortem operatur: quæ autem secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Istos igitur hîc beatos vocat qui vtilem voluerunt habere tristitiam. Et non simpliciter posuit tristes, sed omninò cum cumulo, non vtcunque mœrentes, sed lugentes. Siquidem præceptum istud totius philosophiæ magisterium est. Si enim illi, qui vel filios mortuos lugent, vel coniuges, vel alium quempiam proximorum, toto illo sui doloris tempore, non tenentur amore pecuniæ, non corporum, non gloriam concupiscunt, non consumuntur inuidia, non iniuriis permouentur, non aliis vitiis obsidentur, vtpote solis luctibus mancipati, multò magis, qui propria peccata lugent, (sicut ea lugere dignum est) altiorem mentis philosophiam ostendunt. Hinc colligitur, quanti sit faciendus sanctorum virorum luctus, cum in eo sacræ positum sit momentum philosophiæ, illique sint veri & Christani Philosophi, qui vitam ducunt in lacrymis. Vi lucis æternæ, peracrique rerum cognitione, satis vident apud mortales diutur-

1. Cor. 7

Sæculi tristitia.
Secundùm Deum tristitia.
Vtilis tristitia.

Luctus præceptum philosophiæ magisterium.

Lugentes sacri philosophi.

nam non esse lætitiam, sed illicò fluere, & celeriter labi, tantùm apud superos perenne gaudium morari non ignorant, eam ob causam diligenter lacrymarum studio se dedunt, vt immortaliter in ciuitate Dei lætentur. Sciunt tempus esse flendi, & tempus ridendi. Rectè Olympiodorus, ἔστι τις καιρὸς οὐχ ὁ χρονικὸς, ἀλλ' ὁ ἐκ τοῦ πράγματος λαμβανόμενος. ὁ γὰρ μὴ ἐν βάθει κλαίων, ἀλλ' ἐπιπολαίως, ἀκούσεται κατὰ τὴν Ἱερουσαλὴμ, ὀψὲ φωνῆς αὐτῆς ὠλόλυξε, καὶ τὰ δάκρυα αὐτῆς ἐπὶ τῶν σιαγόνων αὐτῆς. Est tempus quoddam non à tempore desumptum, sed ab ipsis rebus: nam qui non in imo cordis, sed vultu tenus fleuerit, audiet instar Ierusalem; Serò vocem flebilem emisit, & lacrymæ eius in maxillis eius. ὁ δὲ καιρίως κλαίων καὶ ἐκ διαθέσεως μετανοῶν, qui verò opportunè lacrymatus fuerit, & ex affectu pœnituerit, audiet, Planctum planxit Ierusalem, clamorem lacrymarum tuarum quando vidit, misertus est tui. ἔστι δὲ καὶ ἐν καιρῷ χρονικῷ κλαίειν ἐν τῷδε ἡμῶν τῷ βίῳ, ἵνα ἐν τῷ μέλλοντι γελάσωμεν. Oportet in hac vita hoc præsenti tempore lugere, vt in futura rideamus. καὶ ἐπὶ τοῖς παραπτώμασι δὲ τῶν μαθητῶν, ἢ καὶ τῶν ἀδελφῶν

Breuis huius mundi lætitia.

Cœli æterna lætitia.

Tempus flendi & tempus ridendi.

Commentario in Ecclesiasten.

Thren. 1.

Opportuna lachryma.

Is. 30.

εὐχερῶς κλαίομεν, & de culpis discipulorum, fratrumque casibus opportunè lugemus: contrà in illorum profectu exultamus alacriter.

Hi lugentes, haud beati. *Lib. de humil. c. 10.* B. Laurentium Iustinianum mirantur, qui eum euoluunt assiduè, ita ille de lugentibus: Lugentes beati rectè humiles nuncupantur, qui enim pro amissione coronæ, aut pro illatis iniuriis, seu pro qualibet plorant humana, nequaquam censentur esse beati, sed infelices & miseri. Humiles verò cum redeunt ad se & discutiunt, *Lugentes humiles.* quales sint, quantis sint onerati peccatis, quot astricti vinculis, quàm multis beneficiis obligati, necnon in quali sint detenti custodia, compunguntur que, suspirant, gemunt, vbertimque prorumpunt in lacrymas, Prophetæ exemplum tenentes, *Psal. 6.* qui dicebat: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum *Frequens luctus humilium.* meum rigabo. Lugent itaque frequenter humiles, & interioris cubiculi stratum rigant, vt delictorum suorum maculas tergant, & compunctione flebili debita soluant, ac malæ consuetudinis nexus dirumpant, valeantque cum propheta cantare: *Psal. 115.* Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Cæterum cum pere- *Luctus peregrinationis.*

grinationis suæ miserias meditantur, & cœlestis Ierusalem considerant gaudia, necnon ab his se abesse conspiciunt, ex humillima deuotione commoti, ac tacitè resoluti in fletum, ingeminant dicentes: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, &c. Conuersique ad Dominum inquiunt: Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. *. Graphicè pingit statum humilium lugentium, manifestéque aperit qui nam sint veri lugentes, quos Christus beatos prædicauit. Humilitatem in luctu considerat, & luctum in humilitate, iuuat luctus humilitatem, & humilitas luctum. Talis est vtriusque coniunctio, vt, vbi verus reperitur luctus, vera quoque reperiatur humilitas.

Psal. 41.

Humilitas in luctu & luctus in humilitate.

Idem D. Iustinianus quando agit de vi luctus & orationibus lugentium exclamat: O lacryma humilis, tua est potentia, tuum regnum, tribunal iudicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, non est qui te ad Deum accedere vetet. Si sola intres, vacua non redibis, quid plura? Vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas Filium Virginis, aperis cœlum, fugas diabolum, tu cibus anima-

In ligno vitæ de orat. cap. 10.

Vis lacrymarum beatitudo lugentium.

Virtus & potestas lacrymæ.

rum, roboratio sensuum, abolitio delictorum, vitiorum exterminium, virtutum præuia, gratiæ socia, refectio mentium, & lauacrum culparum : tu odor vitæ, sapor spiritus, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis iucunditas, serenatæ conscientiæ suauitas, & electionis æternæ spes valida *. Siquidem ita est beata lacryma, multò magis beati, qui hanc fundunt, existimandi : imò nulla propriè est beatitudo lacrymæ, sed tota, quanta est, tota est lacrymantis. Nihilominus è laudibus lacrymarum, laudes colliguntur lugentium, quia non tam commendantur lacrymæ, quàm earum parentes.

Elogium lacrymarum.

Beati lacrymantes.

S. Augustinus hoc modo luctum definit, lugentesque Euangelicos describit: Luctus est tristitia de amissione charorum: conuersi autem ad Deum, ea quæ in hoc mundo chara amplectebantur, amittunt. Non enim gaudent his rebus, quibus ante gaudebant: & donec fiat in illis amor æternorum, nonnulla mœstitia sauciantur. *. Omninò qui lugent, de mente Christi seruatoris, se à rebus fluxis & caducis, ad res stabiles & æternas transmiserunt, totosque se diuino cultui addixerunt. Non amplius fortunæ bonis capiuntur, ea, quæ

Ex lib 1 de serm. Domini in monte.

Luctus, tristitia.

Lugentes, conuersi ad Deũ.

tanto studio requirebant, penitus contemnunt. Displicet imago vanitatis, placet status veritatis: assiduè cœlum voluit in lacrymis, terram spernit, mundum terit, Deum spirat.

Amplam lacrymarum copiam suppeditat D. Bernardus mortalibus, quibus lugentes Euangelici dignoscuntur: ait, Beati qui lugent, &c. Equum indomitum flagella domant, animam immitem contritio spiritus & assiduitas lacrymarum. Ergò in omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, mortis horrorem, iudicij tremendum discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miseriam, recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ, cogita vitæ humanæ pericula, cogita fragilitatem propriam, & in huiusmodi cogitatione si perseueraueris: dico tibi, parum senties quicquid foris videtur esse molestum, dum toto corde circa interiorem molestiam occuparis. Sed nec patietur Dominus sine consolatione te esse, quoniam pater misericordiarum est, & Deus totius consolationis. *. Eleganter demonstrat S. Pater, quinam sint fontes lacrymarum, quos lugentes aperire debent, eosque ad

In festo SS.

Contritio spiritus domitrix animarum.

Argumenta lacrymarum.

Fontes lugentium.

res salutis deriuare, si velint diuino frui solatio, quod Deus abundè impertit lugentibus.

In Math. 5. *Qualis luctus?* S. Leo Papa in luctus argumento triumphat: Luctus hic, dilectissimi, cui consolatio æterna promittitur, non est cum mundi huius affectione communis, nec beatum quenquam faciunt ista lamenta, quæ totius humani generis deploratione funduntur: alia ratio est sanctorũ gemituum, alia beatarum causa lacrymarum. Religiosa tristitia, aut alienum peccatum luget, aut proprium. Nec de hoc dolet, quod diuina iustitia agitur, sed de eo mœret, quod humana iniquitate committitur: vbi magis plangendus est faciens maligna, quàm patiens: quia iniustum malitia sua demergit ad pœnam, iustum autem tolerantia ducit ad gloriam.*. Res est certissima, quam notat sanctus Leo, neminem iustorum lugentium fundere lacrymas, de rebus licet sensibus peracerbis & permolestis, quæ à diuina iustitia decernuntur & aguntur: verùm illacrymari propter tam multa, quæ à nequissimis hominibus committuntur flagitia, quibus Deus opt. max. singulis horarum momentis grauiter lacessitur & indignè læditur. Hi sunt vberrimi lacryma-

Lamenta mundi nullum beatum efficiunt.

Religiosa tristitia lugentiũ.

Fontes lacrymarum.

rum fontes, hæ continui luctus origines. Poscunt cum prophetis, perennes aquarum riuos, quibus sordes peccatorum eluant: conuertunt oculos in imbres, vultusque irrigant, vt delinquentes molliant, & ad meliorem frugem reuocent.

Lubet D. Paulinum, Beatum Lugentem, in beatitudine Lugentium audire: Et quis dabit nobis cor carneum, vt emollita sensus nostri duritia, sentiamus sagittas Domini configentes timore sancto carnes nostras? & excitato vulnerum nostrorum dolore, ploremus ante Dominum qui fecit nos? Commodet nobis Ieremias illum fontem lacrymarum, quo diem suum & populum lamentatus est: superfundat nobis & Dauid flumina oculorum suorum, quibus rigabat lectum suum, neque tantùm genas vultus sui, sed & totum corporis stratum lacrymis exundantibus proluebat.*. Intelligebat profectò S. Paulinus quàm felices erant sanctorum animæ lugentium, qui adeò studiosè & ardenter vim lacrymarum postulat. Intelligebat Christi oraculum esse verissimum, idcirco in numerum lugentium ascribi desiderat. Videbat fructus lacrymarum, vtilitatem non ignorabat, quàm decerent seruum Dei sapiebat,

D. Paulinus lugens beatus. Epist. 26.

Lacrymæ iaciunt sagittas.

Felices luctus sanctorum.

Fructus lacrymarum.

Speculum lacrymarum.

huius fontis in speculo solatia intuebatur, Christum gemuisse recordabatur, & in hoc spectabat humani generis calamitates, quas Dominus defleuit, suisque deflendas proposuit.

Problema D. Basi. Ἐρωτ. λα. ἀποκ.

S. Basilius in asceticis quærit (in gratiam nimirum lugentium) εἰ καθόλου γελᾶν οὐκ ἔξεστιν; si omninò ridere non licet? respondet, τοῦ κυρίου τοὺς νῦν γελῶντας κατακρίνοντος, εὔδηλον ὅτι οὐδέποτε καιρὸς γέλωτός ἐστι τῷ πιστῷ, καὶ μάλιστα ἐν τοσούτῳ πλήθει τῶν διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου τὸν θεὸν ἀτιμαζόντων καὶ θανατουμένων ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ, ὑπὲρ ὧν ἀθυμεῖν καὶ στένειν χρή. Domino nunc ridentes condemnante, clarum est quod nunquam sit fideli tempus ridendi, & quidem maximè in tanta eorum multitudine, qui violata lege Deum ignominia afficiunt, & in peccato mortui sunt, quibus condolescendum est & ingemiscendum. Vbi magnus Cæsareæ Antistes valde probat statum lugentium, & ridentium stultitiam condemnat.*. Christum sequitur magistrum, illiusque sententiam confirmat. Quod si natura in morte affinium lacrymas requirat, quanto magis lex gratiæ in interitu non corporum, sed animarum requiret? At quem fugit, infini-

Felix lugentium status. Ridentium miser.

Natura lacrymas requirit. Lex gratiæ quoque.

tas animas quotidie mori? Vbique funus, vbique busta peccatorum, vbique iacent cadauera. Meritò Christus iustorum lacrymas tanti facit, meritò beatos lugentes renuntiat, cum ij soli sint è tantis hominum turbis, qui fratrum calamitates defleant. Quæ potest esse maior charitas, quàm luctu prosequi demortuas grauiter delinquentium animas? lacrymis cohonestare tam luctuosa funera? parentare Christi imaginibus, sua culpa turpiter infectis? si quis oculis corporeis videre posset animarum obitus, videret vrbes, domosque funeribus refertas? haberet quod lugeret; tunc verè diceret, Beati qui lugent, seque statim in eorum numero reponeret. Qua in parte felicitatem religiosorum agnosco, quorum oculi sunt gemini fontes lacrymarum: nam ij habent irriguum superius & inferius, (vt cum sacris loquar) sæpius terrarum miserias deplorant, sæpius ad cœlestem felicis Sionis beatitudinem suspirant: ex inferiori fonte magna vis lacrymarum fluit, qua delicta peccantium eluere conantur optimi religiosi: è superiori verò, magna roris vbertas emanat, qua summi boni fruitionem emere contendunt. Illorum sunt artes, illorum munia, salutem

Crebra animarum funera.

Vrbes, laresque pleni funeribus.

Felicitas religiosorum lugentium.

irriguum sup. & inf. fil. Caleph.

Duo fontes lacrymarum.

humani generis, quâ precibus, quâ lacrymis procurare. Neq; mirum est si D. Nazianzenus religiosos & trãquillę sectatores vitæ lugentes Euangelicos agnoscat, sique inter alia, velut hæreditatē luculētissimam δάκρυα assignet: ἀγρυπνίαι, νηστεῖαι, προσευχαὶ, δάκρυα, sunt hæc arma lugentium, quibus se aduersus hostes tuentur, quibus dæmonum cuneos perrumpunt, quibus mundi copias profligant, quibus cœleste Capitolium conscendunt, quibus coronas sibi texunt æternas, quibus insultant carni, voluptati, falsæ gloriæ, dæmoni. Non potest dici, quàm benè conueniant lugentibus Religiosis vigiliæ, quàm deceant ieiunia, quàm faueant preces, quàm decoræ sint lacrymæ. Beatæ omninò mentes, quæ nisi proderent lacrymæ, putarentur Angelicæ. Extra mundi tumultus hi lugentes viri reperiuntur, quibus exornantur religiosi penates. Et verò, cùm Christus lugentes beatos pronuntiauit, eos potissimùm intellexit, qui rebus omnibus abdicatis, sacræ se militiæ erant addicturi: qui longè melius mundi incolis, lacrymis vacare possunt, & luctui beatitudinis se tradere. Religionis est tales hyadas suo in cœlo benignissimè fouere. De beatis illis lugentibus

λογ. εἰρη. A 4. Lugentium arma.

Vigiliæ lugentium, ieiunia, preces, lacrymæ.

*****

Religionis hyades.

tibus agit S. Athanasius in quæstionibus ad Antiochum: οἱ γὰρ τὸν μονήρη βίον μετερχόμενοι, πολλάκις καὶ ἐκ θείας χάριτος τὸ δῶρον τῶν δακρύων νομίζονται: qui autem solitariam degunt vitam, sępenumero ex diuina gratia donum lacrymarum sortiuntur. Διόπερ ἐκεῖνο ἀγαθὸν καθέστηκεν δάκρυον, τὸ κρυπτῶς θεῷ προσαγόμενον, quocirca hic bonus est fletus, qui occultè Deo offertur.

Lugentes solitarii.
In resp 79.

Claudat beatorum Lugentium agnitionem Archiepiscopus Constantinopolit. cognomine Ieiunator: διὰ τοῦτο καὶ ὁ σωτὴρ φησι, μακάριοι οἱ κλαίοντες, οὐ τὸν νεκρὸν, οὐ τὴν ζημίαν, ἀλλὰ τὴν ἁμαρτίαν. Propterea & saluator ait, Beati qui lugent non mortuum, non iacturam, sed peccatum, & paulò post, ad luctum adhortatur mortales; κλαύσωμεν ὑπὲρ ὧν ἡμάρτομεν: καταστάζωμεν δάκρυον ἐπὶ παρειάς, καὶ τὸ στῆθος κρούσωμεν, ἵνα ἐκεῖ τὸν βρυγμὸν τῶν ὀδόντων ἐκφύγωμεν κλαύσωμεν, ὡς ἔκλαιεν ὁ Δαβίδ, ἵνα μακαρισθῶμεν, ὥσπερ καὶ ὁ Δαβίδ. Lugeamus pro his quæ pecc[illegible]uimus, diffundamus lacrymas in genas, & pectus tundamus, vt illic dentium stridorem effugiamus. Lugeamus vt lugebat Dauid, vt beati re nuncupemur vti Dauid.

Hom. de pœnit. & contin. & virg.
Non est lacryma frustra effundenda.
Ad lacrymas adhortatio.

Beati qui Lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Quænam est ista consolatio?

Benignior solis vultus post Iridis stemmata.



Ost magnam vim imbrium è cœlo lapsam, solis vultus affulget benignior, ipsamque terram vibratis mollius radiis recreat.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare caspium
Vexant inæquales procellæ
Vsque: nec Armeniis in oris
(Amice Valgi) stat glacies iners
Menses per omnes: aut aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.

Ode 9. lib. 2. Rerum mutatio.

Aiebat Romanus Lyricus.

Ordo rerum varius.

Talis est ordo rerum, vt post tempestatem, fiat sudum: post bellum, pacis imperium oriatur: post doloris æstum, succedat lætitiæ quies: post hyemem, ver se aperiat: post laborem, suauissimum fluat otium. Quod si hoc eueniat in naturæ cursu, aliquid simile in stadio gratiæ, nobiliori mo-

do; & altiori ratione, euenit. Datur locus lacrymis Christianæ gentis, datur amicis Dei lugendi spatium, luctus æquissimis terræ incolis indicitur, in squalore viuitur ad tempus, dolor & labor imperant, æstuat humana proles, procellis agitatur, fluctuat, mœret, ingemiscit, suspirat, lacrymatur. Ista tandem fluunt & labuntur, læta quæque surrogantur tristibus, mutatur tristis aspectus, & in eius locum hilaris facies sufficitur, aspera pereunt, mollia nascuntur, acerba dant locum lenitate conditis, miseris calamitosisque rebus solatia afferuntur, expellitur doloris causa, vt omnis luctus exulet. Canit sponsus ὁ χειμὼν παρῆλθεν, ὁ ὑετὸς ἀπῆλθεν, hyems transiit, imber abiit, nimirum tetra hyems calamitatum, acerbus imber lacrymarum. Christus ad illud, quod promisit, appellat solatium. Istud solatium, quo luctus ponitur, & animi mœstitia leuatur, variis modis explicatur. Placet aliis quædam animi gestientis lætitia, quam sanctis adhuc apud mortales vitam agentibus, post abiectum mœrorem Deus impertit. Aliis placet quædam animi dulcedo, qua cor hominis perfunditur post acerbitatem tristitiæ. Probant alij maximè gratiam, (quam Theologi vocant

Læta succedunt tristibus.

Vox sponsi.

Consolatio lugentium variè explicatur.

Lætitia.

Animi dulcedo.

Gratia actiuus.

actualem) quæ partim noua luce mentem illuſtrat, partim voluntati faces admouet, hincque ſequitur mirifica remiſſio animi, tantaque rerum cœleſtium ſuauitas, vt animus præteritorum laborum, difficultatumque penitus obliuiſcatur. Et certè magna ſunt iſta lacrymarum condimenta, nulluſque eſt iuſtorum lugentium, qui dum anima ſpirat ſua, iſtis careat auxiliis. Alij penitiores quoſdam ſuauiſſimi guſtus ſpiritus probant, quos iuſti in frequentandis ſacramentis ſæpius experiuntur. Nec iſtæ conſolationes iuſtorum luctui denegari ſolent, eóque ſunt crebriores, quo exquiſitior fuit in rebus diuinis adhibitus apparatus. Alij recurrunt ad ſancti Spiritus pellucidos fontes, ex quibus tot varia conſolationum genera labi fatentur, quot varios ſummæ benignitatis riuos emanare confirmant. Alij tranquilliſſimam animi quietem ſub ſolatij nomine recognoſcunt; qua totus homo ſub oliuis miſericordiæ pacatus conquieſcit. Alij luculentum optimæ conſcientiæ teſtimonium, incredibilem eſſe conſolationem affirmant, & illi quàm verè philoſophantur, quilibet iuſtus non ignorat. Alij certam ſpem ſalutis, ſolito firmiorem, dum cœleſtis fauonius ſpirat, in-

Animi remiſſio.

Lacrymarum condimenta.

Suaues animæ guſtus.

Fontes ſancti Spiritus.

Animi quies.

Bonæ conſcientiæ teſtimoniū.

Certa ſpes ſalutis.

terpretantur. Alij singulare quoddam vacandi Deo gaudium, quo supra modum gestit animus, intelligunt. Alij lenissimum eximiæ pietatis sensum, quo iustus ad colendum Deum suauissimè concitatur, quóque rebus piis studiosius addicitur, in album solatiorum referunt. Alij volant sublimius, & hoc solatium lugentium ad æternæ beatitudinis portum traducunt, vbi Deus suorum amicorum lacrymas abstergit. Audio D. Augustin. de Ciuitate Dei, quæ aliàs scripsit, repetentem: Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors iam non erit, neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor: tanta luce dicta sunt de sæculo futuro, & immortalitate, atque æternitate sanctorum, (tunc enim solùm, atque ibi solùm ista non erunt) vt nulla debeamus in literis sacris quærere, vel legere manifesta, si hæc putauerimus obscura .*. Vult S. Augustinus illud Apocalypseos de abstersis lacrymis, intelligi de consolatione æternæ felicitatis, qua iusti, qui hîc luxerunt, in cœlo perfruuntur.

Gaudium Deo vacandi. *Pietatis sensus* *Æterna felicitatis portus.* *Cap. 17 l. 20.* *Apocal. 21.* *Consolatio æterna vita.*

Audiendus est S. Antiochenus de præmio lacrymarum: Vbi verò, dic mihi, vbi consolabuntur? Et hîc profectò, & quod est amplius, in futuro. Quia enim præcep-

Lacrymarum præmium. *In c. 5 Matt.* *Duplex lugentium præmiū.*

rum ipsum valde videbatur onerosum ac vehementer molestum, hoc se promisit daturum, quod aliud quàm maximè leue possit efficere: itaque, si velis consolari, luge. Neque putes exempli gratia allatum esse, quod dixi. Quando enim consolatur Deus, etiamsi millia mœrorum irruant, cunctis superior existis. Siquidem ipsis doloribus præmia Deus ampliora constituit: quod certè hoc ipso quoque designat loco, beatitudinem lugentibus deputando, non secundùm dignitatem operum, sed iuxta suorum munerum largitatem. Perpende verò, quod non est hoc operis humani, sed indulgentiæ Dei ·*· Tanta est Dei bonitas, vt non modò lugentes hoc in vitæ decursu soletur, sed etiam in alia vita longè beatiori, iis est æterno solatio, eos recreat ac reficit, donatque cœlesti ciuitate, vt cum Angelorum choris immortali gaudio fruantur. Iuxta quod rectè dicit magnum lumen Africæ, Consolabuntur ergo Spiritu sancto, qui maximè propterea paracletus nominatur, id est, consolator, vt temporalia amittentes, æterna lætitia perfruantur.

Magna Dei bonitas in lugentes.

Paracletus.
Serm. in mont.

In c. 5. Matt.

S. Hilarius nobilis Pictauorum antistes ita pulchrè ratiocinatur: Lugentibus æter-

næ consolationis solatia repromittit, non orbitates, aut contumelias, aut damna mœrentibus, sed peccata vetera flentibus, & criminum quibus obsordescimus, conscientia ærumnosis hęc sedula in cœlo consolatio præparatur.

Æterna consolationis solatia.

Sedula in cœlo consolatio.

Apposite præsul Aquil. His ergo sanctè lugentibus non immerito à Domino consolatio exultationis æternæ promittitur. Et ibid. huiusmodi ergo luctum Dominus perpetui gaudij consolatione compensat, secundum quod Esaias retulit dicens: Date iis qui lugent Sion, gloriam pro cinere, vnctionem lætitiæ, pro spiritu mœstitiæ, amictum gloriæ. Vnde & Dauid ait, Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, disrupisti saccum meum, & præcinxisti me lætitia .*. Diuine locutus est μεγαλοφωνότατος Isaias, cum dixit lugentibus dandam esse gloriam pro cinere δόξαν ἀντὶ σποδοῦ, quàm est liberalis & magnificus Deus, qui pro cinere, quo lugentes sua capita respersferunt, gloriam reponit? quasi gloria sit cœli cinis, siue puluis aureus, quo iustorum capilli post anastasin aspergentur, solis radiis lucidiores futuri. Dabit Dominus pro re admodum abiecta, rem admodum pretiosam. Quid vilius cinere? quid abie-

Serm. 1. in id. Euang.

Consolatio exultationis æterna.

Consolatio perpetui gaudij.

Isa. 61.

Psal. 29.

Gloria pro cinere lugentibus rependitur.

Cœli cinis, gloria.

ctius? quid verò pretiosius gloria immortalitatis? quid nobilius? quid gloriosius? hoc est diuinæ liberalitatis, tantillos pœnitentis animæ labores, tanto & tam eximio compensare beneficio. Idem sacer vates addit, dandam esse lugentibus stolam gloriæ pro spiritu tristitiæ, καταστολὴν δόξης ἀντὶ πνεύματος ἀκηδίας. Mutabitur igitur amictus tristitię in amictum gloriæ, atra illa vestis lugentium, variis distincta lacrymis, immutabitur in amictum purpuræ diuersis exornatum stellis, commutabitur in trabeam luminis.

Cinis res vilis: gloria res pretiosa.

Stola gloria lugentium.

Amictus tristitia mutatio in luminis trabeam.

Bellè quoque vates regius de consolatione iustorum lugentium differit ἔστρεψας τὸν κοπετόν μου εἰς χαρὰν ἐμοὶ, διέρρηξας τὸν σάκκον μου καὶ περιέζωσάς με εὐφροσύνῃ. Fiet mira commutatio planctus lacrymantium in gaudium, sacci fiet ruptio, & texetur cingulum lætitiæ. Vera Metamorphosis, qui luxit apud mortales, qui mœrore confectus fuit in causa Dei, apud superos lætabitur, & in pompa cœli recreabitur, planctus, acerbus fructus vertetur in gaudium, fructum suauissimum, frangetur vas lacrymarum, & hydria nectaris surrogabitur, & quod est admirandum, animus liber corpore, lætitiæ zona pręcin-

Psal 29.

Planctus in gaudium mutatio.

Vas lacrymarum fractum.

Zona lætitia.

getur. O quale cingulum! Orientis collucens gemmis & margaritis! ô qualem baltheum, æternis lætitiæ rosis & liliis circumtextum. Quanta sit luctus merces, quanta lugentis consolatio, quem latet?

Quàm piè vbique agat S. Bernardus, ex ipsius pietate facilè colligitur: Sed beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: Verum quid aliud est hæc consolatio, quàm procedens de spe veniæ gratia deuotionis, & suauissima delectatio boni, & gustus sapientiæ licet exiguus, quibus interim benignus Dominus afflictam refrigerat animam? Sed gustus ille nihil aliud est, quàm irritamentum desiderij, & incentiuum amoris, sicut scriptum est, Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.*. Ista consolatio, de qua hic prius pater agit, iuuat lugentem viatorem ne deficiat in via, corroborat laborantem, refrigerat æstuantem, erigit iacentem, erectum confirmat. Nondum est illa perennis consolatio, quæ subsequitur, & comitatur superioris domus familiares, & domesticos, & summi regis palatinos, est tamen illius soror, & ad illius aspectum λεληθότως deducit.

In festo sanctorum omnium. Consolatio lugentium gratia deuotionis, &c.

Gustus sapientia.

Consolatio lugentem viatorem iuuat.

Sacrum solatium à Deo.

Christianus Druthmarus paucis multa

complectitur: Qui ergo aut pro recordatione peccaminum suorum aut proximorum, seu pro futuro iudicio, vel pro peregrinatione à cœlesti patria lugent, isti consolabuntur consolatione æterna, quę terminum non habebit.

Consolatio æterna.

In 5. Matth.

Idem dicit Halberstatensis antistes Haymon: Quoniam ipsi consolabuntur, consolatione scilicet illa quę dabitur sanctis, cum viderint Dominum facie ad faciem ·*· Reuera est illa postrema, & omnium perfectissima consolatio, visio Dei, summique boni fruitio. De qua Theophylactus, Qui enim luget, propter peccata, gaudet spiritualiter, & illic quoque multò magis. De qua Euthymius, Cõsolationem verò accipient, vbi? & in pręsenti, & in futuro: in pręsenti quidem ea spe, quod peccata sua luctu redimant: in futuro verò non sola horum remissione, verumetiam beatitudine.

In illud, Et cum vidisset turbas.

Consolatio duplex lugentium.

Orat. 3. de beatit.

D. Nyssenus rationem affert, cur Christus beatos lugentes dixerit, non quòd ipse luctus in se sit beatus, sed propter id quod ex ipso fluit, & sequitur. ὁ λόγος μακαρίζει τὸ πένθος, οὐ δι᾽ ἑαυτὸ κρίνων εἶναι μακάριον, ἀλλὰ διὰ τὸ ἐξ ἐκείνου παραγενόμενον. δείκνυσι δὲ τοῦ λόγου ἡ συζυγία, ὅτι

τῆς πρὸς τὴν παράκλησιν ἀναφορᾶς τὸ πενθεῖν αὐτοῖς ἐστι μακάριον. Verbum luctum beatum ducit, non quod eum propter seipsum beatum iudicet, sed propter id quod ex illo accidit. Ostendit autem sermonis contextus, quòd nomine relationis ad consolationem lugere beatum sit hominibus. Beati enim qui lugent, & in hoc orationem non finiit, sed adiecit, Quoniam ipsi consolationem accipient. αὐτοὶ γὰρ εἰς τοὺς ἀπείρους αἰῶνας παρακληθήσονται. ἡ δὲ παράκλησις, ἐκ τῆς τοῦ παρακλήτου μετουσίας γίνεται. ἰδία γὰρ τοῦ πνεύματος ἐνέργεια ἡ τῆς παρακλήσεως χάρις ἐστίν. Ipsi per infinita sæcula solatio fruentur. Consolatio verò ex communicatione Paracleti id est, consolatoris existit. Consolationis enim gratia peculiare sancti Spiritus opus est.

Beatus luctus.

Consolator Spiritus sanctus.

Consolatio Spiritus sancti opus est.

Libenter audio magnum illum Protopatriarcham Venetum, cum ait: Meritò igitur humiles taliter lugentes consolationem à Deo promissam cum exultatione indubitatę spei expectare debent, de qua in Apocalypsi per Ioannem sic scribitur, Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, &c. pro hac siquidem degustata parumper futura consolatione refecti, ro-

Lib. de humil. c.10.

Futura consolatio.

bustiores quàm priùs erant efficiuntur in bello, & ad percipiendum charismata meliora, atque ad consequendum brauium perfectionis virtutum humilibus destinatum, fiunt quotidie promptiores.

Præter futurum & ęternum lugentis animæ solatium, variis etiam modis solatur animos iustorum Deus, de quibus idem D. Patriarcha Venetorum: In hoc spirituali Monasterio cum reluctatur Christi seruus, ne succumbat, vterque homo, caro scilicet & spiritus crucifigitur, & nisi diuina virtute, humana in tali conflictu infirmitas roboraretur, proculdubio deficeret. Prębet autem præsidium Domini misericordia homini sic oppresso, nunc hostem repellendo, nunc virtutem fortiter resistendi præstando, nunc dolores, & flagella mitigando, nunc gustum internę pacis infundendo, nunc celsitudinem immensitatémque æterni præmij victoribus repromissi lumine quodam ineffabili patefaciendo. Sicque spiritus sapientię de regalibus sedibus spirans in corde afflicti, quando vult, & quomodo vult, eundem ab instanti pressura respirare facit.

Lib. de discip. & perf. Monast. conuers.

Diuinum auxilium cum magna consolatione.

Petrus Damianus ait: Nonnullos enim Sanctorum terrena hac, & humana conso-

In laud. S. Benedicti serm. Humana consolatio.

latione nouimus caruisse. In corde ergo, & in homine interiori centuplum istud quæras necesse est, vt habeas nunc quidem fructum tuum in sanctificationem, finem verò vitam æternam .*. Deus omnium optimus consolator lugentibus centuplum retribuet, pro vna lacryma torrentem voluptatis rependet: pro vno gemitu, cœlestis Ierusalem lętos applausus: pro vno suspirio, angelicas acclamationes: pro doloris æstu, gratiosas amoris flammas: pro squalore, diuinum nitorem: pro labore tristitię, gaudium tranquillioris otij sempiternum, ita mœror omnis abiicitur. *Centuplum lugentium.*

Luctus Sanctorum maximum est in hac vita solatium.



Ollicetur Deus lugentibus solatium, & in primis magnæ sanctitatis viris, qui non tam sua, quàm aliena delicta deflent. Et quidem præter humana, diuinaque solatia, in ipsomet luctu sanctorum, in ipsismet lacrymis, magnus ille naturę artifex quandam voluptatem colloca- *Consolatio lugentibus promissa.*

Magnum est in lacrymis solatium.

Iustorum varia causa lacrymas mouent.

uit. Solatio est viris integerrimis omnis lacryma, siue ea, qua deplorant formidolosos carnis aduersus spiritum conflictus, siue qua graue generis humani exilium, siue qua mundi turbulentos insultus, siue qua grassantem scelerum luem, siue qua delinquentium insolentiam, siue qua mentium, corporumque ęgritudines, siue qua futiles honorum species, siue qua periculosos cupiditatum contumacium motus, siue qua tam crebras, tam molestas, tam acerbas dæmonum pugnas, siue qua tot insidias saluti humanę paratas, siue qua tot & tantas, luctuosas admodum calamitates & miserias cohonestant. In tanta vi lacrymarum singulare reperitur solatium, quo sanctę recreantur animę. Nescio qua suauitate perfunduntur mentes, dum oculi cœli Domino litant, nouo quidem genere sacrificij: dum libant Christo lacrymas, ita demulcentur corda, vt interdum ferè liquescant voluptatis dulcedine. Quantum putatis esse solatium animæ, dum ei promittit sponsus aditum ad cœlestem arcem, dum illi sacra detegit arcana, dum lugentem introducit ad sugendum latus, dum efficit vt lacrymæ varias eximiarum virtutum gemmas producant, dum acerbita-

Animorum solatia.

Diuersitas consolationum.

tem doloris oleo sancti Spiritus mitigat, dum rore cœli pectus refrigerat? Ab ipsis iustis amatur luctus, amantur lacrymæ, quæ mundi amatoribus acerbissimæ videntur, quòd nunquam pietatis sensum, neque spiritum, experti sint. Errant in hoc maximè, quòd iudicent statum lugentium esse calamitosissimum. Si semel, vel primoribus labris suauitatem lacrymarum degustassent, non ita ab his abhorrerent. Quomodo non essent hi grati imbres, qui suam à cœlo repetunt originem? Quomodo non essent dulcissimæ potionis, cum è sempiternis collibus in subiectam humanæ prolis terram defluant? Hanc imbrium suauitatem sæpe regius Vates expertus est, hanc Prophetæ, hanc Patriarchæ, hanc Apostoli, hanc filij Dei, hanc omnes iusti. Nunquam fuit yllum tempus, in quo iusti è lacrymis vberrimos consolationum fructus non perceperint. Etsi author naturæ, & magister gratiæ, iustis lugentibus nullum aliud prœmium concederet, quàm quod ex ipsis lacrymis excerpitur solatium, benè cum illis & magnificè ageretur, adeò superat omnem luctus acerbitatem, quod ex ea nascitur solatium. Quæ est ista consolatio, videre tot & tam diuersos virtutum flores,

Amor lacrymarum.

Error mundanorum.

Læti imbres lacrymarum.

Suauis potio.

Prophetarum lacrymæ.

Singularis lacrymæ suauitas.

quos progignit lacrymarum imber? Quæ voluptas, agnoſcere virginitatis lilia, cha- *. *Flores lacrymarum.* * ritatis roſas, violas humilitatis, fidei hyacinthos, narciſſos innocentiæ, clementiæ amarantos, lacrymarum germina? Quan- *Vernum regnũ lacrymarum.* ta ſuauitas in amœnitate luctus, cum vernum tempus & imperium virtutibus aperiat? Quod & quantum iuſti leniter illacrymantis ſolatium, iam apud mortales in exilij loco, frui tot & tantis bonorum operum frugibus? Suaue eſt in luctu pulcherrimum *Vota dulcia lugentium.* Chriſti vultum deſiderare, Dei aſpectum exoptare, cœlum concupiſcere. Suaue eſt in lacrymis, ſuper flumina Babylonis ſedere, & patriam Ieruſalem appellare. Suaue eſt iuſto irrigare terram oculorum imbre, vt imbre gratiæ irrigetur animus. Benè D. *Hom. 4. ad pop Antioch.* Chryſoſtomus, οὐχ οὕτω τὰ σπέρματα καταφερόμενος ὑετὸς θάλλειν ποιεῖ καὶ αὔξεσθαι, ὡς τὸν τῆς εὐσεβείας σπόρον αὔξησι καὶ παρασκευάζει κομᾶν ὁ ἐκ τῶν δακρύων καταφερόμενος ὑετός. Non ſic ſemina demiſſus imber germinare & creſcere facit, vt pietatis ſemen excitat, & vernare facit ex lacrymis ruens imber. Quis negabit à *Rogus peccatorum à lacrymis extinguitur.* iuſtis viris magnam percipi lætitiam, dum rogum peccatorum extingunt, non multis aquis, ſed lacrymis? Quis neſcit periculo-

ſiſſima

ſiſſima à peccatoribus excitari incendia flagitioſiſſimis ſceleribus & grauiſſimis vitiis, quæ totum terrarum orbem ſuis flammis delerent, niſi ſanctorum lacrymæ occurrerent. Benè S. Chryſoſtomus, σϐέσωμεν τὴν πυρκαϊὰν τῶν ἁμαρτημάτων, οὐχ ὕδασι πολλοῖς, ἀλλὰ μικροῖς δάκρυσι. πολὺ τὸ πῦρ τῆς ἁμαρτίας, καὶ ὀλίγῳ δακρύῳ σϐέννυται. τὸ γὰρ δάκρυον σϐέννυσι πυρκαϊὰν ἁμαρτημάτων, καὶ ἀποπλύνει δυσωδίαν ἁμαρτίας. Rogum peccatorum extinguamus, non iam aquis multis, ſed paruis cum lacrymis: multus enim peccati ignis, atque modica extinguit eum lacryma. Nam lacryma rogum extinguit, & fœtorem delicti abluit. Quòd ſi ille gaudio triumphat & ſibi gratulatur, qui magnum aliquod vrbis incendium extinxit, ſique ſit illi non mediocris conſolatio, quòd ciuitati legitimam fletus anſam ademerit: quantò potiori iure viri iuſti gaudent, ſibique gratulari poſſunt, quòd luctuoſiſſimum humano generi rogum extinguant ſuamet induſtria, ſuis impenſis, ſuis lacrymis, quantóque maius ſolatium inde iis fas eſt percipere, qui cauſam tanti luctus, tantæque iacturæ bonorum amouerint. Quodnam poteſt eſſe ſolatium dulcius, quàm κλαῦσαι

Hom. 7. de pœnitentia.
Rogus ſcelerũ. pyrra vitiorũ.

Multus peccati ignis lacrymis extinguendus.

Argumentum à minori ad maius.

Flere ad gloriam Dei suaue est. καὶ λυπηθῆναι flere & dolere εἰς δόξαν θεοῦ ad gloriam Dei, vt os aureum eloquitur. *Hom. 23. in eos qui nouil. obseruant.* Certum est nihil esse dulcius lacrymis; iustorum aliàs est nectaris potio, aliàs lactis dulcedo, aliàs virtus balsami, aliàs vini *Lacryma iustorum varia.* vbertas, aliàs suauitas olei, aliàs niuis refrigeratio, aliàs lauacrum fragrantium herbarum succis, florumqne odoribus compositum.

In cœlo meßis vberrima Lugentium.



Iri iusti, qui hoc in mundo lugent, rectè cum agricolis comparantur. *Lugentes cum agricolis comparantur.* Quandiu viuunt, satus dant terræ lacrymarum, postea futuri in cœlo lectissimarum messores frugum. De illis sanctus Dauid, οἱ σπείροντες ἐν δάκρυσιν, ἐν ἀγαλλιάσει θερίουσι. Qui semi- *Psal.* *Satores lacrymarum.* nant in lacrymis, in exultatione metent. Ita est, lugentes sancti, quotidie serunt bonos sermones, serunt bona opera, serunt bonas cogitationes, in lacrymis serunt prælucendo cæteris; faces accendunt virtutum, & in luctu multùm laborant.

Continuò semina lacrymarum terræ *Semina lacrymarum.*
mandant, & quod mirum est, à terræ
gremio fruges non expectant, multò minus repetunt: sed à cœlo messem sperant. *A cœlo messis.*
Neque falluntur, cœlum magno cum fœnore semen non acceptum, sed probatum, reddit ampla cum vbertate. Loco lacrymarum, gemmas reponit: loco fletus, gaudium: loco imbrium, cœli chrystallum: loco sudoris, nectar voluptatis: loco laboris, quietem: loco seminis, fructum. Tantæ *Bona messis.*
virtutis est vna lacryma, vt centum mar- *Lacryma frugifera.*
garitas in cœlo pariat: tam boni geminis, vt ex se fundat quamplurimos vniones: tantæ feracitatis; vt non modo gemmas progignat, verùm etiam pretiosos quosque lapides, è quibus coronæ contexuntur, & exornantur lugentium. Pulchrum est *Spectaculum.*
spectaculum, intueri agricolas, dum terram perstringunt aratro, dum agros excolunt, semen occatæ terræ tradunt, sudant, algent, æstuant, vehementer laborant: at pulchrius, dum luxuriantem & maturam segetem colligunt, messem faciunt, manipulos componunt, aceruos conflant, plaustra frugibus onerant, domum reuehunt in aream, deinde in horreo recondunt, partis denique cùm lætitia frugibus vtuntur.

Gratum lugentium cœlitibus spectaculum.

Gratum quoque spectaculum est, maximè cœlitibus, cum viros iustos ferentes lacrymas spectent; gratius, cum laboribus minimè cedere videant: gratissimum, cum vberrimos fructus colligere intueantur. De hoc spectaculo, deque aurea illa messe sacer Vates: Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Bellè ἔκλαιον βάλλοντες τὰ σπέρματα αὐτῶν, dum seminatur, spes est de futura segete, quam spem comitantur lacrymæ: Bellè etiam, αἴροντες τὰ δράγματα αὐτῶν, nimirum ἐν ἀγαλλιάσει: dum feruntur manipuli, præsto est lætitia, præsens est exultatio, (vt loquar cum Propheta.) Aurea est ista messis, gemmeis debita lacrymarum fontibus: longè est nobilior ætatis aureæ frugibus aureis. Hi sunt manipuli terræ viuentium, quos lugentibus cœlum tribuit. Hæc est felicitatis seges, lautior segete Cereris, lautiorque Triptolemi. Sunt veritatis manipuli τὰ τῆς ἀληθείας δράγματα, teste S. Athanasio, quia quod promisit Deus, tribuit lacrymantibus: promisit solatium æternum, æternum retribuit. Iustus est meritorum exactor, &

Psal. 125.

Aurea messis lacrymarum.

In illud Euang. quicunque dixerit.

prœmiorum largitor: ferenti iusto lacrymas, gaudia rependit: semini respondet fructus.

Semini respondet fructus.

Mirificus erit fructus lacrymarum: cum apud mortales implerint oculos dolore, apud cœlites implebunt os gaudio, linguam triumpho. Tunc (ait Psaltes regius) ἐπλήσθη χαρᾶς τὸ στόμα ἡμῶν, καὶ ἡ γλῶσσα ἡμῶν ἀγαλλιάσεως, impletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Silebunt in cœlo lugentium oculi, & ora quæ obmutescebant, cum satis altè vociferarentur oculi voce lacrymarum, eo tempore aperientur, & mutis oculis, laudes Dei persequentur, & tubarum sonis clarius personabunt: nec plectra linguarum conticescent, sed tota erunt in perstringenda sancti Spiritus lyra. Hæc erit quoque lacrymantium messis, in vberiori laudum carmine. Satores lacrymarum ad breue tempus seminarunt, colligent verò fructus ad omnem æternitatem. Semen lugentium non est tanti pretij, at fructus eorum maximi. Quid leuius lacryma? Quid pretiosius, maiusque, lætitia beatitudinis? Semel seminarunt, aut iterum, & tertiò, nihilominus perpetuam colligent messem. Semper beati lugentes reperient quod metant. Cœle-

Mysterium lacrymarum.

Psal. 125.

Æterna sunt oculorum & linguæ vices in loquendo.

Seritur cito lacryma: perennior est fructus.

Cœleſtis terra feraciſsima.

ſtis terra non eſt terrarum agris ſimillima, qui ſemel in anno, ad ſummum, fundunt fruges: perpetuò viret, floreſcit, baccas gignit & fructus perpetuò. Eam ob rem perpetua eſt meſſis, quæ fit ſine labore, ſine ſudore, ſine æſtu, ſine ſiti, ſine angore.

Meſſis perpetua.

In ſemine labor.

In fructu quies.

In ſemine totus adhæſit labor, ſudor fluxit, æſtus viguit, ſitis arſit, angor pupugit: in fructu quies, & otii dulcedo. In radice lacrymantis ſtirpis tota manſit acerbitas, in eius bacca tota hęret ſuauitas. Verè dixit ſanctus Vates, vaticinando ſtatum poſt hanc vitam beatorum lugentium, ἐμεγάλυνε κύριος τοῦ ποιῆσαι μεθ' ἡμῶν, ἐγενήθημεν εὐφραινόμενοι, Magnificauit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes.

Pſal. 125.

Dei magnificentia in lugentes.

Equidem cum lugentibus benignè admodum & magnificè Deus agit, qui eorum luctus in ſingularem animorum lætitiam commutat, qui tam liberaliter eorum labores compenſat, qui ſemen lacrymarum in vberem gaudiorum meſſem adoleſcere facit. Nemo mortalium tanta vtitur magnificentia in ſubditos, nemo vel Imperatorum, fuit adeò liberalis in ſuos: ſolius Dei eſt tenuiſſimos labores & ſudores humanos, ampliſſimis afficere præmiis. Ecquis beatos impoſterum non prædicet de-

Beati lugentes.

ditos luctui Christi seruos? Quis non felices lacrymas commendet, cum tantam bonorum copiam procreent? Quis non libenter posthac hoc in breui vitæ curriculo hoc semen lacrymarum serere velit, siquidem tam vberes prouentus efficiat? Quicunque est sui perstudiosus emolumenti, stimulis non indigebit, cum viderit paucis lacrymulis terram irrigari non ingratam, imò summę felicitatis & perennis feracissimam immortalitatis. Beata igitur lacryma, cui cum multo fœnore cœlorum messis rependitur.





QVARTA
CLASSIS

Esurientium & sitientium Iustitiam.

Expositio iustitiæ.



D quartam progredimur Classem, in qua iustitiam, cœli Magister docet, eamque diuinis laudibus extollit. Illius vim & naturam discipulis explicat, effectus notat, adiuncta obseruat, insignia demonstrat, necessitatem indicat, emolumenta profert, honestatem subiicit.

Arcana iuris.

Grandia sanctioris iustitiæ mysteria euoluit, meliusque, tam Philosophis, quàm Theologis, de summo iure disputat.

Iustitia distributiua & commutatiua.

Arist. ἠθικῶν δ´.

Aperit vtriusque iustitiæ, τῆς τε ἐν ταῖς διανομαῖς, καὶ τῆς ἐν τοῖς συναλ-

λάγμασι munia, subtilius Mathematicis: primæ tribuit Geometricam proportionem, secundæ verò analogiam Arithmeticam. Æquissimus omnium mortalium pulchrè differit de ipsa æquitate, qua Christianus homo instructus, Deo reddit quæ Dei sunt: sibi, quod suum est: proximo, quod charitas postulat, ratio euincit. Huic classi præsidet omnis assertor iuris, propugnator acerrimus æquitatis, qui nihil aliud in terris legit, quàm quod in cœlis. Ille ipse est, qui iniquos diuinæ gloriæ vsurpatores Angelos è cælo deiecit, è terrestri paradiso primum hominem expulit, cum in aliena iura, nimirum sui conditoris, inuolaret. Qui à mundi incunabulis cœlestis Iurisconsultus fuit, quiue in omni loco iustitiam docuit. Hoc in lyceo iustitia mirum in modum efflorescit, sub vmbra Doctoris quiescit, illum audit attentè, beneuoléque iacet ad pedes ferreis vincta catenis iniquitas, refulgent iuris arma, hinc ensis, illinc libra, quæ stellis distincta, suam satis clarè declarant originem. Hæc symbola vernum supremæ iustitiæ notant imperium, quod ad terras Christus sol iustissimus euocauit. Hoc verno æquitatis regno, quotquot sunt Christi auditores, perfruuntur.

ἀναλογία γεωμετρικὴ καὶ ἀριθμητική.

Proportio Geometrica & Arithmetica.

Triplex ramus iustitiæ.

Vindex æquitatis cæli magister Christus.

Floret iustitia. Iacet iniquitas.

Arma iustitiæ.

Symbola iuris.

Discant mortales à Christo iustitiam.

Adeste gentium Rectores, & à Christo cœlestis iuris Magistro, iustitiæ munera addiscite. Adeste populorum duces, & vim legum recognoscite. Adeste iudices, & momenta libræ penditote. Adeste magistratus, & quid diuini iuris ratio postulet, videtote. Adeste vrbes & imperia, & quod vestro conditori debetis, reddite. Nemini huius Classis aditus prohibetur, communis est iustitiæ lectio, omnis ansa prætexendæ excusationis è medio tollitur.

Gratis docetur iustitia.

Gratis docet cœlestis Magister, non humana ducitur specie, legem iustitiæ promulgat omnibus obseruandam, idcircò vult, vt ad vnum omnes se diuina iura interpretantem audiant.

Ars iuris potissima.

Nulla ars iuris scientia potior est, nulla ad incolumitatem animæ vtilior: quòd necesse sit homini Christiano, tria exequi ritè munia, vt salutem consequatur.

Tres partes iustitiæ.

Faciendum est Deo satis, sibi, & proximo: sine iustitia ista fieri nequeunt, quomodo fient, si ne quidem de nomine nota sit illa virtus, & certè tanti est momenti illius cognitio, vt Philosophus asserat, κρατίστην τῶν ἀρετῶν εἶναι δικαιοσύνην, omnium virtutum iustitiam esse nobilissimam.

Cap. 1. lib 4. ethic.
Virtus excellentissima.

Addit, non esse tam admirandum Luciferum diei internuntium, neque

Iustitia est alter phosphorus.

veſperum noctis interpretem, (quod communi fertur adagio) quàm eſt admiranda iuſtitia, quæ eſt inſignis ſtella, (& vt loquar cum aſtrologis) primæ magnitudinis. *Stella primæ magnitudinis.* Quàm grata ſit iuſtitiæ cognitio, quàm grata lux noui Phoſphori, vidit Ethnicus: non videbit Chriſti diſcipulus? quàm ſit amabilis ſol iuſtitiæ? quàm iucundum diuini iuris lumen, & oraculum?

Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.



Anctorum Patrum hac de beatitudine ſententias aperiamus, vt clariùs poſtea de fame & ſiti iuſtitiæ diſſeramus.

Non ignorant viri iuſti, iuſtitiam eſſe *Iuſtitiæ definitio.* quandam animi habitudinem, quæ vnicuique, quod ſuum eſt, tribuit: ſed cum videant hoc in vitæ decurſu, iſtud non perfectè compleri, eo quòd Deus non ſit omnia in omnibus, abſolutiſſimæ opus iuſtitiæ vehementiſſimo quodam animi ardore concupiſcunt, vt Deo, ſibi, & proximis

planissimè satisfaciant. Et ita verum est, quod ait glossa ordinaria: Amatores veri boni, quibus non satis est, quod iusti sunt, sed semper sitiunt opus iustitiæ.*. Illi etiam ab authore iustitiæ beati renuntiantur. Apposite philosophatur B. Chromatius, dum acutè animaduertit, iustitiam non esse leui quodam desiderio peroptandam, sed ardentissimo: Non facili, ait, desiderio, nec leui cupiditatis ardore expetendam à nobis esse iustitiam docuit: siquidem hos beatos esse significat, qui ad eam consequendam esuriendi ac sitiendi modo, interni desiderij cupiditatibus inardescunt, quia, si eam vnusquisque nostrum esuriens, ac sitiens desiderio concupiscat, non potest aliud semper, quàm iustitiam cogitare, iustitiam quærere, quia esuriens, ac sitiens necesse est id quod sitit atque esurit, concupiscat. Et paulo pòst quam iustitiam debeamus intelligere, exponit: Illam vtique iustitiam fidei, quæ Dei & Christi est, de qua & Apostolus retulit: Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt. Vel certè ipsum Dominum ac saluatorem nostrum, qui secundum Apostolum, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio factus est, cuius deside-

In loc. Math. *Amatores veri boni.*

Beati sitientes opus iustitiæ.

In 5. Matth. Euang.

Non est iustitia leui desiderio exoptanda.

Esuries & sitis magni desiderij indices.

Præclara expositio.

Quæ iustitia? Fidei iustitia. Dei & Christi.

1. Cor. 1.

rio, velut cibi ac potus, modo beati semper exæstuant: secundum quod ipse Dominus per Salomonem testatur dicens ex persona sapientiæ: Qui me manducant esurient: & qui me bibunt, adhuc sitient. Iterum notat, quod obseruare interest: Qui non iustitiam, sed qui iustitiam esuriunt, non scilicet, qui aurum & argentum desiderant, qui diuitias, vel honores sæculi concupiscunt, & qui nunquam terrenis opibus, vel carnis desideriis satiantur: sed ij tales non beati, sed infelices sunt, quia eis non spes promissæ gloriæ, sed damnationis pœna debetur. Idem alibi prȩclarè, Verè enim post pœnitentiam, post luctus & lacrymas peccatorum, quæ alia nascitur esuries, & quæ sitis, nisi iustitiæ? Sicut enim qui caliginem noctis emensus est, iam gestit proximam lucem, & qui choleram amaram digessit, escam concupiscit & potum: sic & mens hominis Christiani, postquam per luctus & lacrymas sua peccata digesserit, iam solam Dei iustitiam esurit, atque sitit .*. Rotundè hunc beatitudinis gradum complexus est nobilis antistes Aquilegiensis.

Christus iustitia. *Eccles. 24.* *Christus cibus & potus.* *Quinam beati? Non iniustitiæ cupidi, nec auri.* *A contrario. Infelices.* *Serm 2. in id. Euang.* *Post luctum, sitis & esuries iustitiæ.* *Egregia comparatio & similitudo.*

Breuiter S. Doctor Hieronymus, Non nobis sufficit velle iustitiam, nisi iustitiæ

In c. 5. Matth. *Velle iustitiam parum est: esurire multũ.*

patiamur famem: vt sub hoc exemplo nunquam nos satis iustos, sed semper esurire iustitiæ opera intelligamus .*. Magnus est numerus eorum, qui ore tenus iustitiam desiderant, at mira paucitas illorum, qui inexplebili cupiditate tātæ virtutis teneantur. Argumentum ingens æquissimi viri est; si continuò montem iustitiæ conscendat, si nunquam se attigisse verticem glorietur, ille est qui intelligit, quid valeat fames æquitatis.

Altissimus est mons iustitia, ad cælum ducit.

S. Ambrosius paucis multa complectitur: Sed quæ est ista fames iustitiæ? qui sunt isti panes, quos esurit iustus? ne forte panes illi, de quibus dictum est, Iuuenis fui, & senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Qui esurit, vtique virium quærit augmentum. Quod autem maius virtutis incrementum, quam norma iustitiæ?

In cap 6. Luc. comment.

Panis iustitia.

Virtutis augmentum iustitia norma.

S. Augustinus in hunc locum celebratæ beatitudinis, mira dicit: Saturari vis. Vnde? si caro saturitatem concupiscit, digesta saturitate, famem iterum patieris. Et qui biberit, inquit, ex aqua hac, sitiet iterum. Medicamentum quod ad vulnus ponitur, si sanauerit, iam non dolet. Quod autem ponitur contra famem, hoc est, esca, ita po-

Serm. 14. lib. homil.

Ioann. 4.

Medicamentū famis esca, sed ad modicum tempus.

nitur, vt ad modicum releuet. Transacta enim saturitate, redit fames. Accedit quidem quotidie remedium saturitatis, sed non ad sanatum vulnus infirmitatis. Esuriamus ergo sitiamusque iustitiam, vt ipsa iustitia saturemur, quam nunc esurimus & sitimus: inde enim saturabimur, quod esurimus & sitimus: interior homo noster esuriat & sitiat, habet enim cibum suum, habet potum suum. Ego sum, inquit, panis, qui de cœlo descendi: habes panem esurientis, desidera & potum sitientis, quoniam apud te est fons vitæ.

Homo interior habet suum cibum & potum.

Ioan 6.

Panis esurientis Christus.

Psal. 35.

D. Leo multa huiusce beatitudinis euoluit opera: Nihil hęc esuritio corporeum, nihil expetit sitis ista terrenum, sed iustitiæ bono desiderat saturari, & in omnium occultorum introducta secretum, ipso Domino optat impleri. Felix mens quæ hunc concupiscit cibum, & ad talem æstuat potum, quem vtique non expeteret, si nihil de eius suauitate gustasset. Audiens autem dicentem sibi propheticum spiritum, gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus, accepit quandam supernæ dulcedinis portionem, & in amorem castissimæ voluptatis exarsit, vt spretis omnibus temporalibus, ad edendam bibendamque iusti-

De gradibus Ascens. serm. 1.

Nec ista fames, nec sitis est corporea.

Fames Domini, ex ipsius gustu oritur.

Psal. 33.

Esus & potus iustitiæ. *Deuteron. 6. Matth. 20. Marc. 14. Luc. 10.* *Dilectio Dei, & iustitia, res eadem.*

tiam, toto accenderetur affectu, & illius primi mandati apprehenderet veritatem dicentis: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Quoniam nihil est aliud diligere Deum, quàm amare iustitiam .*. Egregia prorsus conclusio, nam dilectio Dei, iustitiæ est dilectio: & fames iustitiæ, est fames Dei, sitisque Dei sitis est æquitatis.

Sitis Dei, sitis est æquitatis.

In c. 6. Luc.

Venerabilis Beda in hoc versatur argumento: Quid esurire beati, quid sitire debeant, Matthæus exponit, videlicet iustitiam, apertissimè nos instituens nunquam nos satis iustos æstimare debere, sed quòtidianum iustitię semper amare, immò ardere profectum. Et paulò post, Potest & simpliciter accipi, Beati qui nunc esuritis, qui castigatis corpus vestrum, & seruituti subiicitis, qui in fame & siti verbo operam datis, quia cœlestium tunc gaudiorum habetis vbertate perfrui.

Esurire est corpus castigare.

In cap. 6. Luc. *Præcepta Dei libenter audire & implere.*

Haymonis præsulis perbreuem auscultò sententiam: Iustitiam quippe esurire & sitire, est præcepta Dei libenter audire, & libentius opere implere .*. Quid homine Christiano dignius? Quid iustius? quàm præceptis Domini subditos parere: diuinis obsecundare

obsecundare voluntatibus: Mandata tam affirmatiua, quàm negatiua diligenter obseruare: hoc est esurire iustitiam & sitire æquitatem.

Euthymius mentem in idem Euangelium aperit, dum ait: Similiter quoque esurientes ac sitientes iustitiam beatificauit, siue iustitiam vehementer appetentes: hîc autem simpliciter esurientes, eos videlicet, qui voluntaria esuriunt paupertate, gratóque sustinent animo, qui æternis saturabuntur delitiis.

Fames voluntaria paupertatis.

Author imperfectus in Matthæum. Nunc ergo esurit iustitiam, qui secundùm iustitiam Dei, desiderat conuersari, quod est recti cordis. Sitit autem iustitiam, qui scientiam eius acquirere cupit, quam potest consequi ex studio scripturarum, quod est docilis viri.*. Egregia interpretatio, quòd sit recti cordis, esurire iustitiam: docilis viri, sitire æquitatem. Qui esurit iustitiam, iustus est illius cum hominibus congressus: qui sitit æquitatem, facili negotio illius artem capessit.

In c. 5. Matth.
Secundum iustitiam Dei conuersari.
Sitire iustitiam est scientiam eius acquirere.

S. Bernardus sciebat quid esset fames iustitiæ, cum dicat: Qui esurit, esuriat amplius: & qui desiderat, abundantius adhuc

In festo SS. omnium ser. 1.
Semper crescat desiderium iustitiæ.

Siti iustitiæ respondet vbertas.

desideret: quoniam quantumcunque desiderare potuerit, tantum est accepturus. Imò verò non secundùm imperfectionem modumve desiderij, quoniam, quis donec perfectè habeat, perfectè desiderare non potest: sed nec & perfectè habere, donec perfectè desideret: sed mensuram accepturus est bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem.

Mensura iustitiæ.

In Matth. c. 5. Iusta operari.

Christianus Druthmarus beatos sitientes iustitiam intelligit: qui semper faciunt iustitiam, hoc est, iusta operantur, & semper plus cupiunt facere, & quasi faciendi famem patiuntur .*. Grande est opus, in omnibus rebus iustè agere, iusta exequi. Opus tamen iusti Christiani, & rationi conforme, & gratiæ debitum.

In Euang. videns Iesus.

Eusebius Emissenus (siue alius sub hoc nomine:) Illi autem iustitiam esuriunt & sitiunt, qui sic in obseruanda iustitia delectantur, ac si magnis epulis reficiantur. Vnde psalmista, ait, Beati qui custodiunt iudicium & faciunt iustitiam omni tempore. Hoc audiant reges & principes, hoc audiant potentes & iudices. Hoc & nos audiamus, nos inquam, episcopi & sacerdotes.

Delectari iustitia atque lautis conuiuiis.

Iustitia, proximi dilectio.

Benè Petrus Damianus: Nec hic con-

summationis terminus imponendus, cum perfecta iustitia sit diligere proximum sicut seipsum, & eius excessus libera discretione, & discreta redarguere libertate. Qui enim pro persona quam gerit, non resistit peccantibus, de suo se nouerit silentio esse damnandum. Esurit ergo & sitit iustitiam, qui vitia destruit, construit virtutes, sobrius sibi, iustus proximo, pius Deo. Cuius animam vrit zelus domus Dei, qui cantat cum iusto: Tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. *Perfecta iustitia.* *Psal. 118.*

Quàm præclarè D. Nyssenus hanc iustitiæ famem & sitim exponit, qui non alium huic sacræ mensæ cibum admouet nec potum, quàm quos probauit Chrístus. ποῖα οὖν ἐστιν ἡ βρῶσις, ἧς ὁ Ἰησοῦς τὴν ἐπιθυμίαν οὐκ ἐπαισχύνεται; quis est igitur ille cibus, cuius appetitum Iesus sibi turpem non ducit? ait ad discipulos post habitum cum Samaritana sermonem. Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei: φανερὸν δὲ τοῦ πατρός ἐστι τὸ θέλημα, ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι, nota est Patris voluntas, qui omnes homines saluari vult & ad agnitionem veritatis venire. Igitur si ille nos seruari cupit, & τροφὴ αὐτοῦ γίνεται ἡ ἡμετέρα ζωὴ, vita nostra illius *De beatitud. or. 4.* *Ioann. 4.* *Cibus Christi voluntas patris vera iustitia.* *Æternus pater sitit salutem omnium.*

cibus est, didicimus quis vsus sit eiusmodi animæ habitus. Quis ergo est? πεινάσωμεν τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν: διψήσωμεν τοῦ θείου θελήματος, ὅπερ ἐστὶ τὸ ἡμᾶς σωθῆναι. Esuriamus nostram ipsorũ salutem: sitiamus diuinam voluntatem, quæ est vt nos seruemur.

Diuinæ sitis voluntatis. Fames salutis, fames iustitiæ.

Qua ratione talem nobis parare famem possimus, nunc à beatitudine didicimus. Qui enim iustitiam Dei concupiscit, inuenit id quod expetendum est, cuius desiderium non vno modo eorum, qui per appetitum repræsentantur, expleuit, non enim solum, tanquam cibum, iustitiæ vsum desiderauit: (semiperfectus enim esset, si in hac sola affectione consisteret appetitus: Nunc autem hoc bonum velut πότιμον, quod bibi posset, effecit, vt ardorem æstumque cupiditatis per sitis affectionem indicaret.

Concinna mens.

Quoniam igitur vnus quidem genere cibi pariter & potionis appetitus est, diuersa verò ad vtrumque horum affectio est: vt summum nobis & extremum boni desiderium præscriberet, beatos iudicat eos qui duobus his affectibus, fame simul & siti ad iustitiam mouentur: quasi satis sit idoneum id quod desideratur, vt se vtrique appetitui accommodet, esurienti solidus sit cibus, sitienti gratiam sit potus.

Addit præterea in aureo illo beatitudinis explicatæ filo, per iustitiam, omnem intelligi virtutem: itavt ij qui esuriant & sitiant iustitiam, vniuersas virtutum coronas aueant. οὐκοῦν πᾶσα ἀρετὴ τῷ ὀνόματι τῆς δικαιοσύνης ἐνταῦθα διασημαίνεται: ἧς τοὺς πεινῶντάς τε καὶ διψῶντας μακαρίζει ὁ λόγος. Ergo omnis virtus hic nomine iustitiæ significatur, quam esurientes & sitientes beatos Verbum iudicat, satietatem eorum quæ expetuntur, promittens.

Per iustitiam, omnis virtus intelligitur.

Subtiliter D. Basilius nobis distinguit, adulterinam & spuriam amouendo à vera & innocenti iustitia, famem à fame, & sitim à siti: quia cum sit duplex iustitia, vna nomine tenus, alia vera re, & germana nomine, duplex quoque est fames & sitis. Vna fucata & inanis, alia minimè simulata, sed solida, veraque. ἀλλὰ γνώσεται τίς ἡ κίβδηλος καὶ νενοθευμένη: καὶ τίς ἡ ἀληθινὴ καὶ ἄδολος δικαιοσύνη. Sed cognoscet, quænam sit adulterina & spuria, & quænam vera & sine fraude adolescentia. Prima est mala fames, sitisque deterior: secunda bona est, sitisque melior: primam esurierunt & sitierunt Ethnici satis multi, maximè Philosophi: secundam esuriunt & sitiunt omnes iusti: qui prima laborarunt,

Adulterina iustitia vera opponitur.

Duplex fames, sitisque iustitiæ.

εἰς τὴν ἀρχὴν τῶν παροιμιῶν ὁμιλία.

Mala fames, sitisque deterior.

nunquam satiati fuerunt: qui secunda, semper expleti fuerunt. Non mirum, si guttæ aquæ turbidæ & lutulentæ sitim explere gentilium nequiere ardentissimam effrenatis cupiditatibus: mirumque fuisset aliunde, si sitim iustorum innocentissimam & valde moderatam, ἀληθοῦς καὶ θείας δικαιοσύνης, amnis nobilis non satiasset, imò iustus Oceanus aquarum viuentium non extinxisset. Bonum est sitire illam iustitiam, quæ tantæ est altitudinis, quantæ est mons Dei. De qua Propheta, ἡ δικαιοσύνη σου ὡς ὄρη θεοῦ.

Vera & diuinæ iustitia amnis sitim explet.
Ex ead. hom. D. Basil.

Perbellè D. Clemens Alexandrinus dixit, δεκτὴν παρὰ θεῷ δικαιοσύνην μᾶλλον, ἢ θυσίαν, magis esse Deo acceptam iustitiam, quàm sacrificium. Hæc causa est cur iusti tanto illius ardore flagrent, cur eam summopere appetant, & incredibiliter sitiant.

Lib. 2. stromat.
Sitis iustitiæ potior sacrificio.

D. Laurentius Iustinianus piè differit in hac explicanda beatitudine: Nempe illi esurire & sitire iustitiam dicendi sunt, qui virtutum afflati amore & proficiendi desiderio animati errata corrigunt, amplectuntur ardua, & quæ retro sunt, obliuiscentes ad anteriora se exercendo extendunt, corpus suum fame, siti, frigore, & nuditate

Quinam esuriunt & sitiunt iustitiã?
Lib. de humilit. cap. 10.

conterunt, vigiliis, ieiuniis, laboribus attenuant, nullam sibi, quantum eorum naturæ valetudo admittit, impertientes requiem præ sui dulcedine Conditoris, & adeptione virtutum. Omni quippe tempore in omni negotio custodiæ suę inuigilant, nihil indiscussum, nihil prætermittentes inordinatum, quod à virtutum disciplina discordet. Tanquam acerrimi bellatores aduersariis suis nunquam terga vertunt, nunc cum visibilibus decertantes. Esuriei namque & iustitiæ siti accensi nil se esse arbitrantur, atque nihil rectum agere, quod non sit redargutione dignissimum, tametsi quotidie proficere satagant, sitque eorum conuersatio cæteris norma iustitiæ, religionis forma, sanctitatis speculum, & perfectionis exemplar. In eisdem humilitatis suadente virtute, professores quo sunt ditiores meritis, gradu sublimiores, & feruentiores caritate, eo se existimāt viliores, infirmiores, atque minores. Ex hac itaque humili consideratione sui vehementius inardescunt iustitia saturari ·*· Egregiam D. Patriarcha subiicit tabulam esurientium & sitientium iustitiam, in qua eorum imagines eleganter & concinnè repræsentantur, quæ mirum in modum stu-

Descriptio esurient & sitient iustitiam.

Iustitia saturitas.

diosos iustitiæ recreant. Hos colores, quibus depinxit, non ab alio accepit, quàm à Spiritu sancto, qui fautor est æquitatis amantium.

In Matth. 5. *Iustitia rationalis inimica auaritiæ.*

S. Chrysostomus petit: Quam verò iustitiam? (videlicet esuriunt:) respondet, vtique rationalem istam, quæ ex aduerso auaritię collocatur.*. Breuiter, & multa os aureum complexum est. Nam ij omnes

Mala fames.

qui laborant auri fame, qui honoris, qui cupiditatis: qui terrę dona summè auent, qui voluptatum illecebris, & gloriolę lenociniis capiuntur, qui sitiunt λίχνην καὶ ἀχάριστον κολακεύειν γαστέρα, (vt loquitur Gręcię Theologus) qui voracem & ingratum ventrem demulcent, & abdomini nati sunt: qui esuriunt οἰκίας ὑπερλάμπρους λίθοις παντοίοις διηνθισμένας, καὶ χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ καταστραπτούσας, καὶ ψηφῖδος λεπτῆς διαθέσει, καὶ ποικιλίᾳ γραφῆς, ὀφθαλμῶν ἀπατηλοῖς δελεάσμασι: splendidas domos variis efflorescentes lapillis, & auro & argento fulgurantes, & tenuissimorum situ calculorum, & varietate picturæ, fraudulentis oculorum captionibus. Qui sitiunt (vt ait magnus Nyssę antistes) τὰς πολυταλάντους καὶ φλεγμαινούσας τραπέζας ἑαυτοῖς ἐξ ἀδικιῶν ἑτοιμάζειν, sibi pa-

περὶ φιλοπτωχίας D. Nazianz. *Vana sitis, & rationis hostis.*

Tessellatum opus.

Mala sitis. *εἰς μακαρ: λογ. δ'.*

rare vi iniqua lautas & opiparè instructas mensas : quorum apparatus cœnarum pompa quædam est & ad stuporem ostentatio : qui τοῦ ἀργύρου τὸ ἄχθος ἐπὶ τῆς τραπέζης φροντίζουσι καὶ τοὺς χαλκευτὰς τῆς ὕλης ἀναζητοῦσι, in mensa curam habent argenti ponderis & excusores materiæ requirunt : qui sitiunt πολυταλάντους τρίποδας, πλύνους τε καὶ κρατῆρας καὶ ἀμφορέας, καὶ ἄλλα μυρία, μηδὲν ἔχοντα πρὸς τὴν ἐπιζητουμένην χρείαν κοινόν : pretiosos tripodas, labra, crateras, amphoras & alia sexcenta quæ nihil cum eo, quod vsus requirit, commune habent. Illi omnes non esuriunt rationi conformem iustitiam, ideóque minimè beati, imò infelicissimi.

Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames? Virg.

Esuriunt & sitiunt, verum est, at mala fames, malaque sitis est, quam Christus condemnat, quatenus iustitiæ famem sitimque commendat. Recta est S. Gregor. Nysseni hoc in loco obseruatio : ὥσπερ δὲ κατὰ τὴν αἰσθητὴν ταύτην τὴν τροφὴν ἔχομεν, οὐ τῶν αὐτῶν πάντες ἐφίενται, &c. Quemadmodum autem circa hunc victum qui sensu tangitur, affecti sumus, non eadem omnes appetunt, sed sæpe pro generibus ciborum, sumentium diuiditur appetitus, hic dulcibus delectatur, ille peracria calidaque ap-

Damnatur talis fames talisque sitis.

In 4. Beatit.

Varij sunt hominum appetitus ciborum.

petit, alter ſalſis capitur, alius aſtringentibus delinitur. Sæpe autem accidit vt non vnicuique appetitus cibi innaſcatur ex vtilitate (nam ſi quis habita ratione temperamenti ad aliquod vitium propenſus ſit, is morbum alit propria quadam vi alimentorum :) ſed ſi ea quæ proſint, appetere cœperit, alimento bonam ei valetudinem conſeruante, prorſus in ſanitate viuet. οὕτως καὶ ἐπὶ τῆς ψυχῆς τροφῆς οὐ πάντων πρὸς τὸ αὐτὸ ῥέπουσιν αἱ ἐπιθυμίαι, &c. Eodem modo in animæ quoque alimento accidit, vt non omnium cupiditates ad eandem rem propendeant & inclinent. Nam alij quidem gloriam, aut diuitias, aut aliquem mundi ſplendorem deſiderant, aliis circa menſam exercetur appetitus, alij inuidia tanquam venenato aliquo cibo reficiuntur, ſunt etiam nonnulli, qui id appetunt quod natura honeſtum eſt, εἰσὶν δέ τινες, οἷς τὸ τῇ φύσει καλὸν ἐν ὀρέξει γίνεται. Natura autem bonum ſemper & omnibus hoc eſt, quod non alterius cuiuſquam rei cauſa ſumendum, ſed ipſum propter ſe expetendum eſt, quod ſemper eodem modo ſe habet, & nunquam ſatietate nauſeam parit. Idcirco Verbum beatos ducit non ſimpliciter eſurientes, ſed quibus ad veram

Varij ſunt animarum appetitus.

Varia fames & polymita.

Bona fames.

τί ἐπι φύσει δὲ καλόν.

Quod eſt natura bonum, propter ſe expetendum eſt.

iustitiam propensa est cupiditas. *. Ita grauis ille & sublimis philosophus differit in sacro puluere esurientium & sitientium iustitiam, vbi variam famis & sitis turbam distinguit & euoluit, ne quis decipiatur in germana iustitiæ fame, sitique recognoscenda.

Quænam est ista iustitia cuius desiderio adeò iusti flagrant.



Vditis Sanctorum Patrum sententiis, intellectu est facilius, quænam sit ista iustitia: cuius fames iustos vrget, sitis premit incredibilis. Si quæratur ab Origene, respondebit, quod aliàs scripsit, commentando epistolam ad Romanos, mentemque Diui Pauli explicando: Videtur sanè hîc iustitiam pro omnibus simul virtutibus nominasse, sicut è contrario iniquitatem pro omnibus simul vitiis posuisse .*. Ita de mente Origenis, qui esurit sititque iustitiam, esurit, sititque omnem virtutem: incredibili amore flagrat fidei, spei, chari-

Lib.6.in c.6. ep.ad Rom.

Iustitia, omnis virtus.

tatis: has Theologicas virtutes summopere amat, quibus possessis, longè latéque dominatur æquitas, imperium iustitiæ efflorescit, celebratur administratio. In fame sitique iustitiæ, omnis virtutis fames & sitis includuntur. Pulchrè omnino idem Origenes differit, cum ait: Omnium namque vna est aula virtutum, cuius sibi, iustitiæ nomine, Paulus ianuas postulat aperiri .*. Qui certè cupit ingredi palatium iustitiæ, cupit ingredi omnium virtutum palatium: nec illius cupiditas vna sola virtute circumscribitur, nec illius sitis vnius potu extinguitur. Acutè idem Origenes duas distinguit iustitias, de mente D. Apostoli, vnam quæ ex lege est, aliam quæ ex fide est, de quibus ita ille: Sed vide iustitiarum differentiam & vitarum. Illa enim iustitia Dei, id est, Christus, qui factus est nobis iustitia à Deo, & pax, vide quomodo dicit: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Hæc ergo iustitia non tantùm vitam præbet, sed æternam vitam. Illa verò legis iustitia quam qui fecerit homo, non dixit in æternum, sed tantummodo viuet in ea: Quod finis legis (vt dicit Apostolus) Christus est, nec

In fame sitique iustitiæ omnis virtutis fames includitur.

Loc. sup. cit. Orig.

Vna est omnium aula virtutum.

Iustitia palatium.

Duplex iustitia.

Lib. 8. in ep. ad Rom.

Discrimen iustitiarum.

Christus iustitia.

ipsa quæ ex lege est iustitia, sine Christo adimpleri poterit, quia finem legis Christum non suscipit .*. Ex Origenis ratiocinatione satis patet, eorum esse famem, & sitim vtilem, qui esuriunt & sitiunt iustitiam quæ ex fide est, non autem quæ ex lege. Nam sitire iustitiam ex fide, est Christum sitire, quæ sitis omnium est potissima.

Finis legis Christus.

Sitis Christi potissima.

Si Magistrum Origenis D. Clementem Alexandrinum supra hanc iustitiam interrogemus, dicet sitim iustitiæ, esse sitim, τῆς τε ἐπὶ πᾶσι παντελοῦς ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης, supra omnes omni ex parte perfectæ & absolutæ virtutis, iustitiæ. Et rursus, cum diuidat iustitiam, in eam, quæ est propter charitatē, & eam, quæ est propter metum, duplicem iustitiæ famem & sitim tacitè assignat. ἐπεὶ καὶ ἡ δικαιοσύνη, διπλῆ. ἡ μὲν δι' ἀγάπην, ἡ δὲ διὰ φόβον. Nam iustitia quoque est duplex, vna quidem propter charitatem; altera verò propter metum.

Perfectissima virtutis sitis. Lib. 7. strom.

Duplex iustitia.

S. Athanasius dicit Christum esse ipsammet iustitiam, cuius fames & sitis beatos homines efficit. αὐτοαλήθεια, αὐτοδικαιοσύνη, αὐτοαρετή. Christus est ipsa veritas, ipsa iustitia, ipsa virtus .*. Bonum est esu-

Orat. contra gentes.

Fames Christi optima.

Panis viuus: Fons aquæ viuæ.

Fames Christi corporis & sitis sanguinis, iustitiæ fames & sitis.

rire Christum Iesum, qui est panis de cœlo viuus: bonum est sitire Christum, fontem aquæ viuæ: bonum est esurire Christi corpus, & sitire Christi sanguinem, hoc est reuera esurire, & sitire iustitiam. Non possum, quin sanctos sacerdotes beatos prædicem, qui singulis diebus, hac famè laborant & siti, quæ singularis est iustitiæ, siquidem est panis cœlestis, & vini feracis virginitatis. Esuriunt corpus Domini, & Christi sanguinem sitiunt, quod est absolutissimæ æquitatis. In hoc maximè felices, quòd fames sit iustissima, sitisque, quæ nec suo defraudatur desiderio. Fruuntur enim vberrimis iustitiæ fructibus, cùm Christo, omnis æquitatis origine perfruantur. Hanc Christi corporis, quicunque iustitiam appetit, inter Christianos felix censetur, & celebratur.

Beata fames sacerdotalis.

Hom. de baptismo Christi. Iustitia omnium Dei mandatorum executio.

Si petatur à D. Chrysostomo, quid per iustitiam sit intelligendum, respondebit: δικαιοσύνη λέγεται τῶν ἐντολῶν πασῶν ἡ πλήρωσις: Iustitia dicitur omnium Dei mandatorum adimpletio .*. Qui verè amat iustitiam, eamque desiderat, omnium diuinorum præceptorum absolutionem expetit. Sancta est ista fames, & digna Christiano viro: sancta est ista sitis, & ad cœle-

stia contendenti conuenientissima.

Si consulatur S. Nyssenus, nihil aliud dicet, quàm quod aliàs ipsemet Christus suis respondit Apostolis, cum illum vrgerent vt comederet: φησὶ πρὸς τοὺς μαθητὰς μετὰ τὸν πρὸς τὴν Σαμαρεῖτιν διάλογον, ὅτι ἐμὸν βρῶμά ἐστιν, ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου, ait discipulis post habitum cum Samaritana sermonem: Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei.*. Felix & iterum felix, qui hunc cibum appetit, qui hoc pascitur, qui hoc nutritur, cuius nusquam est fastidium: viuit in sinu iustitiæ beatus, & tranquillo sancti Spiritus fruitur otio: reficit vires cibo diuinæ voluntatis, & ambrosia cœli alitur.

De beatit. or. 4.

Magna iustitia voluntas Dei: magnusque cibus.

Bonus cibus diuina voluntatis.

Cæli ambrosia.

De mente eiusdem S. Gregorij, esurire iustitiam, idem est ac esurire proximi, suique sempiternam incolumitatem.*. Bona fames est iustitiæ, quia fames est salutis, qua laboret omnis homo necesse est, si cœlesti beatitudine frui velit.

Fames iustitia fames salutis.

His verbis D. Leo Papa notat quænam sit natura iustitiæ quam indagamus: Quia ergo dilectissimi sicut Redemptoris nostri magisterio edocti sumus, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei, di-

Serm. 2. de quadrages.

Fames verbi Dei fames iustitia.

gnumque est, vt populus Christianus in quantacunque abstinentia constitutus, magis desideret se Dei verbo, quàm cibo satiare corporeo: Et paulò post, Deliciæ igitur nostræ sint opera pietatis, & illis cibis, qui nos ad æternitatem nutriunt, impleamur. Lætemur in refectionibus pauperum, quos impendia nostra satiauerint. Iucundemur in vestitu eorum, quorum nuditatem indumentis necessariis texerimus. Sentiant humanitatem nostram ægritudines decumbentium, imbecillitates debilium, labores exulum, destitutio pupillorum, & desolatarum lamenta viduarum.*. Isthæc opera pietatis exercere, est esurire vehementer & acriter sitire iustitiam.

Opera pietatis bonus iustitiæ appetitus.

Opera pietatis exercere est esurire iustitiam.

Hanc Christus iustitiam intelligit esurire iustos, quam describit S. Petrus Chrysologus, cum ait: Qui potest celare radios solis, iustitiæ poterit occultare fulgorem. Iustitia lux rerum, conciliis non velatur obscuris. Iustitia cum sibi facto claret, omnes illustrat exemplo: & ibid. Iustitia quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam non requirit, à Deo genita cœlum spectat, in oculis agit diuinis, supernis

Serm. 9. attend. ne iustit. vestram.

Iustitia lux rerum.

Solidus est vera iustitia cibus.

Egregia laus iustitiæ.

supernis virtutibus mixta semper à Deo solo, vt glorificetur, expectat. Sed hæc est iustitia quæ ex Deo est: illa verò iustitia, quæ est hypocrisis, iustitia non est, mentitur oculis, fallit aspectum, videntibus illudit, decipit audientes, seducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit sæculo, Deo non fit, mercedem rapit præsentem, præmium non quærit in futuro, cœcat oculos, cœca ipsa non videns vult videri .*. Nullus vnquam erit beatus, qui huius adulterinæ studio iustitiæ flagrabit: at semper felix erit ille, qui iustitiam quæ ex Deo est, auidissimè concupiscet.

Iustitia ex Deo.

Descriptio falsæ iustitiæ cuius mala fames.

Nemo beatus possessione fictæ iustitiæ.

Rectè notat S. Basilius, quæ sit iustorum fames, quæue sitis, cum eorũ desideria, & inquisitiones obseruat: ἐκέκραξαν οὖν οἱ δίκαιοι, οὐδὲν μικροπρεπὲς, οὐδὲ γήινον, ὐδὲ ταπεινὸν ἐπεζήτησαν: clamauerunt iusti, nihil illiberale, nihil terrestre, nihil humile petierunt .*. Qui petit iustitiam, rem admodum liberalem, cœleste donum, magnificum & præstabile requirit. Talis rei fames erectum & excelsum animum decet.

In Psal. 32.

Fames iustitiæ liberalis, excelsa, cœlestis.

Quicunque sitit iustitiam, illam animi rectitudinem sitit, de qua in Cantico Canticorum, εὐθύτης ἠγάπησέ σε: rectitudo

Iustitia, animi rectitudo.

gnumque est, vt populus Christianus in quantacunque abstinentia constitutus, magis desideret se Dei verbo, quàm cibo satiare corporeo: Et paulò post, Deliciæ igitur nostræ sint opera pietatis, & illis cibis, qui nos ad æternitatem nutriunt, impleamur. Lætemur in refectionibus pauperum, quos impendia nostra satiauerint. Iucundemur in vestitu eorum, quorum nuditatem indumentis necessariis texerimus. Sentiant humanitatem nostram ægritudines decumbentium, imbecillitates debilium, labores exulum, destitutio pupillorum, & desolatarum lamenta viduarum.*. Isthæc opera pietatis exercere, est esurire vehementer & acriter sitire iustitiam.

Opera pietatis bonus iustitia appetitus.

Opera pietatis exercere est esurire iustitiam.

Hanc Christus iustitiam intelligit esurire iustos, quam describit S. Petrus Chrysologus, cum ait: Qui potest celare radios solis, iustitiæ poterit occultare fulgorem. Iustitia lux rerum, conciliis non velatur obscuris. Iustitia cum sibi facto claret, omnes illustrat exemplo: & ibid. Iustitia quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam non requirit, à Deo genita cœlum spectat, in oculis agit diuinis, supernis

Serm. 9. attend. ne iustit. vestram.

Iustitia lux rerum.

Solidus est vera iustitia cibus.

Egregia laus iustitiæ.

supernis virtutibus mixta semper à Deo solo, vt glorificetur, expectat. Sed hæc est iustitia quæ ex Deo est: illa verò iustitia, quæ est hypocrisis, iustitia non est, mentitur oculis, fallit aspectum, videntibus illudit, decipit audientes, seducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit sæculo, Deo non fit, mercedem rapit præsentem, præmium non quærit in futuro, cœcat oculos, cœca ipsa non videns vult videri .*. Nullus vnquam erit beatus, qui huius adulterinæ studio iustitiæ flagrabit: at semper felix erit ille, qui iustitiam quæ ex Deo est, auidissimè concupiscet.

Iustitia ex Deo.

Descriptio falsæ iustitiæ cuius mala fames.

Nemo beatus possessione fictæ iustitiæ.

Rectè notat S. Basilius, quæ sit iustorum fames, quæue sitis, cum eorũ desideria, & inquisitiones obseruat: ἐκέκραξαν οὖν οἱ δίκαιοι, οὐδὲν μικροπρεπὲς, οὐδὲ γήϊνον, οὐδὲ ταπεινὸν ἐπεζήτησαν: clamauerunt iusti, nihil illiberale, nihil terrestre, nihil humile petierunt .*. Qui petit iustitiam, rem admodum liberalem, cœleste donum, magnificum & præstabile requirit. Talis rei fames erectum & excelsum animum decet.

In Psal. 32.

Fames iustitiæ liberalis, excelsa, cœlestis.

Quicunque sitit iustitiam, illam animi rectitudinem sitit, de qua in Cantico Canticorum, εὐθύτης ἠγάπησέ σε: rectitudo

Iustitia, animi rectitudo.

dilexit te. Omninò recti, qui iusti sunt, primam amant rectitudinem, quæ est princeps iustitia, qui Deus est. Benè S. Ambrosius, Æquitas dilexit te, hoc est, non flexuosa itinera te sequuntur, sed solus ad te potest iustitiæ trames peruenire. Quia iustus Dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Et qui eum diligunt, iustos esse necesse est. Id enim significat, Rectitudo dilexit te.

In Psal.118.

Rectitudo dilexit te.

Iusti sitiunt iustum.

Relatio est iusti ad iustum, non tam philosophica, quàm sacra. Rectorum sitis Christi est, qui norma est rectitudinis. Hæc iustitia, quam iusti sitiunt, est fons vitæ, de quo D. Maximus Taurinensis Episcopus: Ipse inquam est fons qui in Euangelio à Samaritana muliere, sicut lectum nuper audiuimus, aquam postulat, sed peccata condonat: aquam putei reprobat, sed fontem vitæ perennis indulget. Ait enim, Omnis qui biberit ex hac sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua quam ego dabo illi, non sitiet in æternum. Aquam ergo Saluator à muliere postulat, & sitire se simulat, vt sitientibus æternam gratiam largiatur. Neque enim poterat fons sitire, neque in quo est aqua viua, poterat vndam terrenæ fæcis haurire. Sitiebat ergo Christus? sitie-

Rectorum sitis, Christi est.

Iustitia, fons vitæ.

Homil.1. de eleemos.

Fons vitæ perennis.

Ioan.4.

Aqua iustitiæ.

Sitis æternæ gratiæ: sitis iustitiæ.

Aqua viua iustitia.

bat planè, non potum hominum, ſed ſalutem ſitiebat: non aquam mundi, ſed redemptionem generis humani.

Reuera iuſti Chriſtum æmulantur, & imitantur, ſitiendo ſalutem animarum, ſitiendo aquas diuinæ gratiæ pellucidiſſimas, ſitiendo proximum cœleſtis regni aduentum, ſitiendo perpetuam in omnibus rebus Dei gloriam.

Sitis iuſtorum conformis ſiti Chriſti.

Qui ſitit iuſtitiam, ſitit multas virtutes, quia multas complectitur vt ait D. Iuſtinianus: Sciendum igitur quòd iuſtitia diuidatur in religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſeruantiam & veritatem.*. Et alibi, Iuſtitia eſt perpetua, & immortalis, iniuſtitia verò mortis eſt acquiſitio. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam (ait Magiſter bonus, Doctor veritatis, & virtus Dei) quoniam ipſi ſaturabuntur.

De ligno vitæ cap. 2. de iuſtit.

Sitis iuſtitiæ, ſitis multarum virtutum.

c. 3 de iuſt.

Iniuſtitia mortis acquiſitio.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Quænam est ista satietas?



Ollicetur Christus iustitiæ fame sitique laborantibus satietatem. De promissione nemo Christianus dubitat, quin certa sit: sed quando implebitur, quoue in loco, ambigitur. Quæritur, vtrùm apud mortales, an apud Superos, fames iustitiæ leuabitur, sitisque æquitatis extinguetur? Si apud mortales, quodnam erit istud leuamen? si penes cœlites, quænam ista satietas? Hoc in mortalium theatro quodcunque futurum est famis solatium, grauioris erit incendium: gradus minoris iustitiæ, ardor est ad maiorem: & in hoc erit leuamentum, quod perfectioris erit initium, quo iustus ad tempus expletur, donec sanctioris æquitatis sidus affulgeat. In cœlesti verò beatarum mentium domi-

Certa promissio.

Hoc in mundo famis leuamen grauioris incendium.

cilio, quæ futura sit æquæ famis, iustæque sitis, satietas, nullus mortalium facilè dixerit: licet dicat iustitiæ studio flagrantibus panem cœli Deum elargitum fuisse, pluisse manna ad manducandum, eos inebriasse ab vbertate domus suæ, & torrente voluptatis potasse: multò minus satisfaciet, si beatam illam satietatem constituat in moly, in loto, in nepenthe, in ambrosia, in nectare, in panacea, in Hesperidum pomis, in palmarum dactylis, in oliuarum baccis, in salgamis, in dulciariis, cupediisque. Apage mihi eiusmodi commentitias, & à Poëtis fictas satietates, quæ locum non habent in beatorum sedibus. Tota illa iustorum satietas ab omni concretione mortalium alimentorum auocatur, & ad spiritalem cibum traducitur, ex cuius vsu & communicatione nascitur sine fastidio saturitas. De hac sanctus Propheta loquitur, cum ait: ἐγὼ ἐν δικαιοσύνῃ ὀφθήσομαι τῷ προσώπῳ σου, χορτασθήσομαι ἐν τῷ ὀφθῆναί μοι τὴν δόξαν σου: Ego in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua. Vbi Antistes Halberstatēsis addit, Contemplatione scilicet sanctæ Trinitatis. Hic est germanus fons, hæc vera origo iustorum saturitatis: nam tunc

Quæ sit in cœlo iustitiæ satietas, non facilè explicatur.

Hom. Odyss.

Purpureo lauit ore nectar. Horat. 2. carm.

Ficta & poeticæ satietates.

In spiritali cibo saturitas.

Psal. 16.

Vera iusti saturitas.

In festo Sanctorum omnium

Origo saturitatis iustor.

Iustorum vera satietas. eorum fames expletur, sitis sedatur, cum sacrosanctam Triadem contemplentur: hinc sine tædio satiantur, & satiati feliciter viuunt. Quod si regio Vati placuerit æternam gloriam æternę saturitatis matrem appellare, præclarè omninò est elocutus: *Æterna gloria parens iustorum saturitatis.* cum ipsa gloria famem iustorum, sitimque expellat, iisque planè satisfaciat, bonorum omnium copiam subministrando. Verè *Gloria satietas est.* iustorũ cœtus gloria vescitur, gloria recreatur, gloria illustratur, gloria satiatur. Beata *Beata fames. Beata sitis.* fames, quę tam exquisito cibo reficitur: beata sitis, quę tam lauto potu recreatur. Cui sancta Trinitas cibus est, cui potus, quomodo esuriret? quî sitiret? quomodo *In c. 5. Matt. Omnis boni satietas.* non esset verum, quod ait Euthymius de iustorum saturitate, Saturabuntur autem, omni videlicet bono? Ita est, quia Deo satiabuntur, qui omne bonum est.

In Matt. Magna Dei liberalitas. S. Chrysostomus ad hæc verba, Quoniam ipsi saturabuntur, scilicet largitate remunerantis Dei, quoniam maiora erunt præmia Dei, quàm sanctorum desideria.*. Licet iustorum fames, quoad iustitiam, ingens fuerit, licet sitis ardentissima: nihilominus Deus infinitis partibus, illam compensatione bonorum superabit. Neque vn- *Præmium vincit desiderium.* quam tantum fuerit iustitiæ studium, quan-

tum erit liberalitatis præmium.

D. Bernardus hîc exclamat, ô verè felix & gloriosa satietas, ô sanctum conuiuium, ô desiderabiles epulę, vbi nimirum anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium, quoniam satietas summa, & summum inerit desiderium! *Satietas summa cum summo desiderio.*

Venerabilis Beda de saturitate iustorum loquens, monet hîc non esse expectandam: Cuius (iustitię) perfectam saturitatem non in hoc sæculo, sed in futuro posse prouenire supernorum desiderio Psalmista flagrans ostendit, cum ait: Ego autem cum iustitia apparebo in conspectu tuo, satiabor, dum manifestabitur gloria tua .*. Idem confirmat Haymon episcopus, Tales enim saturabuntur, quando ad videndum Deum, cuius hîc mandata cum magna mentis esurie susceperunt, perducentur. *In Luc.* *Saturitas in futuro sæculo.* *In cap. 6. Luc.* *Visio Dei satiabit iustos.*

D. Augustinus breuiter, & eleganter: Præceptum est, vt esurias & sitias iustitiam: præmium vt satureris. *In Euang. S. Matth.* *Præmium est saturari.*

Paucis multa complectitur Druthmarus: Isti saturabuntur de ęternis bonis, quę oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quę pręparauit Deus diligentibus se .*. Vbi videre est iustitiam *Bona iustitiā sitientium infinita.*

esurientium & sitientium infinitam omnium bonorum multitudinem, & incredibilem satietatem.

Psal. 33. *Nulla est inopia iustorum.*

Rectè cecinit sacer Vates, Quoniam non est inopia timentibus eum .*. Quomodo esset inopia iustitię amatoribus, cum Deus in eos conferat, plena manu, omnia bona cœlestis Ierusalem, è quibus oritur integerrima satietas? Ibidem, idem propheta, benè notat inquirentes Dominum, (siue esurientes Dominum & illius iustitiam) nullis egere bonis. οὐκ ἐλαττωθήσονται παντὸς ἀγαθοῦ, non minuentur omni bono, quia perfectè satiabuntur. Vbi præclarè S. Basilius, τὸ παντέλειον ἀγαθὸν, αὐτός ἐστιν ὁ θεός. οὗ οὐκ ἐλαττωθήσονται πάντες οἱ ἐκζητοῦντες αὐτόν. omnibus suis numeris absolutum bonum ipsemet est Deus, quo non priuabuntur, qui inquirunt illum. Quare non tanto bono, qui sitiunt iustitiam, carebunt: καὶ τῆς αὐτοῦ τοῦ ζητουμένου καταλήψεως οὐκ ἠλαττοῦντο, οὐδὲ τῶν ἀποκειμένων ἐν τῇ αἰωνίᾳ ἀναπαύσει ἀγαθῶν ἐστερήθησαν. Et quęsiti (Dei) comprehensione non frustrabantur, neque asseruatis reconditisque in perpetua quiete bonis orbati sunt .*. Ita Deus semper egit, agitque, & imposterum aget cum iustis,

In λγ. Psal.

Summum bonum Deus παντέλειον ἀγαθόν.

Recondita cæli bona iustitia famem sedant.

eorum fami, ſitique faciet ſatis, votiſque obſecundabit, ſatiabit bonis, quæ nullum creant vnquam faſtidium: & donec complet eorum deſideria, ſemper illos intuetur, & ad eorum preces attendit, iuxta illud propheticum, Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.

Attendit Deus ad famem iuſtorum vt eam leuet.

Si quæratur à S. Gregorio Nyſſeno, quæ ſit iſta ſatietas quam Deus promittit, in primis reſpondebit eſſe ſaturitatem, cuius vi & ſatietate accenditur appetitus, non verò hebeſcit: πλησμονὴν ἐξάπτουσαν κόρῳ τὴν ὄρεξιν, οὐκ ἀμβλύνουσαν. Deinde virtutibus ſuam quoque tribuit ſanctam ſatietatem, quod ex his verbis videre licet, cum dicat, Beatus eſt igitur qui eſurit continentiam, implebitur enim puritate: μακάριος οὖν πεινάσας τὴν σωφροσύνην, ἐμπλησθήσεται γὰρ τῆς καθαρότητος. Accedit, quod dicat veram ſatietatem iuſtos recipere, quando Deum recipiunt: τῷ ὄντι γὰρ ὁ γευσάμενος τοῦ κυρίου, καθὼς ἡ ψαλμῳδία λέγει, τουτέστιν, ὁ ἐν ἑαυτῷ δεξάμενος τὸν θεὸν, πλήρης γίνεται οὗ ἐδίψησέν τε καὶ ἐπείνασεν, κατὰ τὴν ὑπόσχεσιν τοῦ εἰπόντος. Nam reuera, qui Dominum guſtauit, vt Pſalmodia dicit, hoc eſt, qui in ſeipſo Deum recepit, expletur eo, quod & ſitiuit

Satietas ſine ſatietate.

Saturitas virtutis.

Pſal 16.

Expleri Deo, cuius ſitis fuit, ingens eſt voluptas.

& esuriuit, iuxta promissionem eius, qui
Ioan 4. dixit, Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus, videlicet, Spiritu sancto prius inhabitante. Ita mihi videtur etiam magnus ille Paulus, qui arcanos illos paradisi fructus degustauit, & plenus eorum, quæ gustauit, semper esuriens esse: *D. Paulus Christo plenus, & Christum esuriens. Gal. 2.* etenim plenum se eius esse quod desiderabatur, fatetur, dum dicit, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ χριστὸς, viuit autem in me Christus: & tanquam esuriens, semper præteritis omissis ad vlteriora aspirat, dum dicit: οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, ἢ ἤδη τετελείωμαι, τρέχω δὲ ἵνα καταλάβω: non quod iam ceperim, *Philip. 3. D. Pauli exemplum sitientis iustitiam & ἀμωσγέπως satiati.* aut iam perfectus sim, curro autem vt assequar & comprehendam .*. Ex hac doctrina intelligitur etiam hoc in humano concessu, dari famem diuinam, & postea satietatem, illaque reciprocari, donec exuatur anima mortali corpore, vt sempiterno æuo perfruatur. Interim clamat cum
Psal. 41. Dauide: Sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Vt nimirum famem iustitiæ, sitimque Domini mitiget, cibo, potuque æterni boni, vbi reperitur omnium votorum, sanctorumque desideriorum absoluta satietas. *In cælo reperitur tantum extrema bonorum satietas.*

Piè clamat D. Laurentius Iustinianus: Sectemur itaque iustitiam, per quam ad æterna gaudia pertingitur, iuxta Psalmographi sententiam dicentis, Iusti epulentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia .*. Placatur fames ibi iustitiæ, & satietas sequitur vltimæ felicitatis. Quis iam nolit ad breue tempus esurire iustitiam, sitire gratiam, cum videat immortalem promitti cibum, perennem potum, bonorum omnium summam vbertatem? Quis nolit flagrare amore Christi, & continuo eius ardere studio, cum sit ipsamet summi patris iustitia, quæ ad omnem immortalitatis memoriam, iustos sui peramantissimos alit, fouetque communicando vnicuique (quantum satis est) cœlestis gloriæ beatitudinem? Quis non iudicet illos esse longè feliciores, qui semper vixerunt in fame, sitique æquitatis, quàm qui in summa rerum omnium copia, iustitiæ hostes, vitam duxerunt omni voluptatum genere refertam: cum post mortem isti omni specie boni priuentur, omnesque subeant calamitates: illi verò vniuersis huiusce vitæ incommodis liberentur, & ad æternam bonorum omnium sedem transmittantur? Quis non hanc famem pluris æsti-

De iustit. in lig. vita c. 3.
Per iustitiæ gradus itur ad satietatem bonorum.
Psal. 67.

Protrepticon ad sitim iustitiæ.

mabit cibis diuitum? hanc sitim, potionibus regum? Tali fame sitique pressus, amator iustitiæ cœlum scandit, beatitatem obtinet, in album beatorum ascribitur, satiatur Deo. Quid maius fingi potest, aut excogitari? audet sitis iusti, de Christi latere haurire, quo sedetur. Quidnam vocabitur satietatis nomine, in quo nihil amplius requiritur, si iustorum singularis refectio, saturitas non vocetur, vbi Deus alimentum est?

Vbi Deus cibus est, ibi æterna satietas.

Vbi Deus, ibi omnis Satietas.



Nus è sapientissimis hominibus, hanc veritatem non modò rectè intellexit, sed etiam vsu ipso expertus est, cum exclamet, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quæ potest autem in re vana & inani esse satietas? At omnia quæ sunt infra Lunam, vana sunt & futilia, de mente Sapientis, de ratione veritatis, de cœlesti oraculo. Veruntamen vniuersa vanitas, omnis homo. Quod si res omnium inferiorum potissima homo,

ματαιότης ματαιοτήτων, τὰ πάντα ματαιότης. Ecclesiast. 1.

Vana quæ sub sole sunt omnia.

Ps. Dauid. Homo, vanitas.

vanitas est, quid de reliquis erit censendum, haud obscurum est. Vbi igitur hominis fames sedabitur? vbi sitis extinguetur? vbi satietas reperietur? nam si omnia vana sint, quæ Soli subiacent, nullo modo hominis appetitum explere possunt. Aut dicendum est, naturalem animantis famem rebus pictis, vel commentitiis, posse satiari: quod nemo vel mediocriter sapiens dixerit. Quid laboras mi homo, (ait orator Christianus) cum lautas ædes, magnifica palatia construis, cum varia supellectile instruis, cum facis vt auro trabes vestiantur, argento niteant, gemmis colluceant, parietes conchyliatis peripetasmatis induantur, emblematis exornentur, pauimenta tessellis distinguantur, & vermiculatis? satietatem quæris, quam non inuenies, cum in eiusmodi domiciliis versari non soleat. Quid desudas? honores ambis? magistratum quæris? vis fieri ædilis? vis esse prætor? vis assequi consulatum? cogitas de administratione prouinciæ? dominationi studes? clauum reipublicæ affectas? currum triumphalem conscendis? coronam regni prehensas? imperas? in motu sceptri, in colore purpuræ, in orbe dia-

Vbi satietas.

Fames non leuatur rebus pictis.

Insana substructiones, vanitas.

Honorum grandus, vanitas.

Gradus honorum, vanitas.

dematis, extremam indagas voluptatem animi, quam nunquam reperies, cum ista fugiat, quantum potest. Quid moliris? cum genio indulgeas: cum corpus adeò studiosè cures: nutris (quod fertur) ambrosia & nectare, molliter cubas, dormis molliter, molliter accumbis, viuis opiparè, lautè cœnas, vestiris splendidè, ludis ad libitum, vacas corruptæ naturæ lenociniis, totum te otio tradis, quo diffluis; voluptatibus litas, omnibus blanditiis illiceris, quibuslibet sensuum illecebris constrictus teneris: dices tandem te sitim extinxisse cupiditatum? Minimè gentium: ibi nusquam sedatur sitis, vbi semper de nouo excitatur, & vehementius incenditur. Quid inuestigas in robore, quid in pulchritudine, quid in sanitate, quid in bonis corporis, appetitus quietem? nonne vires franguntur? nonne fugit formæ splendor & dignitas? nonne valetudo turbatur? nonne bona corporis pereunt? ibi non quiescit appetitus, vbi perpetuus est cupiditatis motus. Quid tantopere te conficis vir literate? cur ita angeris, in capessendis ingenuarum artium disciplinis? in tentandis rerum su-

Luxus & voluptas, vanitas.

Flos venustatis vanitas.

blimium arcanis? helluo librorum es, profana non ignoras, sacra perdiscis, nouas notiones veteribus quotidie adiungis, tantum abest, vt sitim expleas, vt illam augeas; tantum abest, vt quiescas, vt laborem labori addas: vbi viget labor, ibi nulla est quies: vbi nulla quies, ibi nulla satietas. Quid te decipis virtutis studiose, qui in adeptione virtutis moratæ summum animi bonum constituis? est tibi factum satis, credo, si aliquam nactus sis prudentiæ famam, aut nomen fortis, aut iusti, aut temperantis inueneris. Crede mihi, nulla res creata alterius rei creatæ famem explere potest. Non est hîc quærenda satietas, cum rerum humanarum status sit omni ex parte vanus & labilis. Quærenda est in Deo, qui solus est, qui famem iustitiæ, sitimque sanctitatis implere potest. In hoc vno vera reperitur & absolutissima satietas, in quo vniuersorum bonorum mirabilis vbertas reperitur. Quid desideratur, quod non sit in Deo? quid esuritur, quid sititur, quod non habeat Deus? Esuris virtutes, Deus est omnis virtus: sitis scientiam, Deus est omnis sapientia: esuris potentiam, Deus est omnis potentia:

Literarum cognitio vanitas.

In virtutib. moralib. non stat vltima satietas.

Nulla res creata hominis cor explere potest.

Deus meus & omnia. S. Francisc.

Solus Deus homini satis est.

In Deo omnia.

sitis bonitatem, Deus est omnis bonitas: esuris gloriam, Deus est omnis gloria: sitis gratiam, Deus est author gratię: esuris opes, sitis honores, Deus est opum & honorum diribitor: læta quæris, Deus est origo lętitiæ: sancta cupis, Deus est fons omnis sanctitatis. Fames, cibus est: sitis, potus est: friges, calor est: æstuas, refrigeratio est: nudus es, vestis est: erras, via est: periclitaris, asylum est: times, fiducia est: defatigaris, quies est: doles, medicina est: luges, gaudium est. In illo omnis est voluptas, qua recreatur laborantis animus: in illo omnis desiderij satietas, sine vllo tædio: in illo omnis appetitus quiescit, nec habet, quò pergat vlterius. Quandiu viuimus, tandiu esurimus, tandiu sitimus: in hoc differt vita vnius à vita alterius, quòd vna sit fames terræ, alia fames cœli: vna sitis hominis, alia sitis Dei: vna mundi bonorum cupiditas, alia cœlestis gloriæ: vna vana est, altera non aberrat à scopo. Prima classis est auarorum, secunda est in Deum liberalium: primi nunquam satiantur, neque in hac vita, neque in futura, nam quoad commutabilia pecuniæ

Quantum bonum Deus.

Vita nostra, continua fames, continua sitis.

Classis auarorum malè esurientium.

turiæ membra, quæ hîc possidentur,

Crescentem sequitur cura pecuniam:
Maiorumque fames: *Horat. 3. Carm.*

Nec vnquam satis est: quoad vitam, quę huic succedit multò est calamitosior, multoque minus reperitur satietas, nisi cruciatuum. Secundorum sunt beatæ sortes, fateor, hîc dum viuunt esuriunt & sitiunt, sed iustitiam, sed æternam beatitudinem, sed ipsum Deum: hîc licet non satiantur, nihilominus tantùm reficiuntur & recreantur, quantum abunde est, ad peragendum in sanctis desideriis reliquum vitæ cursum, donec ad beatam Dei ciuitatem aspirent, vbi plena erit satietas, quæ vota iustorum complebit. Hoc veritatis oraculum concludo verbis in Ecclesiasten S. Nysseni aureis (vt stet in Deo duntaxat esse satietatem, in omnibus rebus aliis minimè) πᾶσα γὰρ ἀνθρώπων σπουδὴ, πρός τι τῶν περὶ τὸν βίον ἀσχολουμένη νηπίων ἀντικρύς ἐστι, τὰ ἐπὶ ψάμμον ἀθύρματα, οἷς ἡ τῶν γινομένων ἀπόλαυσις τῇ περὶ τὰ γινόμενα σπουδῇ συναπέληξεν: Nam omne studium hominum quod versatur

Beatæ sortes iustitiam esurientium.

Hom. I. in Eccles.

Studium hominum ludus puerorum in arena.

in iis quæ ad vitam pertinent, eſt planè puerorum ludus in arena in quo capta cum factis oblectatio, cum ſtudio factorum vnà deſinit.





QVINTA CLASSIS

Mifericordium.



IAM promoti fumus ad quintam claffem Mifericordium, vbi Pater mifericordiarum, pellucidos fontes commiferationum demonftrat. Benigniffimus parens cariffimos filios, quæ fint vifcera mifericordiæ, fumma cum charitate edocet. Ad proceriffimam arborem, quæ commiferationis oliua dicitur, inuitat, vt fruantur vmbra, baccarumque fuauitate. Dum nouæ arboris & patulis diffufæ ramis captant frigus, quod eft amabile, naturam mifericordiæ, illiufque diuinos partus explicat. Origi-

Pater mifericordiarum Deus.

Luc 1.

Vifcera mifericordiæ.

Oliua commiferationis.

Vmbra & dulcis oliuæ.

Partus gigantei mifericordiæ.

nem tantæ virtutis à supremo numine repetit, quàm placeat Superis, edisserit, quàm hominem deceat, aperit. Sanctissimæ Triados esse notissimum attributum ostendit, quod vbique mirabiliter elucescit. Et vt humano generi, & potissimum Christiano discipulo, quanti sit æstimanda misericordia, pateat: Regij Prophetæ carmen interpretatur, cœlesti donatus oliua Magister humanissimus. Canit igitur, & sub auspiciis misericordiæ: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ęternum misericordia eius. Vbi æternam Dei Opt. Max. misericordiam celebrat. Illam in omnibus operibus obseruat & extollit:

Præstabile attributum misericordia Dei, notissimum hominibus.

Donatus oliua cæli Christus doctor.

Psal. 135.

Qui facit mirabilia magna solus:
Quoniam in æternum misericordia eius.

Psal. 135.

Fusè posteà istius sacri carminis veritatem enunciat, dum cœlorum mirandam & stupendam fabricam diuinæ misericordiæ tribuit, fundationem terræ super aquas, luminaria magna in diem & in noctem, & reliquam orbis structuram, quam tacitè prætermittit, Dei commiserationibus arrogat. Decem Ægypti plagæ, libertas Iudęorum, transitus maris rubri, Pharaonis perditio illiusque demersio exercitus, educatio If-

Suprema opera misericordiæ.

raëlitarum in vasta solitudine, profligatus Amorrhæus, fusus Basan, Reges magni & fortes, populi Dei hostes superati, luculentissimæ hæreditates, lauta patrimonia, lati fundi, subministrata homini, cæterisque animantibus annona, & infinita eiusmodi beneficia, diuinæ tribuit huius classis magister Christus misericordiæ. Si sol lucet, inquit, suáque benigna luce totum terrarum orbem compleat & illustret, hoc est mei Patris misericordiæ. Si cœli voluantur ab intelligentiis, ad commune bonum totius naturæ, hoc est eiusdem misericordiæ. Si stellæ sint ornamento cœlis, si cynosurę nautis, si benignæ faces terris, hoc est eiusdem misericordiæ. Si quatuor elementa suis contineantur locis, hominique deseruiant, agnoscenda est Dei misericordia. Si terra fundat fruges, si aqua pisces, si aer aues, si ignis flammas, Dei est commiseratio. Si quatuor anni tempestates concinno inter se ordine oriantur & occidant, Dei miserentis est opus. Si tota stet natura humanis vsibus accommodata, eiusdem author summè misericors in hoc euidenter agnoscitur. Quid si naturæ fines prætergrediamur (ait cœli magister) & ad gratiæ imperium transeamus, longè clarius vim

Vbique misericors author naturæ.

In cœlis & eorum fabricis apparet misericordia Dei.

Proditur misericordia.

In gratia regno magna Dei misericordia elucet.

& dignitatem misericordiæ intuebimur. Quanta est supremi patris misericordia, qui cum suos hostes, perduellionis reos vno nutu funditus euertere & delere posset, nihilominus non facit, imò quolibet articulo temporis, in eos confert, & cum iis agit, ac si sui essent perstudiosissimi, optiméque de cœlitum imperio meriti. Læsus grauissimè infinitis & atrocissimis iniuriis, cum lædentibus redit in gratiam, dona gratiæ communicando, eorúmque animos singularibus exornat virtutibus. Eò vsque misericordia deuenit, vt misericors pater, delinquentis hominis ergo, pignus sibi omnium carissimum, filium vnicum, quem in sinu fouet & in oculis gerit, dederit mundo redimendo, liberandisque captiuis, & quidem infensissimis hostibus. O prædicandam omnibus sæculis æterni patris misericordiam! ô rem cœlo, terrisque demirandam! Si hîc non refulgeat misericordia, vbi lucet? si non vigeat, vbi floret? si non perstringat acies oculorum, vbi suspicitur? si non accendat animos, vbi exardescit? Extra aleam mortalium sit ille, oportet, qui non ad opus misericordiæ concitetur, vbi Magistrum cœli audierit de misericordiæ dignitate, magnitudine,

Quanta Dei misericordia? maior esse nequit.

Vbi fulget misericordia si hic non lucet?

ſplendore, bonitate, maieſtate eloquentem ſublimia, ſubiicientem admiranda, referentem perbeata, narrantem immortalia. Verè hac in quinta claſſe ramus oliuæ reuireſcit, quem Christus in ore gerit, donandum benè gnauo & diligenti miſericordiæ alumno, qui cum S. Paulino canit miſericordias Domini: *In ore magiſtri oliuæ ramus.*

O pater ô hominum rerúmque æterne creator! *S. Poem. de Io Bapt. Chriſti pracone.*
Quot gradibus parcit pietas tua? quis pater vnquam *Infinitæ ſunt viæ miſericordiæ Domini.*
Suſtinet erranti toties ignoſcere nato?
quid quærimus vltra? *Sæpius peccatur, ſæpius parcitur.*
Et tamen vlterior venia eſt, violauerit vllus
Hoc quoque polluto prolapſus corpore donum,
Quanquam iam nimius longè proceſſerit error,
Deſinat & redeat: cum ſe damnauerit ipſe,
Abſolui meruit: ſi pœnitet, irrita culpa eſt.
O verè quod ais, pondus leue, quodque cohæret *Toties homini Deus ignoſcit.*
Suaue iugum, toties homini cum ignoſcitur vni.
Et tamen erramus, finis nec criminis vllus

A misericordia magna, magna laus oritur. Maior culpa hominis, Dei maior gloria. Grates misericordiæ Dei.

Humano generi: sed crescit laus tua, nam quò
Maior culpa rei, parcentis gloria maior.
Grates ergo tibi referat mens omnis, & omnis
Lingua canat, quantúmque potest humana propago:
Si placuisse nequit, fieri vel grata laboret.

Homo eget Dei misericordia.

Quisque eget misericordia Dei, væ enim illi, quocum agetur cum sola iustitia. Quare sæpius à supremo magistro discenda est misericordia, & illa exercenda in homines, vt apud superiorem locus inueniatur. Hac in palæstra clamat Christus, Plus arridet mihi vsus misericordiæ, quàm lectissimæ victimæ, quàm sacrificia, quàm hecatombæ. Clamat, *μακάριοι οἱ ἐλεήμονες, ὅτι αὐτοὶ ἐλεηθήσονται*, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Discenda misericordia & exercenda. Misericordia potior sacrificio.

Matth. 5. Beati misericordes.

Beati misericordes.

Quid est misericordia? quinámve misericordes?



Ntequam de misericordibus agatur, natura Misericordiæ est inuestiganda, explicandaque definitio. Ita D. Nyssenus, Misericordia est voluntaria tristitia quæ contrahitur ob aliena incommoda, ἔστιν ὁ ἔλεος, ἑκούσιος λύπη ἐπ' ἀλλοτρίοις κακοῖς συνισταμένη. Vel, est erga eos misericordia qui ob res aliquas tristes sese discruciant, cum dilectione coniuncta affectio. ἔλεός ἐστιν ἐπὶ τῶν δυσφορούντων ἐπί τισιν ἀνιαροῖς ἀγαπητικὴ συνδιάθεσις. Ac si quis accuratè misericordiæ proprietatem exquisiuerit, ἐπίτασιν εὑρήσει τῆς ἀγαπητικῆς διαθέσεως, τῷ κατὰ τὴν λύπην πάθει συμμεμιγμένην. diligendi affectus vehementiam cum affectu tristitiæ coniunctam inuenier.

Misericordiæ definitio.

De beatitud. orat. 5.

Proprietas misericordiæ.

S. Hieronymus, Misericordia non solùm in eleemosynis intelligitur, sed in omni peccato fratris: si alter alterius onera

In c. 5. Matt.

Misericordia corpor. & spirit.

portemus ·*· vbi misericordia definitur, non tantum subleuatio alterius miseriæ in rebus corporeis, sed etiam in statu animæ, quæ tanto est nobilior & potior, quanto corpori præstat animus. Vnde Remigius ait: Misericors dicitur, quasi miserum habens cor, quia alterius miseriam quasi suam reputat, & de malo alterius, quasi de suo dolet. Verus sanè misericors.

In cat. aur. Etymon misericordiæ.

Petrus Damianus rectè declarat misericordiæ vim & naturam: Misericordia est speciosum humanæ naturæ ornamentum, cuius expers malè degenerat, & hominem diffitetur. Est autem vera misericordia, cum superexaltatur misericordia iudicio, cum vel largitate substantiæ, vel bona voluntate, vel doctrina verbi, vel exemplo facti, proximi corpus & animam refoueamus.

In festo omnium Sanctor. Misericordia magnum est hominis ornamentum.

Eusebius Emissenus: Est autem misericordia quædam affectio animi qua affligimur alienis malis. Cui inuidia contraria est, per quam homo affligitur alienis bonis. Siue igitur in nos delinquentibus parcimus, siue miseris & indigentibus subuenimus, siue errantes ad viam veritatis reducimus, misericordia est.

In 5. Matth. Definitio misericordiæ. Inuidia contraria misericordiæ. Vera misericordia.

Theophylactus Episcopus Bulgariensis

benè philosophatur in natura misericordiæ describenda: Non in solis diuitiis est misericordia, sed & in sermone, & si nihil habet, etiam in lacrymis.

In quo sita est misericordia.

His statutis, quinam sint misericordes, nullo negotio intelligemus. Misericordes sunt, qui non solum in rebus corporeis & terrenis, sed etiam in rebus, quæ sunt animæ, & salutis, & æternitatis, quantum possunt, proximos iuuant. Quia vt ait sapienter Christianus Druthmarus, Misericordia, non solum est in re terrena, sed etiam in spiritali, vt adiuuemus proximos, vbicunque possumus. Qui autem perituro non subuenit si potest, occidit: & æqualis ille, qui facit, & qui facienti consentit, vt faciat. Misericordia autem à misero corde vocatur: si aliquid non possumus, vel in corde condoleamus: hoc de terrenis damnis & erga nos commissis. Cæterum qui peccat in Deum, non est nostrum remittere, donec Deum credamus dimissum habere. Præclarè quoque Haymon antistes nobilis, misericordis viri naturam exponit: Misericors dicitur à misero corde. Cum enim aliquis miserescit alterius imbecillitati, vel etiam compatitur, misericors dicitur. Misericors etenim omnis homo primum in

Quinam misericordes?

In expl. cap. 5. Matth.

Qui non subuenit perituro, occidit.

Misericordia Etymon.

In vid. nis Iesus, &c.

Misericors à misero corde, quod tangatur miseria alterius.

semetipso debet esse, ne quid scilicet admittat propter quod postmodum crucietur, iuxta quod per virum sapientem dicitur, Fili miserere animæ tuæ placens Deo. Cum ergo in semetipso didicerit misericordiam habere, tunc ipsum fontem misericordiæ in aliis extendat, vt quibuscunque potuerit, per passionem subueniat.

Misericordis officium, in se, & in proximum.

Serm. 4 in Purif. B. Mariæ.

Guerricus Abbas quinam sint misericordes bellè demonstrat: Audiant ergo quibus dispensatio credita est, audiant quibus credita non est: isti scilicet, nec sic velint esse fideles, vt misericordiam deserant: illi, nec sic velint esse misericordes, vt fidem lædant. Sunt enim aliqui qui plus volunt esse fideles quàm oporteat, & sunt aliqui qui plus esse misericordes quàm liceat eis. Qui ergò contra fidem, indebitam vsurpant misericordiam, audiant Salomonem dicentem: Multi homines misericordes vocantur, fidelem autem virum quis inueniet? Qui autem velut propter fidem negligunt debitam misericordiam, audiant plus quàm Salomonem dicentem, Quod superest, date eleemosynam: vt saltem abundantia vestra aliorum suppleat inopiam ·*· Illi qui à Christo beati miseri-

Mediocritas in misericordia retinenda vt sequatur beatitudo.

ordes vocantur, scopulos misericordiæ leclinant, medium cursum tenent.

Medium tenentre beati.

Beati misericordes.



N primis beati sunt misericordes, quod supremum omnium virtutum collem superatint. Nam cum misericordia ex ipsa charitate originem capiat, ἐκφύεται πως τῆς ἀγάπης ἔλεος, & eiusdem ilectionis sit incrementum, ἐπίτασις δὲ γάπης ἔλεος, non potest fieri quin possesores tantæ virtutis, & omnium reginæ oramentorum, beati habeantur. Quos pereatos in hac vita verè existimamus, quantum præsens status permittit) si Christianè, & sine fuco loqui velimus, nisi os, qui in charitate Dei & proximi vitam gunt, quos prodit virtus misericordiæ? Arumentum ingens est & euidentissimum uini amoris, suimet & proximi comminatio, quæ probatur effectis. Contrà infelices, barbaros & parum pios in sui similes iudicamus, eo quod satis indicent se va-

Vertex virtutum charitas.

Charitas parens misericordia.

Εἰς μακαρισμοὺς λογ. ἑ. S. Nyss.

Intentio charitatis misericordia.

Beati qui viuunt in amore Dei.

Veri misericordes.

Infelices, qui nullius sunt miserationis.

cuos eſſe Dei charitate, & inimicos generis humani ſeſe patefaciant. Vti hoc in breui vitæ curriculo ſummum bonum eſt charitas, ſummum malum odium Dei: ita charitatis filia miſericordia felicitatem communicat miſerationum amatori, odij verò mala ſoboles impietas calamitates extremas impio creat. Quare optimè concludit magnum Nyſſæ columen, *κυρίως ἄρα μακάριος, ὁ ἐν τῇ τοιαύτῃ διαθέσει τὴν ψυχὴν ἔχων, ὡς τοῦ ἀκροτάτου κατὰ τὴν ἀρετὴν ἐφαπτόμενος*. Eſt igitur propriè beatus exiſtimandus, qui in tali affectione animam occupatam habet, vtpote qui ſummum virtutis faſtigium attingit. Vbi eſt poſſeſſio ſummi virtutum faſtigij, nequit fieri, quin ſit alicuius beatitudinis poſſeſſio, quæ tota quanta eſt, eſt miſericordis.

Summum bonum charitas.

Summum malum odium Dei.

Beatus misericors in vertice stans misericordiæ.

Loco sup. cit.

Misericors summum virtutis fastigium attingit.

Deinde, beati ſunt miſericordes, quia fruuntur hac in vita fructibus charitatis, qui fructus adeò ſunt benigni, & ſuaues, vt nihil ſit dulcius, nihil ſuauius: adeò copioſi, vt nihil ſit vberius: adeò grati, vt nihil ſit iucundius: adeò perfecti, vt nihil ſit integrius: adeò nobiles & excellentes, vt nihil ſit nobilius, nihil excellentius. Ex his fructibus naſcitur miſericordiæ perfectio, naſcitur & beatitudo. Accedit, quod homo

Propter fructus charitatis beati misericordes.

misericors fiat similis Deo, qui vbique à prophetis miserator & misericors Dominus dicitur: at esse similem Deo, maxima est felicitas: non igitur iniuria misericordes beati nominantur. Nam esse misericordem Deum, est esse perbeatum, cum id sit beatissimum quod diuinum numen est. Hominem esse misericordem etiam est esse felicem, cum id sit felix, quod simile est diuini numinis. Quod recte disputat sanctus Pater Gregorius Nyssenus, εἰ γὰρ ἐλεήμων ὁ θεὸς παρὰ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς ὀνομάζεται, τὸ δὲ ἀληθῶς μακαριστὸν, ἡ θεότης ἐστί. Nam si Deus à sacra scriptura misericors nominatur, quod autem verè beatum iudicandum sit, id Deitas est. φανερὸν ἂν εἴη, &c. perspicuum fuerit quid ex consequenti intelligatur, videlicet, si vel ex hominibus aliquis existat, qui sit misericors, beatitudine diuina dignus habeatur, quippe cum id assequutus sit, quo numen diuinum nominatur. Præterea, quomodo misericordes non essẽt beati, cum Dij sint, cum maximè iis quadret illud Dauidicum, Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes: quia ij sunt veri filij Patris misericordiarum, qui misericordiæ opera diligenter exercent. Quomodo non beati? qui ado-

Misericors similis Deo.

Felix misericors.

5. Orat de beatit.

Misericors Deus.

Deitas verè beata.

Beatus misericors propter titulum qui diuinus est.

Misericordes Dij.

Psal 81.

ptione filij sunt & gratia, Christi Domini. Audio vocem magni doctoris, εἰ οὖν πρέπουσα τῷ θεῷ ἡ προσηγορία τοῦ ἐλεήμονος. τί ἄλλον καὶ οὐχὶ θεόν σε προσκαλεῖται γενέσθαι ὁ λόγος, οἱονεὶ μορφωθέντα τῷ τῆς θεότητος ἰδιώματι. Si ergo misericordis appellatio Deum decet: ad quid aliud te sermo hortatur, nisi vt Deus fias, tanquam informatus propria nota diuinitatis? *· Quî fieri posset vt talis misericors beati nomine, cum reapse sit, non cohonestaretur?

D. Greg. Nyss. or 5. de beatit.

Misericordis nomen Deo cōuenit.

Certum est misericordes dici quoque beatos, propter similitudinem misericordiæ, quam cum Christo habent. Quem latet misericordes illum imitari, qui propter nos totus misericors fuit? vt rectè deducit his verbis Patriarcha Venetorum: Porrò quòd Verbum caro factum sit, quòd idem Deus & homo natus de Virgine in præsepio reclinari voluerit, quòd die octauo circumcidi, quòd maternis nutriri vberibus, foueri sinibus, amplexibus stringi, obtemperare mandatis, quòd peregrinari in Ægyptum, in Iordane baptizari, tentari in eremo, per omnes ciuitates Iudæorum euangelizare regnum Dei, cæcis visum reddere, surdis auditum, iacentibus gressum,

Misericordes Christum imitantur.

De instit. & regim. prælatorum cap. 9.

Christi œconomia plena misericordia.

sum, & mortuis vitam, totum hoc opus misericordiæ fuit ·*· Quantum possunt misericordes vitam Christi sibi proponunt ad imitandam, & opera misericordiæ, quantum fas est, æmulantur: cumque felicitas has actiones sequatur, sua misericordes felicitate non carent. Quod confirmat idem Patriarcha, cum dicat: Meritò igitur misericordes & iusti cœlesti remuneratione ditantur, quoniam tanquam filij adoptionis & gratiæ, Deum & Dominum suum imitantur, qui prorsus misericors est & miserator ·*· Talis imitatio misericordiæ, mater est beatitudinis.

Misericordes vitam Christi imitantur.

Locò sup. cit.

Misericordes filij adoptionis & gratiæ Deum imitantur, ideo beati.

Ad hanc cognitionem inuitat S. Leo Papa, agnosce Christiane tuæ sapientiæ dignitatem, & qualium disciplinarum artibus, ad quæ præmia voceris, intellige. Misericordem te misericordia, iustum vult te esse iustitia: vt in creatura sua Creator appareat, & in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago resplendeat ·*· Vult Deus ita hominem deuincire misericordem, vt velit in illo dare specimen suæ bonitatis, præbere signa sui fulgoris, & quod plus est, vult vt sit sedes suæ maiestatis: insuper in illius corde suam exprimit imaginem. Si hoc non sit, esse

De gradib. Ascens. ser. 1.

Misericordia vult homines esse misericordes.

Deus in corde misericordis suam exprimit imaginem.

beatitatem hominis perstudiosi misericordiæ, nescio quid sit esse beatum, nec quid sit beatitudo in terris, satis intelligo. Sed certè talis vir est beatus, qui diuinos miserationum characteres in sua mente, diuina manu exaratos gerit, qui totus est in operibus misericordiæ occupatus, qui nihil aliud spirat, quàm proximi salutem, qui viuit misericordiæ, sibique viuit misericordia.

Beatus misericors.

περὶ φιλοπτωχίας.

D. Nazianzenus in illa nunquam satis laudata nobilique oratione, de pauperum amore, quanta sit dignitas & felicitas misericordis hominis, abundè probat, δός τι τῷ θεῷ χαριστήριον: ὅτι τῶν εὖ ποιεῖν δυναμένων ἐγένου, ἀλλ' οὐ τῶν εὖ παθεῖν δεομένων, &c. Deo gratitudinis ergo aliquid tribue, quòd ex eorum numero sis, qui de aliis benè mereri possunt, non qui aliorum beneficiis egeant. Quòd non in alienas manus oculos coniectos habeas, sed alij in tuas. Da operam, vt non solùm opibus, sed etiam pietate: non solùm auro, sed etiam virtute sis locuples. Cura vt proximo tuo idcircò sis præstantior, quia benignior. γενοῦ τῷ ἀτυχοῦντι θεός, τὸν ἔλεον θεοῦ μιμησάμενος. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando. οὐδὲν γὰρ

Quæ felicitas?

Verba aurea.

Magna misericordis felicitas.

Misericors est Deus calamitoso.

ιτως, ὡς τὸ εὖ ποιεῖν, ἄνθρωπος ἔχει θεοῦ. Nihil enim tam diuinum homo habet, quàm de aliis benè mereri ·*·

Quanta felicitas, esse Deum?

In his omnibus beati misericordes, quòd in causa pauperum diuino munere fungantur, quòd de pietate sint optimè meriti, quòd virtutibus locupletentur, quòd in calamitosos sint Dij. Quæ maior felicitas esse potest? quæ gloria sublimior? cum aliunde nihil sit Deo gratius misericordia quam beatitudine misericordiæ compensat. οὐδὲν γὰρ οὕτω τῶν πάντων ὡς ἐλέῳ, θεὸς θεραπεύεται. Neque enim vllus omninò cultus Deo perinde gratus est, vt misericordia (quandoquidem nec aliud quicquam est, quod Deo magis conueniat, vtpote quem misericordia & veritas præcedant, & cui misericordia ante iudicium offerenda sit:) nec vlli alij rei potius, quàm benignitati benignitas ab eo rependitur, qui iustè remetitur, atque in pondere & mensura misericordiam ponit. Magni faciendum est magni istius Græciæ Theologi acroama, cum dicat, οὐ πολλοστὸς ἐν τοῖς μακαρισμοῖς ὁ ἔλεος: non in postremis beatitudinibus est misericordia. Nescio si non sit omnium princeps, cum Dei misericordia omnia illius opera superet: cur non & ho-

Beati misericordes.

S. Greg Naz. loc. sup. cit.

Deo placet misericordia: at placere Deo magna felicitas.

Benignitas benignitas rependitur.

τῶν πλοστῶν: Supra omnia opera misericordia.

minis misericordiæ idem contingat? Sanctus Dauid probè intelligebat misericordis felicitatem, cum illam sæpius prædicet: ita ille, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Prorsus talis intelligens est beatus, qui bellè callet, quomodo sit agendum cum calamitosis hominibus, & qui dum secundis vela facit ventis, iis qui naufragium passi sunt, succurrit, qui dum firma vtitur valetudine, afflictis fert opem. Talis vir est beatus, quia sapienter agit & cum misericordia paciscitur suprema. Quis, amabo, illum beatum non existimaret, qui Christum, cum hominibus versaretur in terris, aluisset? Christum induisset? Christum hospitio excepisset? at hoc præstant misericordes, in personis pauperum, in curandis, in visendis, in alendis, in vestiendis, in colligendis, in tuendis, in fouendis, in erudiendis, in sepeliendis, in colendis. Verè clamat Oseas, Misericordiam volo & non sacrificium. Verè clamant beati illi pueri, Super millia agnorum pinguium placet ipsi misericordia: placet sanè vir misericors, & in hoc beatus, quòd placeat Deo, quia placere Deo, summa est beatitas.

Psal. 40.
Beatus misericors.
Beata miseratio,
In qua re beati misericordes.
Cap. 6.
Daniel. 3.
Beatitas placere Deo in statu misericordia.

D. Bernardus huius beatitudinis exemplum constituit Zachæum, qui misericors admodum fuit, & idcircò beatus: Et attende quemadmodum Zachæus breuiter vno verbo vtrumque complectitur, dicens: Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quempiam defraudaui, reddo quadruplum. Vides quantum esuriuit iste iustitiam, cui non suffecit æqua mensura reddere, nisi reddat quadruplum? Misericordia quoque magna est, quod dimidium bonorum suorum dat pauperibus. Veruntamen non silebo ego quod sentio. Laudem Domini loquetur os meum, Domini planè, non vestram. Neque enim vobis, sed nomini eius do gloriam. Zachæus certè cuius laus est in Euangelio, dimidium bonorum suorum dedit pauperibus: sed ego multos Zachæos hîc video, qui nihil sibi ex omnibus reliquere. Quis mihi scribet hoc Euangelium de Zachæis istis, imò de Petris istis? quis fiducialiter loquatur Domino: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te? sed scriptum est iam in Euangelio æterno, in libro vitæ scriptum est & signatum: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. * Felix profectò religiosorum conditio, felix sta-

In festo Sanctor. omnium. Zachæus misericors beatus.

Luc. 19.

Magna misericordia.

Multi religiosi veri Zachæi & beati misericordes.

Matth. 19.

tus, siquidem misericordes habentur, quibus æterna promissa est misericordia. Et certè hac in classe beatitudinis potiorem locum obtinent, iique præcipuè beati pronuntiantur, quòd eorum miserationes supra alias eluceant. De illis dictum est, Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in æternum. Beata diribitio, quæ misericordiæ militat, quia fructus eius non est temporis, sed æternitatis.

Magna religiosorum miserationes.

Psal. 111.

Beatum opus misericordis.

Author imperfectus in Matthæum ita differit in hoc argumento misericordiæ: Non tamen ille misericors est, qui miseretur pauperi, aut pupillo, aut viduæ, hæc enim misericordia & apud illos inuenitur frequenter, qui non cognoscunt Deum. Ille autem verus misericors est, qui inimico proprio miseretur, & benefacit ei, secundùm quod scriptum est, Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui vos oderunt. Nam & Deus non solùm super gratos pluuiam dat, aut solem suum iubet oriri, sed etiam super ingratos. Vnde & ita dicit, Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est. Et verè beatus est ille talis, quoniam misericordia eius, si quidem non habet peccatum, quod difficile est in hominibus, proficit illi ad additamentum iu-

Hom. 9 in Matth.

Perfectissima isthæc est misericordia.

Luc. 6.

Verè beatus.

litiæ: si autem habet, ad remissionem peccati, quoniam potest fiducialiter dicere: Dimitte mihi debita mea, sicut & ego dimitto debitoribus meis.

Denique beati sunt misericordes, eo quòd res terrenas liberaliter mundi amatoribus cedant, bona verò immortalia suis in pauperes commiserationibus & cumulatissimis beneficiis emant. Rectè iudicant alias esse sortes auarorum, alias liberalium in Christi amicos: vident ea bona deperdi, quæ Christi manibus non traduntur, illa verò conseruari, quæ manibus inopum ad cœlum transmittuntur, & hanc ob mentem beati habentur, quanto magis ob illius executionem. Felices igitur, quòd Deo liberales sint & proximo, feliciores quòd suam naturam superent vi commiserationis.

Beati misericordes neglectu bonorum temporalium.

Variæ sortes auarorum & liberalium.

Felices Deo fænerantes.

Beati Misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Quid est misericordiam consequi?

Iusti Dei radij.



ADEÒ iustus est rerum omnium moderator Deus, vt vbique iustitiæ radios vibret: adeóque bonus, vt nunquam illius immensa bonitas otiosa sit. Quæ quidem lætatur immortaliter, cum opera misericordiæ, de iustitiæ numero & momento, exercenda sint. Opus maximè diuinum est, viri misericordis & humanitate singulari præditi, commiseratione tangi, eius misereri, & summa cum benignitate illum tractare. Opus diuinum est, omnium gloriosissimum, eum oliuæ ramis coronare, qui fructus eiusdem arboris, affatim humano generi subministrauit. Hoc est iustitiæ, hoc promissionis, hoc misericordiæ: iustitiæ, tribuere quod quisque promeretur: promissionis, stare certis, ratisque, pollicitæ

Bonitas immensa.

Lætitia Dei.

Opus diuinum misereri.

Corona oliuæ misericordi debetur.

Iustitiæ est.

Promissionis

fidei argumentis: misericordiæ, operibus miserationum singulariter affici & oblectari. Quas partes nemo, vel hominum, vel Angelorum, melius summo rerum opifice & authore gratiæ, sustinet. Quamuis in recognoscendis benigni hominis meritis, in Deo stricta seueraque non agnoscatur iustitia, nihilominus satis loquitur ius æternum, satis est ipsa constantia certissimæ promissionis, satis efflorescit splendor misericordiæ, satis viget amor remunerationis, satis se prodit benignitas patris.

Misericordia.

Deus de stricta iustitia non tenetur compensare misericordis opera.

Nullus ab orbe condito ad hanc vsque diem opera misericordiæ exercuit, quin amplissimis muneribus, à supremo bonorum omnium largitore Deo, exornatus sit. Nonne est luculentissimum munus, pro potione aquæ frigidæ, cœlesti regno potiri, & in numero beatorum reponi? Nonne est cum magno fœnore negotiari? nonne supra modum de leuiusculis meritis compensari? Duplicem agnoscimus misericordiam: vnam quę est temporis, (quam temporalem vocant:) aliam quæ est æternitatis, (quam æternam nominant:) prima est hominis, secunda est Dei: prima à secunda blando quodam impulsu lenique

Excessus diuinæ mercedis.

Duplex misericordia.

Vna temporis, altera æternitatis.

concitata ad varia commiserationum munia descendit alacriter: secunda in obeundo illo munere, quod Patri misericordiarum potissimùm arridet, vires suppeditat, dat animos, corroborat, recreatque: prima magnam spem concipit futuræ compensationis, secunda maiorem in dies amplificat, & vehementiorem efficit: prima persistit in opere, secunda in ope: prima desudat, secunda labores subleuat: prima dimicat, secunda iuuat: prima vincit, secunda coronat: illa nimirum corona, de qua propheta, Qui coronat te in misericordia & miserationibus: corona equidem cęteris, siue lemniscatis, siue triumphalibus, siue Regiis & Imperatoriis longè nobiliori. Agnosco vim istius beatitudinis, quid sit misericordiam consequi, video: quę est summi numinis liberalitas & magnificentia, temporalem misericordiam æterna compensat: pro ferro dat aurum, pro lapillis margaritas, pro terra cœlum, pro fluxis stabilia, pro bonæ voluntatis signo, humanę Christi fructus œconomię. Quàm verum sit illud prophetæ, liquet, cum de viro misericorde dicat, Tota die miseretur & commodat: verè commodat in hac vita, cum proximi miseriam subleuet, sed

Officium vtriusque misericordiæ.

Corona misericordiæ cæteris nobilior.

Liberalitas misericordis Dei.

Psal. 16. Vir misericors Deo commodat pauca, & multa recipit.

cui commodat? & quantum? & quantum rependitur? Deo commodat: mirum, quantum: frustum panis, guttam aquæ, detritam lacernam, teruncium, & aliquid minus, solum benigni affectus nutum: & rependitur, quod nemo mortalium satis intelligit, adeò magnum est, quod soluitur, præmium. Premium est misericordię diuinę, quod omnem hominis captum excedit. Et hoc est misericordiam consequi. Sed lubet audire Sanctorum Patrum hac de re sententias: & in primis D. Augustini, qui more suo triumphat hoc in argumento: Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus: fac & fiet: fac cum altero vt fiat tecum: quia abundas & eges: abundas temporalibus, eges ęternis. *Mendicum hominem audis, mendicus ipse Dei es: petitur à te, & petis: quod egeris cum petitore tuo, hoc aget Deus cum suo. Et plenus, & inanis es. Imple inanem de plenitudine tua, vt de Dei plenitudine impleatur inanitas tua.*. Et alibi, breuiter: Beatos esse dicit, qui subueniunt miseris, quod eis ita rependitur, vt de miseria liberentur. *. Et iterum: Misericordibus misericordia, tanquam vero & optimo consilio vtentibus, vt hoc eis exhibeatur à potentiore

Misericordiam consequi.

Serm. 14. hom.

Abundare temporalibus: egere æternis.

In serm. de mont.

Misericordibus misericordia rependitur.

quod inualidioribus ipsi exhibent ·*· Talis est mensura diuinæ misericordiæ, vt respondeat humanæ misericordiæ: sed remetiendo longè plura in mercede, quàm fuerint in opere: longè vberiora in fructu, quàm in semine: merces opus superat, semenque fructus, cum cælestis agricola metat, compensetque merita cœlestis Imperator. Apposité S. Ioannes Antiochenus, Quoniam ipsi misericordiam consequentur: Et videtur æqualis quidem esse retributio, sed est tamen longè ipsa virtute præstantior. Isti enim quasi homines profectò miserentur, cùm ab omnium Deo misericordiam consequantur. Par autem non est humana miseratio, atque diuina: sed quantum beneuolentiæ malitiæque discrimen est, tantum ab illa ista secernitur. Benè quoque Theophylactus: Misericordiam autem consequentur & hîc ab hominibus: qui enim heri misericors fuit, etiam si hodie inops sit, ab omnibus misericordiam consequitur, & alibi multo maiorem à Deo ·*· Benè monet duplicem misericordiæ fructum misericordes percipere, hoc in sæculo, & in futuro, tam copiosum est miserationis semen, vt geminet spicas.

In c. 5. Matth.

Retributio Dei longè est ipsa virtute misericordiæ præstantior.

Humana & diuina miserationes differũt.

Misericordia apud homines, & misericordia apud Deũ.

Magna vbertas est misericordiæ.

D. Iustinianus hanc beatitudinem mirè tractat: Magna dignitas pauperum Christi personam gerere, ipsiusque imaginem exhibere in sæculo. Meritò igitur misericordiam consequetur à Christo, qui Christum veneratur in paupere, & illi humanitatis præbet officium, qui eius non obhorret sordes, personam non despicit nec vilipendit statum, sed honorat vt Dominum, famulatur vt Christo, amplectitur vt fratrem, eumque diligit tanquam regni consortem. Et paulò post: Maximam siquidem fiduciam consequendæ misericordiæ in futuro sæculo habere debent, qui cum humilitate cordis & pietatis affectu interioris sui hominis munditiam custodientes erga egenos & inopes iuxta posse, quoad viuunt, humanitatis obsequia exhibere non cessant, Domini perficientes mandatum, qui ait: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Lib. de humilitate cap. 10.

Misericordiam à Christo consequuntur qui Christum venerantur in paupere.

Magna misericordis viri fiducia.

Luc. 16.

Misericordes in extremo iudicij die peramplam à Christo supremo iudice misericordiam consequentur, vti testatur sanctus Euangelista, cum ait: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esuriui enim

Misericordes obtinebunt misericordiam in iudicij die.

Matt. 25.

Miſericordes benedicti.

& dediſtis mihi manducare: exclamat D. Chryſoſtomus, ὢ τῆς πολλῆς ἀγαθότητος; ὢ τῆς ἀμέτρου χρηστότητος; ὁ διδοὺς τροφὴν πάσῃ σαρκὶ, καὶ ἀνοίγων τὰς χεῖρας, καὶ ἐμπιπλῶν πᾶν ζῶον εὐδοκίας, ἐπείνων φησὶ, καὶ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν; οὐ τῆς ἀξίας ἐλαττουμένης, ἀλλὰ τῆς φιλανθρωπίας τοὺς πτωχοὺς ἐγγυωμένης. O multam bonitatem! ô benignitatem immenſam! qui dat eſcam omni carni, qui aperit manum, & implet omne animal benedictione. Eſuriui, inquit, & dediſtis mihi manducare: non dignitate attenuata, ſed Dei clementia ſe pro pauperibus vadem conſtituente. Sitiui, & dediſtis mihi bibere. Quis hæc dicit? qui ſtagnis, & fluuiis, & fontibus aquarum naturam præbet ·*· Sed nudus eram, inquit, & cooperuiſtis me. ἐνεδύσαμεν τὸν ἐνδύοντα τὸν οὐρανὸν ἐν νεφέλαις; τὸν ἐνδύοντα τὴν ἐκκλησίαν ἅπασαν, καὶ τὴν οἰκουμένην; tegimus tegentem cœlum nubibus, induentem Eccleſiam, & vniuerſum terrarum orbem. μὴ οὐκ ἀληθὴς ὁ λόγος, ὅτι ὁ ἐλεῶν πτωχὸν δανείζει θεῷ; Num verus ſermo, qui miſeretur pauperis, fœneratur Deo? θεῷ δανείσωμεν τὴν ἐλεημοσύνην, ἵνα παρ' αὐτοῦ λάβωμεν φιλανθρωπίας ἀντίδοσιν: demus eleemoſynam, vt ab eo nobis cle-

D. Chryſoſt. hom. 5. de pœnitentia.

Magna Dei miſericordia in ſponſione commiſerationis.

Fœnerari Domino.

Prouerb. 19.

Clementia clementia rependitur.

mentia rependatur·*·

D Basilius paucis his verbis mira comprehendit, ἐχέγγυον δὲ τοῦ δάνους, ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Fideiiussio huius fœnoris, regnum est cœlorum·*· Hæc est misericordia, quam misericordes obtinent, nimirum cœlorum imperium.

κατὰ τοκιζόντων.

Regnum cœlorum misericordia.

S. Paulinus in exemplo nobilis Alethij, tanquam in tersissimo speculo, Christi misericordiam consequentem repræsentat, ita ille: Quàm bono tūc vrbs nostra tumultu fremebat, cum tu misericordiæ viscera reficiendis & operiendis pauperibus effundens, pallida esurientium corpora reformares, aridas sitientium fauces rigares, tremula algentium membra vestires, & omnium consona in Dei benedictionem ora reserares? sed egena corpora fouens, redeuntibus in meliorem tui partem operibus tuis, retributione diuina tuum potius spiritum saginasti, & benedictæ coniugis animam refecisti, in illam transfundente Christi manu, quæ tua pauperibus erogabantur, cum in ictu oculi permutata in cœlestes cibos carnalis esca transiret. Et quantum pecuniæ graui dextera, geminatis excipientium palmis hilaris dator & infatigabilis distributor infuderas, tantum illicò

Exemplum beati misericordis.

Epist. 33. ad Alethium.

Compensatio misericordiæ.

Quàm celer est Christi retributio.

Bona mensura misericordia. Angelis interuolantibus gremio Domini gaudentis inuectum, in trigesimos tibi fructus ac reditus numerandum reponebatur: & ibid. Tu & inter illos pauperes *Matth 5.* *Pauper & diues misericordia.* iure numeraberis, quorum regnum cœlorum, & inter illos diuites, quorum possessio ciuitas firma est: quia spiritu Dei di- *Prouerb 18.* ues es, & pauper tuo. Quàm piè ad Seue- *Epist.12.* rum loquens de misericordiæ fructu, ait: Pascatur istic pauper, vbi me diuite eget: vt me illic pascat, vbi me egente, saturabitur.*. Fragilem arenam iacimus, vt do- *Magnus fructus misericordiæ.* mum fundemus æternam, & de vilibus attingamus astra cæmentis: de quibus non illam confusionis & superbiæ turrim destruendam opere irrito machinamur, sed in ipso angulari lapide fundamur, vt sur- *Psal.60.* gamus per ipsum in ipsius plenitudinem, qui est turris fortitudinis à facie inimici.

Per misericordiam peccata purgantur. D. Nazianzenus rectè probat misericordes misericordiam obtinere à Deo: ἐλεημοσύναις & πίστεσιν ἀποκαθαίρονται ἁμαρτίαι; per eleemosynam & fidē peccata purgantur: purgemur itaque per misericordię officia, labesq; & sordes animę pulchra illa her- *Pulchra herba misericordia.* ba extergamus: ac dealbemur, alij vt lana, alij vt nix, pro misericordię videlicet proportione.

portione. Et paulò post, πρόσελθε τῷ θεραπευτῇ, δεήθητι, θεράπευσον τὰ τραύματα διὰ τῶν τραυμάτων, κτῆσαι τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον. μᾶλλον δὲ τοῖς ἐλάττοσι τὰ μείζονα θεραπεύθητι. Ad medicum accede, obsecra, vulneribus per vulnera medere, simile per simile acquire; vel potius minoribus remediis grauiores morbos depelle. Dicet animæ tuæ, Salus tua sum: &, Fides tua te saluum fecit: &, Ecce sanus factus es: atque humanissimis quibusque verbis te alloquetur: modò te iis, qui in dolore versantur, benignum & humanum esse videat. * Qualis & quanta vis misericordiæ, cum dicat Deus salutem dari animæ propter quantulamcunque miserationem? qualis & quanta bonitas, hominem cum exiguo benignitatis momento, perpetuam obtinere clementiam? Certè lætandum est, non lugendum cum beneficia in pauperes conferantur, quandoquidem tam luculentam mercedem accipiunt largitores. Veneremur Christum misericordia, Christi membra amicè & beneuolè fouendo, & ita perennes misericordiæ fructus percipiemus. Beneficentia moram non admittat, si velimus à Domino celeritatem miserentis manus experiri.

Orat. de pauperum amore.

Misericordia emitur misericordia.

Ex D. Nazianz. loco sup. cit.

Cum lætitia misereri oportet.

Oliua Misericordiæ, merces suauissima: quæ datur à Deo, misericordi, benignoque homini, in vitæ termino.



Labori datur merces.

PATER misericordiarum, pietatis amantissimos & & commiserationum viros, post gloriosos vitæ labores, amplissimo munere cohonestat. Benignitatem coronat, oliuâ misericordiæ. Merces equidem habetur suauissima, quæ maximè conuenit labori clementiæ, sudorique miserentis. Isthæc est oliua cœli, quę crescit in paradiso delitiarum, quâ solent miserationum studiosi coronari. Sacrata est misericordiæ Domini, sacrataque benignitati humanæ gentis. Cingit thronum cœlestis fecialis, ornatque dextram misericordis Agonothetæ. Huius ramos donat benignis hominibus, quibus non modò capita, sed etiam manus, bonorum operum effectrices, coronant. Decebat, sub immortalibus Christi Iesu auspiciis, commi-

Oliua decet misericordiam.

Oliua cœli non edem horti.

Oliua arbor sacra misericordiæ.

Cœlestis fecialis & agonotheta Deus.

Caput & manus misericord. coronantur.

ſerationum opera ramis oliuæ redimiri. Quid conuenientius miſeranti viro, quàm arbore miſericordiæ adumbrari? quid magis conſentaneum, quàm vbi fuit cauſa pietatis, ibi eſſe effectum? vbi floruit humana benignitas, ibi fructus naſcatur benignitatis? vbi ſudor clementiæ, ibi pretium virtutis? Fortunata coniunctio laboris & mercedis, oliuæ & miſericordiæ: labor iungit miſericordiam, merces oliuam: labor eſt hominis, merces eſt Dei: miſericordia prouocat oliuam, oliua miſericordiam. Sudor oliuarum abit in balſamum, frondes in odorem, flores in fructum. Vmbram operis compenſat ſuauitas germani ſolatij, opus verò ipſum remuneratur Deus. Quàm placet remuneratio, vbi Deus ſuum militem remuneratur: & tanto amplius, quanto eſt liberalior, & magnificentior Dominus? Vbi coronarit oliua miſericordiæ caput miſericordis famuli, non timet impoſterum terrum frigus vitiorum, non reformidat fulmen dæmonis, non exhorret turbines ventorum, nec procellas tentationum: tunc eſt in portu beatitudinis, in quo ſumma eſt tranquillitas, dulciſque vitæ quies. Hæc oliuæ corona ſignat dies alcyonios, pacatum mare, naſ-

Vbi cauſa miſericordia, ibi effectus.

Vbi flos benignitatis, ibi fructus.

Vbi ſol pietatis, ibi lux.

Felix coniunctio oliuæ & miſericordiæ.

Bona remuneratio vbi Deus remunerator miſericordiarū.

Vbi Deus athlotheta ibi brauium gloriæ.

Coronatus oliua miſericordiæ tutus viuit.

Corona oliua ſignum alcyoniorum dierum.

Ex oliua oleū: ex matre ſoboles.

Felix ſtatus miſericordis.

Magnum negotium miſereri.

centes fauonios æternitatis præſagit, amnes olei nobiles deſignat, tranquillum perennis Veris imperium aperit. Felicem ſtatum prædicat eorum, qui cum viuunt apud mortales, nullum habent grauius negotium, nullum maioris momenti ſtudium, quàm vt quamplurimos homines, & præſertim inopes ſibi deuinciant. Egregium opus & dignum homine, in quo Deum æmulatur ſapienter, & imitatur piè. Nec hæc æmulatio commiſerationum patri diſplicet, imò tantoperè placet vt in ſui æmulatores, & imitatores ſuæ miſericordiæ, pietatis fontes & clementiæ liberaliter effundat. Et quod eſt incredibilis amoris, ſuamet corona miſericordiæ exornat, quo genere coronæ nihil eſt glorioſius, nihil præſtabilius, nihil ſuauius.

Sancta æmulatio.

Corona miſericordiæ.



SEXTA CLASSIS

Eorum qui sunt mundo corde.



VEREOR limen huius sextæ classis superare, audio: *Procul este profani:* tantùm licet integerrimis auditoribus, hoc sacrarium puritatis ingredi. Magister singularis vitæ morúmque integritatem alumnis proponit amplectendam. Vetat aditum inquinatè viuentibus, nisi velint imposterum ad meliorem frugem se recipere, vitámque honestiorem profiteri. Insignis Doctor è cœlo ad terras magnas artes detulit, quas sensim hominibus salutis studiosis euoluit.

Pura decent puros.

Integritas amplectenda.

E cœlo præstabiles artes.

Salus æterna grandis scientia.

Disciplina angelorum. Hoc in Lyceo Angelorum disciplinam tradit, quæ tota est puritatis, tota sanctimoniæ. Res sublimes edocet, quæ mirificè æternum Patrem & Spiritum sanctum recreant. *Eximia pars politiæ doctrina cordis humani.* Eximiam sacræ politiæ partem explicat, imò caput sanctioris imperij tangit, nimirum cor humanum: quo benè *Stabilito corde regno multa bona: contrà multa mala.* composito & stabilito, humani generis respublica floreat, necesse est: contrà, neglecto, vitiatóque, corruat, funditusque euertatur, oportet. Quomodo hæc pars *Pars ista cordis sit pura, sit integra.* hominis, quæ est potissima, sit concinnanda, stabiliendaque, aperit; videlicet, si pura sit, si integra, si castitatis amantissima, si abhorreat à teterrimo vitiorum congressu, si nihil habeat commercij cum turpitudine. *Cor hominis fons.* Docet cor humanum esse fontem cogitationum, qui si sit lutulentus, lutulentos quoque futuros riuos: si verò pellucidus nitidusque, bellè quoque & nitidè fluere. *Cor hominis radix.* Docet esse radicem arboris humanæ, à qua pendet bonitas, vel peruersitas baccarum: è bona radice viriditatem frondium, florum elegantiam, fructuum suauitatem: è corrupta, deprauataque, vitiosum truncum, vitiosiores ramos, nullas baccas, aut natura deterrimas fundi. *Cor hominis officina.* Docet esse magnam quandam dictorum

& factorum officinam, quæ ſi non ſit inſtructa rationis & gratiæ ſupellectile, deterrima quæque molitur clandeſtinis conſiliis in ea ſceleratus impuruſque hominis genius. Docet eſſe principem rerum ſuſcipiendarum authorem, quem, ſi contingat, (vt ſæpius fit) aſpectum honeſtatis, illiuſque ſanctiſſimum conſortium repudiare, fieri nequit, quin ad extremum vitæ diſcrimen naturam hominis adducat. Quod cor hominis ſuopte nutu ad virtutis ſtudium feratur, ſique momenta, quæ ſanctus Spiritus afferre ſolet ad honeſtos mores amplectendos, libenter admittat, non poteſt dici, quanta ſit futura in humano corde mundities, quanta puritatis gloria, quantus integritatis ſplendor. Hortus illicò naſcetur amœniſſimus, variis floribus diſtinctus, hîc albeſcent virginitatis lilia, illic roſæ charitatis purpuraſcent, hîc violæ humilitatis nitebunt, illic amaranthi immortalitatis reuireſcent: ad hunc hortum integritatis ſponſus deſcendet, & inter areas caſtorum aromatum inambulabit, nec, quandiu ſtabit humani cordis integritas, diſcedet.

Cor hominis multa molitur.

Cor hominis in reb ſuſcipiendis primus motor.

Quantus integritatis fulgor in corde puro.

Hortus amœnus cor purum.

Docet idem cœleſtis doctor, proprium & germanum ſupremi numinis impe-

Dei regnum cor integrum.

rium, esse cor humanum, integro puritatis flore nobilitatum. Quod illius sit opus, in quo plus laboris insumpsit, plus industriæ posuit, plus artis & temporis, plus vigiliarum plus virtutis, plus non tantùm sudoris, sed etiam cruoris effudit: imo vitam ipsam profudit, vt illud vnum possideret, quod iam suum erat, vt expiaret, vt reficeret, vt cor mundum, de mente regij vatis, crearet. Docet se pluris facere cordis humani & quidem puri regnum, quàm regna Asiæ, regna Africæ, dominationes Americæ, dominationes Europæ: quòd regnum hoc, sit cœlis altius, mari profundius, terris latius, solis itinere longius: nullis terminis circumscribitur, nisi diuinis: nullum sui Dominum agnoscit, nisi Deum: nulli claues tradit, nisi naturæ authori: nemini tributum soluit, nisi suo Seruatori: iura non recipit, nisi cœlestia: leges non recipit, nisi à cœlorum Imperatore: sui sceptrum Imperij non committit, nisi ferat inscriptum in femore, Rex regum, Dominus dominantium: vni duntaxat fasces submittit, qui respicit terram & facit eam tremere: si purpuram colat, illius est, qui candidus & rubicundus electus est è millibus: si pacem amet, illius est, de quo An-

Multa passus est Christus vt cor reficeret.

Cor hominis amplissimum imperium.

De corde puro agitur.

Descriptio regni diuini quod cor purum est.

geli cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis: si arma moueat, eius in gratiam mouet, qui cœli militiam regit: si applaudat trophæis, Christi duntaxat cruci. Istud imperium natum est Deo, emptum Deo, patrimonium Christi, hęreditas summi Patris, palatium sancti Spiritus, in hoc Deus amat vnicè sceptrum, quia castissimum.

Docet Christus veros esse suos discipulos integritatis amatores; illos esse, qui propiùs accedunt ad vitam beatorum spirituum, quorum vita est innocens, mores integerrimi, agendi ratio perhonesta, congressus castissimi: suas esse delitias fatetur, tum quòd summam animi puritatem inquirant, tum quòd corporis integritati perstudiosè vacent. Monet alumnos, inuigilandum esse humano cordi, veluti parti regię custodiendæ, ne illud subeant hostiles prauarum cogitationum turmę, quę nobilissimum illud regnum populentur, regémque è solio deturbent. Monet cordis puritatem esse geminam, magno studio conseruandam, cum sit tanti pretij, vt ea cœli hęreditas ematur. Gēma certè est, gēmis cœlestibus simillima, longè

Vita pura similis Angelicæ.

Puritas animi & corporis.

Cordis puritas gemma.

Gemma puritas.
Mater gemmarum.
Puritas cor vnionum cœlestium.
Amanda cordis puritas.
Summum bonum.

maioris pretij Oceani margaritis & oræ piscatoriæ vnionibus. Gemma multo pretiosior Romanæ iuuentutis bullis, & Persarum Regis smaragdis: quæ meritò dicitur gemmarum mater, & cor vnionum. Hanc animi corporisque puritatem Christus de meliori nota commendat, & maximum præmium huius eximiæ virtutis amantissimis proponit, nimirum Dei aspectum. Quis ad tantam palmam non exardescat? quis ad tantum præmium incredibili amore non feratur? quis puritatem non amet? quis adhuc dubitet; si cordis integritati non sit vacandum? quid moræ est? quid hæret discipulus? cum præceptor quemlibet beatum proclamet, qui in cordis sanctitatem toto pectore incumbit: cum author gratiæ, amplissimos fructus gloriæ promittat integritatis amatori? Qui visionem Dei promittit, summum bonum promittit.

Beati mundo corde.

De puritate cordis.



E mundo corde acturi, priùs aperiemus quid sit cordis puritas. Est igitur cor mundum, cor omni peccatorum vinculo solutum, non modò eorum, quæ lethale vulnus animis infligunt, sed etiam eorum, quorum venia facilè remittitur, quæ venialia nominantur à Theologis. Quódque sit illa vera, germanáque definitio, ex hoc liquidò constat, quòd iis, qui sunt mundo corde, visio Dei promittatur: at nemo Deum videre potest, quin sit omni vitiorum labe prorsus abstersus: ne quidem leuissimum næuum Dei aspectus ferre potest. Necesse est, vt quicunque Dei vultu frui velit, sit liber omni culpa, siue graui, siue perleui; sit, vt cum Lyrico loquar,

Cordis mundi definitio.

Deum vt quis videat, sit omni crimine vacuus oportet.

Integer vitæ scelerisque purus. *Horat.1.carm.*

Vt secundùm vatem regium καρδίαν *Psal.50.*

Cor mundum & spiritus rectus.

Cordis puritas duo dicit, absentiam & præsentiam contrariorum.

Orat. 6. de beatitud.

Ab omni scelere alienatio deitas est.

καθαρὰν quis habeat; in eo, secundùm eundem, πνεῦμα εὐθὲς, dominetur, requiritur. Est igitur cordis puritas, non modò omnium vitiorum priuatio, sed etiam præsens charitatis vsus: ita vt duo dicat cordis integritas, peccatorum absentiam, & gratiæ præsentiam. Ex D. Nysseni oraculo habetur, quod καθαρότης sit ἀπάθεια, puritas sit vitiorum affectuúmque vacuitas: & quod κακοῦ παντὸς ἀλλοτρίωσις sit θεότης, & ab omni malo alienatio Deitas sit. Adeò res est magna, & sublimis, & perfecta, puritas animi, vt nihil propiùs ad Dei naturam accedat.

Puritatis cordis variæ species.

Ex D. Greg. Nyss. loc. sup. cit.

Alij definient puritatem cordis, esse quandam imaginem angelicæ integritatis, qua status beatorum spirituum, quantum hominibus licet, repræsentatur. Alij, tersissimum esse cœlestis numinis apud mortales in iustorum oculis expositum speculum, in quo videntur aliqui radij solis puritatis & iustitiæ. Alij castitatis florem, alij sidus virginale, alij castimonię lilium, alij gemmam mentis, alij candorem virtutis, alij nitorem illibati corporis, alij ἁγιασμὸν sanctimoniam, alij ἁπλότητα simplicitatem, alij φωτοειδὲς ἀπαύγασμα lucidum splendorem τῆς θείας φύσεως,

diuinę naturę, alij gratiam innocentię, alij denique excellentem supremi numinis similitudinem. ✱ Aggrediamur ad sanctorum magistrorum sententias recognoscendas. Ita Glossa ordinaria de hac beatitudine: Munditia cordis sexto loco ponitur, vt homo sexta die conditus per hanc restituatur, & depulsis vitiis pręceptum Domini illuminet oculos vt Deus possit videri. Pręmissis ergo quinque gradibus, purgandus est mentis oculus, ne in vno mandatorum offensus animus fiat omnium reus. Ideò homo se à mundo exuat, ęterna diligat, amplectatur Deum, quoadusque possit videre eum, quem tantum videt, quantum sęculo moritur. In futuro sicut est, oculo mentis videbitur.

Mens elegans.

Mentis oculus purgandus.

Quî purgandum cor?

Tantum Deum videmus quantum sęculo morimur.

Ita B. Chromatius: Hos mundo corde esse significat, qui deposito corde peccati, ab omni se carnis inquinamento purgauerint; & per opera fidei atque iustitię, Deo placuerint. Et paulò post: Huiusmodi ergo mundo corde Dominus beatos esse ostendit, qui pura mente & integra conscientia sub fide Domini viuentes, Deum glorię in futuro cœlesti regno conspicere merebuntur. Breuiter totam rem conficit D. Hieronymus,

In cap. 5. Matt. Euang.

Quinam mundo corde?

In Euang. 5. Matth. dicendo: Ij nimirum sunt mundo corde,
Mundo corde qui? quos non arguit conscientia vlla peccati.

Lib. 4 stromat. D. Clemens Alexandrinus hanc in beatitudinem multo subtiliter & piè philosophatur: ἐπεὶ δὲ τῶν ἀπαγόντων εἰς τὴν τελείωσιν τῆς σωτηρίας ὁδοὶ εὑρίσκονται δύο, ἔργα καὶ γνῶσις, μακαρίους εἶπεν τοὺς καθαροὺς τὴν καρδίαν, &c. Quoniam autem eorum quæ ad salutis ducunt perfectionem duæ viæ inueniuntur, opera & co-

Dei cognitio est animæ purgatio & est bona operatio. ἡ γνῶσις τοῦ ἡγεμονικοῦ ψυχῆς κάθαρσίς ἐστι καὶ ἐνέργειά ἐστιν ἀγαθή.

gnitio, beatos dixit eos qui sunt mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et si reuera verum consideremus, cognitio est principis animæ partis purgatio & est bona operatio. Ac bona quidem sunt, alia quidem ipsa per se: alia autem, alia autem, vt quæ in bonorum consortium veniunt, vti bonas dicimus actiones. Absque iis autem quæ intercedunt, quæ quidem obtinent locum materiæ, neque bonæ neque malæ constant actiones, vtpote vita, & sanitate, & aliis id genus necessariis, & adiacentibus: καθαροὺς οὖν κατὰ τὰς σωματικὰς ἐπιθυμίας καὶ τοὺς ἁγίους διαλογισμούς, τοὺς εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ θεοῦ ἀφικνουμένους εἶναι βούλεται, &c. Corporeis ergo cupiditati-

Puris cogitationibus mūdi. bus & sanctis cogitationibus vult esse mun-

dos eos qui veniunt ad Dei agnitionem, quando princeps animæ facultas nihil habet adulterinum quod ſe ei obiiciat & eam impediat. ὅτ' ἂν τοίνυν ἐνδιατρίψῃ τῇ θεωρείᾳ τῷ θείῳ καθαρῶς ὁμιλῶν, &c. quando ergo verſatus & immoratus fuerit in contemplatione, cum Deo puram iniens conſuetudinem, qui eſt ex cognitione ſanctæ qualitatis particeps, propius accedit ad habitum, ταυτότητος ἀπαθοῦς, identitatis quæ nihil patitur ·*· Idem rectè definit alibi, quid ſit animæ puritas, & quinam ſint mundo corde: τῷ γὰρ ὄντι, ἡ ἁγνεία οὐκ ἄλλη τίς ἐστιν, πλὴν ἡ τῶν ἁμαρτημάτων ἀποχή. Reuera enim non eſt alia puritas, quàm abſtinere à peccatis. Pulchrè ergo dicit etiam Epicharmus, καθαρὸν τὸν νοῦν ἐὰν ἔχῃς, ἅπαν τὸ σῶμα καθαρὸς εἶ. Mundam ſi mentem habeas, es mundus toto corpore.

μηδὲν ἔχω νόθον.

Puri cordis eſt verſari cum Deo.

μετέχων τῆς ἁγίας ποιότητος.

Qui eſt mundo corde, ad Deum propius accedit.

L. 7. ſtromat.

Mentis puritas.

S. Athanaſius beatos mundo corde, cum iiſdem coniungit de quibus propheta, Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Sunt καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, iidem cum iis qui ſunt ἄμωμοι ἐν ὁδῷ, cum iis iidem qui πορευόντες ἐν νόμῳ Κυρίου. Nullum poteſt eſſe maius argumentum puri cordis, quàm legis Domini abſolu-

Contra Arianos.

Pſal. 118.

Immaculati in via ἄμωμοι.

Puri cordis ingens argumentum legis obſeruatio.

In Euang. 5. Matth.

Mundo corde qui?

dicendo: Ij nimirum sunt mundo corde, quos non arguit conscientia vlla peccati.

Lib. 4 stromat.

D. Clemens Alexandrinus hanc in beatitudinem multo subtiliter & piè philosophatur: ἐπεὶ δὲ τῶν ἀπαγόντων εἰς τὴν τελείωσιν τῆς σωτηρίας ὁδοὶ εὑρίσκονται δύο, ἔργα καὶ γνῶσις, μακαρίους εἶπεν τοὺς καθαροὺς τὴν καρδίαν, &c. Quoniam autem eorum quæ ad salutis ducunt perfectionem duæ viæ inueniuntur, opera & cognitio, beatos dixit eos qui sunt mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et si reuera verum consideremus, cognitio est principis animæ partis purgatio & est bona operatio. Ac bona quidem sunt, alia quidem ipsa per se: alia autem, alia autem, vt quæ in bonorum consortium veniunt, vti bonas dicimus actiones. Absque iis autem quæ intercedunt, quæ quidem obtinent locum materiæ, neque bonæ neque malæ constant actiones, vtpote vita, & sanitate, & aliis id genus necessariis, & adiacentibus: καθαροὺς οὖν κατὰ τὰς σωματικὰς ἐπιθυμίας καὶ τοὺς ἁγίους διαλογισμούς, τοὺς εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ θεοῦ ἀφικνουμένους εἶναι βούλεται, &c. Corporeis ergo cupiditatibus & sanctis cogitationibus vult esse mun-

Dei cognitio est animæ purgatio & est bona operatio. ἡ γνῶσις τοῦ ἡγεμονικοῦ ψυχῆς κάθαρσίς ἐστι καὶ ἐνέργειά ἐστιν ἀγαθή.

Puris cogitationibus mundi.

dos eos qui veniunt ad Dei agnitionem, quando princeps animæ facultas nihil habet adulterinum quod se ei obiiciat & eam impediat. ὅτ' ἂν τοίνυν ἐνδιατρίψῃ τῇ θεωρίᾳ τῷ θείῳ καθαρῶς ὁμιλῶν, &c. quando ergo versatus & immoratus fuerit in contemplatione, cum Deo puram iniens consuetudinem, qui est ex cognitione sanctæ qualitatis particeps, propius accedit ad habitum, ταυτότητος ἀπαθοῦς, identitatis quæ nihil patitur ·*· Idem rectè definit alibi, quid sit animæ puritas, & quinam sint mundo corde: τῷ γὰρ ὄντι, ἡ ἁγνεία οὐκ ἄλλη τίς ἐστιν, πλὴν ἡ τῶν ἁμαρτημάτων ἀποχή. Reuera enim non est alia puritas, quàm abstinere à peccatis. Pulchrè ergo dicit etiam Epicharmus, καθαρὸν τὸν νοῦν ἐὰν ἔχῃς, ἅπαν τὸ σῶμα καθαρὸς εἶ. Mundam si mentem habeas, es mundus toto corpore.

μηδὲν ἔχῃ νόθον.

Puri cordis est versari cum Deo.

μετέχων τῆς ἁγίας ποιότητος.

Qui est mundo corde, ad Deum propius accedit.

L. 7. stromat.

Mentis puritas.

S. Athanasius beatos mundo corde, cum iisdem coniungit de quibus propheta, Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Sunt καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, iidem cum iis qui sunt ἄμωμοι ἐν ὁδῷ, cum iis iidem qui πορευόμενοι ἐν νόμῳ Κυρίου. Nullum potest esse maius argumentum puri cordis, quàm legis Domini absolu-

Contra Arianos.

Psal. 118.

Immaculati in via ἄμωμοι.

Puri cordis ingens argumentum legis observatio.

tissima obseruatio. Idem excurrit in laudes puritatis & integritatis tam corporis, quàm animi in opere nobili de virginitate: μεγάλη ἀρετὴ ἐγκράτεια, μέγα καύχημά ἐστιν ἁγνεία, μεγάλα ἐγκώμια τῆς παρθενίας. Magna virtus continentia, ingens gloriatio puritas, magna elogia virginitatis. Et paulò post: ὦ ἐγκράτεια φίλη θεοῦ, καὶ παρὰ ἁγίοις ἐγκωμιαζομένη; ὦ ἐγκράτεια παρὰ πολλοῖς μισουμένη! τοῖς δὲ ἀξίοις σου γνωριζομένη! ὦ ἐγκράτεια θάνατον καὶ ᾅδην ἀποφεύγουσα· καὶ ὑπὸ ἀθανασίας κατεχομένη: O continentia amica Dei, & à Sanctis collaudata! ô continentia apud multos odiosa, sed apud te dignos spectata, iisque cognita! ô continentia mortem & inferos fugæ dans, & quæ ab immortalitate possidetur! ô continentia Angelorum vita, & Sanctorum corona!

Ingens gloriatio puritas.

Laus puri cordis.

ἐγκράτεια ἀγγέλων βίος.

In c. 5. Matt.

Mundi corde omnium virtutum hæredes.

D. Chrysostomus ita de puro corde disserit: Mundos verò hîc appellabat, aut vniuersas virtutes tenentes, & nullius sibi mali conscios, aut continentia conspicuos. Nihil enim nobis est ita opus ad videndum Deum, vt istius puritate virtutis: propter quod Paulus ait, Pacem sectamini & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum

Hebr. 11.

Deum ·*· Tria notat os aureum, videlicet per corde puros, intelligi, omnium virtutum possessores, omnibus solutos vitiis, & insigni continentia præstantes. Quæ quidem tria excellentes animas designant. Quomodo non essent diuini homines, quorum corda purissima omnium virtutum insignibus exornantur? quæ nullis labeculis, vel leuissimorum criminum, asperguntur? quæ diademate singularis continentiæ & eximiæ puritatis coronantur. Grauia sunt ista puri cordis momenta, præcipui puræ mentis characteres, infra se iacere vitia, supra se virtutes erigi, intra se castimoniam efflorescere.

Per mundo corde tria notantur.

Cor purum tribus insignibus dignoscitur.

Infra cor mundum iacent vitia.

Quinam propriè sit mundo corde dicendus, bellè declarat idem sacer orator: σώφρων γὰρ, καὶ ἐπιεικὴς, καὶ σεμνὸς, οὐκ ἂν ἀνάσχοιτο κώμου καὶ μέθης, οὐδὲ ῥῆμα αἰσχρὸν οὔτε αὐτὸς ἐκβαλεῖν, οὔτε ἑτέρου τινὸς τοιαῦτα ἀσχημονοῦντος ἀκοῦσαι. Qui enim temperans, modestus & castus est, is nec comessationem admittet, nec temulentiam, nec dictu fœdum aliquod verbum proferet, nec alteri cuiquam id genus fœditatibus inseruienti aures suas accommodabit ·*· Hæc est puri cordis & peramantis integritatis species.

Lib. vno de S. Hanna & contra gentiles.

Puri castique cordis munia.

De Serm. in monte Domini.

S. Augustinus de mundo corde hæc habet: Quàm ergo stulti sunt qui Deum istis exterioribus oculis quærunt, cum corde videatur, sicut alibi scriptum est, & in simplicitate cordis quærite illum? Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor: & quemadmodum lumen hoc videri non potest nisi oculis mundis, ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud quo videri potest ·*. Acutum, verumque effatum, purum cor esse cor simplex, quo nihil est amabilius, nihil sanctius. Nam Deus, qui est purissimus & simplicissimus, maximè corde simplici, puróque delectatur. Idcircò beatos nominat, quòd sint sui simillimi, quæ similitudo non potest, quin sit mater dilectionis, materque sanctitatis.

Sapient. 1.
Cordis puritas cordis simplicitas.
Cor mundum cor simplex.
Deus purissimus simplicissimusque.

In Euang. Matt. & cum vidiss. turbas.

Theophylactus duo requirit in mundis corde: At Christus iubet cum aliis virtutibus etiam mundos, hoc est castos esse, non solùm corpore, sed & corde. Nam absque sanctificatione, hoc est, castitate nemo videbit Deum.

Mundi corde sunt casti mente & corpore.

In idem Euäg. Matt.

Eusebius Emissenus: Ex corde enim, vt ait Dominus exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, adulteria, falsa testimonia, & similia: hæc sunt quæ coinquinant

hominem, tale autem cor mundum non est, &c. Illud igitur cor est mundum, ex quo talia non procedunt. Ideò & Dauid rogat Dominum, dicens, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Si enim cor fuerit mundum à prauis cogitationibus, totus homo erit mundus ab iniquitatibus.

E corde mundo bona omnia.

E fonte puro nihil lutulentum.

S. Bernardus docet quanam arte cor mundum acquiri potest: Quanta solicitudine fratres, quanto studio danda est opera vt mundari possit oculus, quo videndus est Deus. Et ego quidem triplici sorde inquinari me sentio, concupiscentia carnis, & concupiscentia gloriæ temporalis, & præteritorum conscientia delictorum, &c. Attamen contra sordes istas orationis oppono remedium, &c. Sic & contra peccati conscientiam remedium confessionis est institutum, & omnia in confessione lauantur. Ecce hęc sunt quę mundant oculum cordis, oratio & confessio. Porrò Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt quidem in fine facie ad faciem: Et paulò post aperiendo quinam sint isti mundo corde, paucis multa comprehendit: Soli de eo sentiunt in bonitate: sicut verè bonus est, ita vt nemo bonus sit nisi

In festo omnium Sanctor. Oculus purgandus est, quo videndus Deus.

Oratio & confessio, cordis mundant oculum ad videndum Deum.

Verè mundi corde ij sunt qui benè de Deo sentiunt.

ipse ·*· Certum est puros corde eos esse solos in nobili cœtu militantium Christianorum, qui de Dei bonitate benè sentiunt, benè loquuntur, benè expectant: ij sunt qui aperiunt oculos & cordis, & mentis, ad Dei Opt. Max. beneficia recognoscenda, prædicandáque.

In beatit ser. 1. Cor mundum studium superior, virtutum beatitudinum.

S. Leo quærit: Quid ergo est habere cor mundum, nisi eis quæ supra dictæ sunt, studere virtutibus? *· Habere cor mundum secundùm D. Pontificem, est esse studiosissimum extremæ paupertatis, est esse sancti mœroris & salutaris luctûs amatorem, est esse mansuetudinis riualem, est esse iustissimæ æquitatis consortem, est esse commiserationis retinentissimum, est illis virtutibus vacare.

Lib. de humilit. Quid est munditia cordis?

Diuus Laurentius Iustinianus de cordis puritate ista refert: Munditia itaque cordis est ipsum cor liberum custodire ab omni cogitatione & affectione polluta, noxia, obliqua atque elata. In quo enim ista quæ memorata sunt, vigent ac versantur, infectum est, deforme, maculosum, & cæcum: vnde minimè valet Deum cernere, qui solum propter sui fulgorem atque candorem à mundis cordibus intuetur. Sicut autem in maleuolam animam non ingredi-

tur ſapientia, ita eadem non conſpicitur à ſceleſtis & ſuperbis hominibus corda fœda & voluptuoſa gerentibus: quoniam illis auerſa eſt eiuſdem ſapientiæ claritas, prout Solis iſtius viſibilis oculis ægris odioſa eſt lux. Quamobrem ſtudeat mundare cor nedum à pernicioſis & obſcœnis cogitationibus ac affectionibus: verum etiam ab inutilibus & vanis, quiſquis fructus & muneris huius munditiæ particeps eſſe deſiderat. Idem D. Patriarcha de mundis corde iſta profert: Denique ſi cui placet mentis puritate, integritate corporis, pudicitiæque candore niteſcere, cogitatione inſpiciat ſacrarum virginum iucundos exercitus, ex ipſiſque maximam agnoſcet extitiſſe numeroſitatem, quæ ignem, ferrum, beſtias, vincula pertulerunt & carceres, ne virginalem, quam Chriſto Domino conſecrauerant, amitterent puritatem. Harum ſiquidem mirabilibus exemplis, honorabilibuſque triumphis excitabitur vehementer ad amorem continentiæ, caſtimoniæque pudorem.

Sapientia patris non conſpicitur ab impuris.

Purum cor requiritur ad fructus puritatis percipiendos.

De inſtit. & regimine prælat. c. 15.

Mētis puritas, corporis integritas, pudicitia candor in virginibus.

Miranda puritatis exempla virgin. chorus.

S. Macarius dicit ſanctam Eccleſiam, Chriſti ſponſam puras & integras requirere animas: ἄμωμος γὰρ οὖσα καὶ καθαρὰ, ἀμώμους καὶ καθαρὰς ψυχὰς ζητεῖ. μακά-

Homil. 44.

Eccleſia pura, puras requirit animas.

εἰσὶ γάρ, φησιν, οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, &c. Cum ſit ſine macula & pura, ſine labe & puras quærit animas: Beati enim, inquit, mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Idem deſcribit mundo corde animas: καὶ γὰρ αἱ τὸ ξένον τῆς φύσεως τὸν ἁγιασμὸν τοῦ πνεύματος ζητοῦσαι ψυχαί, ὅλην τὴν ἀγάπην αὐτῶν πρὸς κύριον ἀποδεσμοῦσι, κἀκεῖ περιπατοῦσι, κἀκεῖ εὔχονται, κἀκεῖ λογίζονται πάντα ἀποστρεφόμεναι. Etenim animæ illæ quæ ſuæ naturæ quærunt hoſpitem ſancti Spiritus ſanctificationem, totæ per charitatem Domino adhærent, ibi deambulant, ibi precantur, in eo, reliqua omnia auerſantes, ſuas cogitationes collocant, vnde fit, vt dignæ habeantur, quæ cœleſtis gratiæ oleum accipiant, & ita ſine offenſione viuere queant, ſpiritali ſponſo gratiſſimæ.

Hom. 4.

ἔκφρασις breuis puræ animæ.

Mundi corde Spiritu ſancto placent.

Animæ πνευματικῷ νυμφίῳ εὐαρεστοῦσαι. S. Macar.

B. Petrus Damianus: Beati mundo corde: quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? difficile eſt illud mundare, cum in ſuis abditis deliteſcens, irruentium recipiat agmina cogitationum, plurimùm etiam renitentibus nobis, ſed nequaquam obniti valentibus. Ille igitur mundum cor habet, qui vtriuſque hominis

Epiſt. 55. in feſto SS. omnium.

Qui mundo corde? qui vtriuſque hominis motus habet mitigatos.

motibus mitigatis, passiones non modo reprimit, sed ignorat: naturali cursu bonorum operum communitus, crucifixus mundo, & cui crucifixus est mundus. Pauci autem, quibus se infuderit tantæ gratiæ plenitudo. Quicunque autem illi sunt, iam sunt prope palmam supernæ vocationis.

Pauci mundo corde.

Mundos corde eleganter describit sacer Vates: Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam: vbi D. Basilius, ἄμωμος, ὁ κατὰ τὸν ἐν κρυπτῷ ἄνθρωπον εἰς πᾶσαν τελείωσιν ἀρετῆς ἀπηρτισμένος. Est sine macula, qui est secundùm interiorem hominem omni virtutum genere absolutissimus. ὁ δὲ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, ὁ τὸ πρακτικὸν ἑαυτοῦ διὰ τῶν σωματικῶν ἐνεργειῶν τελειῶν. Qui verò iustè agit, vim suam agendi per externas actiones ad vsum reuocat ·*· Duo sanè munia mundo corde dignissima.

Psal 14.
Mundus corde.
Vir purus vir perfectus.
Esse purum & pura agere: Esse iustum & iusta iustè facere.

Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua. Vbi idem sanctus: ἐκείνην μὲν οὖν τὴν ἀλήθειαν τὴν συνεργὸν τῆς σωτηρίας ἐν τῇ καρδίᾳ οὖσαν τοῦ τελείου, χρὴ ἀδόλως ἐν πᾶσι τῷ πλησίον παραδιδόναι. Illam igitur veritatem salutis effectricem (siue coadiutricem)

Mundus corde.

in corde perfecti residentem, oportet sine dolo communicare proximo ·*· Quod

Mundus corde. munus ritè obit mundus corde.

Nec fecit proximo suo malum:

Δυσκατόρθωτον δὲ καὶ τοῦτο καὶ πολλῆς δεόμενον ἐπιμελείας, &c. Difficile opus & multa egens diligentia: neque in paruis neque in magnis nocere proximo, neque verbo, nullis eum bonis priuare, nolle ei malum, non ei inuidere in illius rebus pro-

Mundus corde. speris ·*· Hoc est mundi corde.

Qui iurat proximo suo & non decipit:

Οὐ γέγονε τὸ πρᾶγμα, ἄρνησις ἐπακολουθείτω. γέγονε τὸ πρᾶγμα, συγκατάθεσις βεβαιούτω. Res non est facta, negatio sequatur; facta est, approbatio confirmet. *· Istud est mundi corde.

Orat. 6, ad Greg. Nyss.

D. Nazianzenus cum videret tantam esse puritatis & animorum integerrimorum felicitatem, ad hanc mortales inuitat & adhortatur: ἐλευθερωθῶμεν παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, νιψώμεθα, καθαροὶ γενώμεθα, &c. Mundemur ab omni inquinamento carnis & spiritus. Lauemur, mundi efficiamur; exhibeamus nos etiam corpora nostra & animas, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem; rationabilem nostram precationem. Neque

Mundus corde gratus Deo, victima grata hostia θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, &c.

enim purus in tanto pretio quicquam habet, quàm puritatem, aut purgationem. *· Sed quomodo ipsa cordis puritas comparari queat, tota Christi doctrina, quæ sacris est annalibus tradita, docet & explicat; vt optimè obseruat D. Greg. Nyssenus, τὸ δ' ὅπως ἔστι καθαρὸν γενέσθαι, διὰ πάσης σχεδὸν τῆς εὐαγγελικῆς διδασκαλίας ἔξεστί σοι τὸ τοιοῦτον μαθεῖν, &c. Quomodo autem purum fieri liceat, id per omnem propemodum Euangelicam doctrinam tibi discere licet: nam si ordine deinceps præcepta decurreris, σαφὲς εὑρήσεις τὸ τῆς καρδίας καθάρσιον, manifestam cordis expiationem reperies ·*· Verum est omnia mandata Domini esse sanctas lustrationes, quibus sordes animorum eluuntur. Si quis igitur suum cor expiare velit, & peccati rubiginem cote præcepti diuini detrahere (vt loquar cum Græciæ Theologo) αὐγάς τινας ἐφ' ἑαυτῷ πρὸς τὸν ἥλιον στίλβων καὶ λαμπηδόνας, dabit. Hîc subtiliter S. Nyssenus notat per cor hominem internum intelligi, de quo ita disserit: Ita homo quoque interior, quem cor Dominus nominat, cum sordes rubiginosas, quæ propter prauum situm in forma natæ sunt & contractæ, absterserit, rur-

Ex Euangelica doctrina cordis puritas addiscitur εἰς τοὺς μακ. λογ. 5.

Lustrationes cordis præcepta Dei.

Peccati rubigo cote arcenda.

Ad solem nim. iustitiæ refulgebit.

Per cor, homo internus intelligitur.

ὁ ἔνδον ἄνθρωπος, ὃν καρδίαν ὀνομάζει κύριος.

ſum cum principe exemplari & archetypo ſimilitudinem recuperabit, & purus bonuſque erit.

Beati mundi corde.


Beati omni ex parte mundi corde proclamandi ſunt, quorum innocentia mirum in modum elucet variis in operibus ſanctitatis, quorum corda omni genere virtutum effloreſcunt, quorum acta nemini nocent, proſunt omnibus, quorum dicta boni ſunt odoris & exempli, quorum ſimplicitas mirè afficit mortalium congreſſus, quorum integritas eſt admirationi, candor ſtupori, gratia amori. Nullus vate regio meliùs eos deſcripſit, quàm cum dixit: *Psal. 15.* Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius?

Innocens manibus & mundo corde.

Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo. *Quatuor notæ mundi corde.* Hæ ſunt quatuor notæ, quibus mundi corde dignoſcuntur: prima eſt ἀθώου χέρσι, quæ eſt innocentiæ, præſertim illius, quæ operibus iuſtitiæ, charitatiſque declaratur. Secunda eſt ſummæ puritatis, qua cogitationes illuſtrantur, & intima animi ſenſa nitore virtutis aperiuntur. *καθαροῦ τῇ καρδίᾳ.* Tertia eſt accuratæ diligentiæ, qua patet animus non obtorpeſcere, ſed continuò Chriſto, ſaluti-

que benè gnauam operam nauare. Quarta eſt ſingularis fidei, qua conſtat de probitate cordis & Sacramenti, quod omni dolo caret: iſta quatuor, magna ſunt integerrimi hominis ornamenta, egregia puræ mentis elogia.

Beatitudo mundi cordis maximè ſpectat ad virgines.



HABENT quòd ſibi gratulentur ſanctiſſimæ virgines, cum à Chriſto beatæ nominentur. Prorſus beatæ, quòd integerrimo triumphantis, & militantis Eccleſiæ ſponſo, cordis inſignia, corporiſque manubias conſecrarint. Hinc naſcitur beatitudo è puritate virginalis cordis, quam ſpecioſus formâ præ filiis hominum, puriſſimis virginibus abundè communicat. Propter hoc donum quod immortalitatis germen eſt, & ſemen caſtimoniæ, meritò felices appellantur. Nunquid eſt magna felicitas in ſinu virginitatis viuere? Ali à virginitatis fautore?

σχήματα καρδίας, καὶ σημεῖα.

Chriſtus fautor virginum.

doceri à castitatis satore? amari à magni consilij Angelo? nobilitari ab antesignano cœlestis integritatis? in manu Dei cor suum collocasse, vt claudat, & aperiat, vt tingat angelicis coloribus, vt rore cœli irriget, vt floribus exornet, vt stellis locupletet. Quæ maior potest esse puro cordi voluptas, quàm esse hortum Christi conclusum, fontem Christi signatum, conclaue regium, virginalem thalamum, cœleste nymphæum, cœlum terræ, rosam cœli, lilium Solis iustitiæ? Quæ maior beatitas dari potest, quàm in se non viuere, sed in Deo? ex se non spirare, sed à Christo animam ducere? quod puro cordi amabilis virginis contingit: nam cor illius totum Christi est: si vigeat, virtus Christi est: si floreat, opus Christi est: si moueatur, motus Christi est: si viuat, vita Christi est: si ardeat, ardorem Christi vocat: si amet, amor Christi proditur: si vigilet, Christi oculus non dormit: si dormiat, Christus quiescit: si suauissimos odores afflet, Christus florum ver aperit: si luceat, faces amoris Christus accendit: si volet ad sinum æterni Patris, Christus alas suppeditat: si commiseratione tangatur miserorum hominum, Christus misericordiæ oliuas ex-

Magna felicitas mundi cordis.

Cor virginis totum Christi est.

Mirus artifex Christus est in mundo corde regendo.

plicat: si regat turbas cogitationum, Christus sedet in clauo mentis: si sancta vota nuncupet, Christus suggerit nuncupanda: si Christum spiret, anima Christi est: si iustè viuat, sol æquitatis iustam subministrat viuendi consuetudinem. O cor beatum, cui fons puritatis Christus iungitur! O cor fortunatum, cui virginitas adhæreſcit: cor est humanum, quia hominis est: diuinum, quia supra hominem est: de homine trahit imbecillitatem, de Deo fortitudinem: de natura sanguinem, de gratia mentem: de luto carnem, de cœlo spiritum: de carne flammas, de spiritu niuem: de peccato originis fomitem, de dono gratiæ refrigerationem: de hoste pugnam, de amico victoriam? de corpore aculeos, de animo quietem: de terra spinas, de sponsi horto rosas. Dum virgo viuit Christo, viuit cœlo purior, sole clarior, luna candidior, niue, chrystallo, ebore, nitidior, liliis, rosisque suauior, verno tempore gratiosior. Nihil est illo virginali corde amœnius: si pratum dixeris, verum dixeris, cùm plures flosculi herbescentem prati viriditatem non exornent, quàm virtutum admirabilium amœnissimi flores cor purum. Illic videris perelegantes vernæ gra-

Beatum cor.

θεία καὶ ἀνθρώπινος καρδία.

Cor mundum verum pratum virtutum.

tiæ opes, quibus cor virginis locupletatur. Non tot & tàm diuersis coloribus prata distinguuntur, quot variis integritatis ornamentis cor mundum cohonestatur. Quanta suauitas odorum ex hoc corde afflatur, virgines sentiunt, intelligunt Angeli, qui humi serpunt, nedum cogitant. Si quis altius euolet, & cor purum castumque, cœlum esse asseuerarit, à scopo veritatis non aberrarit. Cœlum corruptioni minimè subiacet, neque cor virginis: cœlum à rebus terrenis maximè distat, cor etiam purum longè dissidet ab omni concretione mortali: cœlum suis non caret facibus, neque cor virginis suis stellis: cœlum est singulari cultum ornatu, cor purum insigni cultu & nitore afficitur: cœlum est domus Dei, cor virginis aula Christi: cœlum est Christi thalamus, cor purum diuini sponsi cubile: cœlum continuò voluitur, cor virginis ad Deum tanquam ad centrum suopte nutu, quolibet articulo temporis fertur: cœlum multo decore vestitur, cor purum tantæ est venustatis & elegantiæ, vt totum beatarum mentium cœtum in incredibilem sui rapiat admirationem: cœlum, ne multa, terrarum corona est, cor virginis corona corporis. Quanta sit beatitudo

Odora vis Angelorum. Mira suauitas è corde puro afflatur.

Cor purum merum cœlum.

Breue parallelum cœli & puri cordis.

οὐρανὸς γῆς στέφανος.

puri cordis dicat D. Ioann. Euangelista apud D. Paulinum: quia comitatui Regis æterni familiariùs adhærebunt penitus immaculati, & humanæ coniunctionis expertes! de quibus specialiter ait: Sequuntur agnum quocunque ierit, quia cum mulieribus se non coinquinauerunt, virgines enim sunt. Magna felicitas, à Christi latere nunquam discedere, illius suauissimo conspectu frui, ire in amplexus diuini sponsi, arctissimè illi coniungi.

Epist. 43. ad D. Augustin.

Quanta beatitudo mundi cordis.

S. Athanasius beatitudinem virginis & integri cordis mirificè prædicat: ὦ παρθενία, πλοῦτος ἀκατάληπτος! ὦ παρθενία, στέφανος ἀμαράντινος! ὦ παρθενία, ναὸς θεοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος οἰκητήριον. O virginitas, opulentia quæ non deficit! ô virginitas, corona quæ non deflorescit! ô virginitas, templum Dei, & sancti Spiritus domicilium! ô virginitas, venusta margarita & pretiosa, multis ignota, & à paucis inuenta! Addit postea: μακάριος ὁ κατέχων σε, beatus est qui te possidet, beatus qui perseuerat in tui tolerantia, quoniam paululùm defessus, multum in te gaudebit. Exclamat D. Chrysostomus, ô beatas nuptias quarum thorus est virginitas, ὦ μα-

De virginitate.

Beata virginitas.

Beatus possessor puri cordis.

De S. Thecla hom.

πορφυρεῖς. *σκεῦος γὰρ ἱερατικὸν ἡ παρθένος.*

χαρείων γάμων ὧν ἡ ἐρωμένη παρθενία. Magna eſt felicitas virginis, cum ſit Chriſti purpura, cuius vſus alteri non licet: cum ſit vas ſacrum, cor illius mundum, in quo Chriſti ſanguis recipitur: verè beatæ mundo corde virgines quia Deum videbunt.

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

De viſione Dei.



PVRO cordi Dei viſio promittitur: præmium omnium longè maximum, quo ſolo omnia bona continentur. Eſt iſta merces magna nimis, de qua Deus ad Abrahamum, ὁ μισθός σου πολὺς ἔσαι σφόδρα. Nihil Deo melius quia eſt ipſamet bonitas: nihil ſapientius, quia eſt ipſamet ſapientia: nihil potentius, quia eſt ipſamet poteſtas: nihil maius, quia ipſa eſt magnitudo & magnificentia: nihil pulchrius, quia ipſamet pulchritudo eſt & formoſitas: nihil fortius, nihil iuſtius, nihil ſanctius,

Merces magna nimis viſio Dei.

Geneſ. 15.

ſanctius, nihil perfectius: cum ſit ipſa fortitudo, ipſa iuſtitia, ipſa ſanctitas, ipſa perfectio. At promittitur mundo cordi Dei conſpectus, in quo hæc attributa, & multitudine innumerabilia alia cernuntur, intercedente lumine gloriæ, nec deerit promiſſo fides, modò non ſibi deſit puritas. Ingens pollicitatio, & quauis alia maior: liberalis, qua nulla poteſt eſſe liberalior: digna ſolo Deo, & illius immenſa charitate, qua genus humanum complectitur. Extra vim angelicam manet hæc poteſtas, nec ad eam aſpirare queunt: vltra regias vires & terminos, cum tantas mercedes in ſuis non habeant palatiis. Nullus, qui Deus non ſit, in beatiſſimum ſanctiſſimæ triados conſpectum, integerrimum hominis animum valet adducere: fruſtráque pollicetur tanti numinis præſentiam, niſi idem numen ratum haberet. Facile eſt dicere, puros corde Deum viſuros, ſed quæ ſit iſta viſio, quis dicet? Inquiramus, quid ſit Deus, vt quid ſit Dei viſio, aliquatenus intelligamus. Quid igitur Deus eſt, cuius ſimilitudinem animus refert? Reſpõdet D. Nyſſenus, οὐ σῶμα, οὐ σχῆμα, οὐκ εἶδος, οὐ πηλικότης, οὐκ ἀντιτυπία, οὐ βάρος, οὐ τόπος, οὐ χρόνος, &c. Non corpus, non

Dei vultus patet puro cordi.

Vni Deo conuenit iſta promiſſio, nemini verò alij.

Nec angelus, nec rex dare poteſt Dei viſionem.

Quid eſt Dei viſio.

Quid eſt Deus?

Responsio per negationem. figura, non species, non qualitas, non moles aspera, non pondus, non locus, non tempus, non aliud eorum quidpiam, ex quibus ea, quæ ex materia procreata sunt, cognoscuntur. Sed his omnibus, earúmque similibus rebus summotis, est quiddam, quod mente constat & est expers materiæ, *νοερόντι καὶ ἄϋλον, καὶ ἀναφὲς, καὶ ἀσώματον*, nec tangi potest, & corpore vacat, & omni dimensione caret.

Per affirmationem.

Lib. 2. stromat. Quid est Deus? Respondet D. Clemens Alexandrinus, Deus est *δυσάλωτόν τι χρῆμα καὶ δυσθήρατον, ἐξαναχωρῶν ἀεὶ καὶ πόρρω ἀφιστάμενον τοῦ διώκοντος*, res quædam est captu ac venatu difficilis, semper recedens, atque à persequente procul se remouens.

Respondet S. Dionysius Areopagita, Deum esse *πολυώνυμον*, quem *θεόσοφοι* celebrant & canunt, *ὡς ἀγαθὸν*, vt bonum, *ὡς καλὸν*, vt honestum, *ὡς σοφὸν*, vt sapientem, *ὡς ἀγαπητὸν*, vt amabilem, *ὡς θεὸν θεῶν*, vt Deum Deorum, *ὡς κύριον κυρίων*, vt Dominum Dominorum, *ὡς ἅγιον ἁγίων*, vt sanctum sanctorum, *ὡς αἰώνιον*, vt æternum, *ὡς ὄντα*, vt existentem, *καὶ ὡς αἰώνων αἴτιον*, & vt sæculorum caussam, *ὡς ζωῆς χορηγὸν*, *ὡς σοφίαν*, *ὡς νοῦν*, *ὡς λόγον*, *ὡς γνώστην*, vt vitæ ministrum,

καλὸς pulcher Deus. De Diuinis nominib. S. Dionys. c. 1. Multa Dei nomina.

vt ſapientiam, vt mentem, vt verbum, vt cognitorem, vt ſuperantem omnes theſauros omnis notionis, vt virtutem, vt dynaſtam, vt regem regum, vt antiquum dierum, vt immortalem & immutabilem, vt ſalutem, vt iuſtitiam, vt ſanctificationem, vt redemptionem. Τὸν αὐτὸν, ἐγκόσμιον, περικόσμιον, ὑπερκόσμιον, &c. Eundem in mundo, circa mundum, ſupra cœlum, ſupra ſubſtantiam, ἥλιον ἀστέρα, πῦρ, ὕδωρ, πνεῦμα, δρόσον, νεφέλην, αὐτόλιθον καὶ πέτραν, πάντα τὰ ὄντα, καὶ οὐδὲν τῶν ὄντων. Solem, ſtellam, ignem, aquam, ventum, rorem, nubem, lapidem & petram, omnia hæc, & nihil horum. *Diuinè S. Dionyſ.* *Omnia hæc Deus & nihil horum.*

·*· Benè idem S. Theologus, ait: Diuinum numen ſi eſſentiam ſpectes, nullo modo cogitari nec comprehendi poteſt. Neque enim eius, aut ſenſus, aut imaginatio, aut ſententia, aut ſermo, aut ſcientia, aut contactus vllus eſt.

Quid igitur dicemus eſſe Dei viſionem, cum Dei natura ab vlla re creata minimè poſſit comprehendi, nedum cogitari? In primis dicemus, etiamſi omnem obtutum ingenij diuina natura effugiat, duplicem eſſe Dei viſionem, vnam in patria, aliam in via: vnam quam vocant intuitiuam, *Dei natura comprehendi nequit.* *Duplex Dei viſio, vna in via, alia in patria.*

aliam abstractiuam; vnam, quæ fit facie ad faciem, aliam per speculum & in ænigmate; vnam, dum spectatur Deus, aliam, dum opera cernuntur. Vtramque verò illam mundis corde promitti, liquidissimum est. Et primùm, quem fugit primam illam promissionem in via compleri: cum soli sint ex omnibus mortalibus puri cordis studiosi, qui in rebus creatis Deum vident, quique diuinam in administrando terrarum orbe, conseruandóque pronœam agnoscunt & reuerentur? Illi sunt qui rerum creatarum gradibus ad Conditorem ascendunt, qui ex admiranda totius naturæ fabrica, ex illius concinno numerosóque ordine cœlestem opificem inuestigant, qui ex variis, pulcherrimisque operibus insignem illum mundi architectum reperiunt. Vident vbique Deum in huius vniuersi grandi speculo, vident in cœlorum machinis, in solis cursu, in lunæ conuersionibus, in ortu siderum & occasu, & qui sublimia illa opera confecit, magnopere celebrant: vident in igne, variisque aëris imaginibus, in pluuiis, niue, grandine, nebulis, rore, fulmine, fulgure, arcu cœlesti, cometis, aliisque id genus facibus, & earum rerum artificem laudant summo-

Admirabilis Deus in admiranda totius naturæ fabrica.

Deus videtur à puris corde in operibus naturæ tanquam in speculo.

pere : vident in aquis & piscibus, in terra & frugibus, in animantibus & auibus supremum omnium genitorem, & eum venerantur. Vident in hominis natura, vident etiam in angelica supremi numinis bonitatem, sapientiam, & potestatem. Vident oculis puri cordis, ea quæ impuræ mentes nequeunt intueri. Solent integerrimi homines è rebus quæ cadunt in sensus, Deum, vt ita loquar, venari.

Oculi puri ea vident quæ tecta sunt impuris.

Quemadmodum enim quispiam citharam pulcherrimè confectam, & elaboratam conspiciens, eiusque concinnitatem & constitutionem, aut etiam ipsius citharæ cantum audiens, nihil aliud quàm ipsum citharæ conditorem atque citharœdum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur, etiamsi de facie ignotum : eodem quoque modo, (puro cordi) is, qui res effecit, effectasque mouet atque conseruat, manifestus est, etiamsi mente minimè comprehendatur. Per ea quæ facta sunt, Deum cognoscunt ij qui puritatem cordis diligunt. Petunt, Quid enim tandem illud est, quod cœlestia & terrestria, quæque, vel per aërem, vel per aquam feruntur, vel potius ea, quæ his priora sunt, cœlum terram, aërem, aquam certo ordine col-

Orat. 34. S Naz. Simile.

Per ea quæ facta sunt puri corde Deum vident.

Ex loc. sup. cit. D. Greg. Naz.

Pulchra puri cordis ratiocinatio.

locauit? quis hæc miscuit ac seiunxit? quæ mutua horum societas, naturæque concordia & conspiratio? quis motum his attulit, ac perpetuo miniméque impedito cursu ea moderatur? an non eorum artifex (Deus) & qui rebus omnibus rationem eam indidit, qua vniuersum fertur & gubernatur? quis porrò horum artifex? an non is, qui hæc procreauit atque in rerum naturam produxit? neque enim proculdubio casui fortunæque hæc vis & facultas ascribenda est. Purus corde hæc videt, quæ D. vidit Athanasius, cum ait: ἔπλασεν ἡμᾶς χερσὶν οἰκείαις ὁ θεὸς, τροφῆς αὐτοσχεδίου κτήτορας ἔδειξε, τρυφῆς ἐξουσίαν, γῆς ὑπουργίαν ἔδωκεν, ἀέρος δουλείαν, θαλάττης εὐπορίαν παρέσχετο, ἡλίου βολὰς, σελήνης αὐγὰς, ἀστέρων φορὰς, ζώων πάντων ὑποταγάς. Finxit nos manibus suis Deus, cibi sponte nascentis possessores constituit, voluptatis & delitiarum vsum, terræ ministerium dedit & imperium, aëris obsequium, maris vbertatem concessit, solis radios, lunæ fulgores, stellarum motus, animalium omnium subditum genus. * Eximia hæc est Dei visio in via.

In assumptione D. N. Iesu Christi.

Dei visio in via ex agnitione beneficiorũ.

De hac beatitudine visionis, quæ fit ex operibus Dei cognitis, ita S. Nyssæ antistes:

ἔστι γὰρ διὰ τῆς ἐμφαινομένης τῷ παντὶ σοφίας, πάντα πεποιηκότα στοχαστικῶς ἰδεῖν, &c. Licet enim per eam, quæ in vniuerso apparet, ſapientiam, coniiciendo, eum cernere, qui omnia cum ſapientia effecit. Quemadmodum etiam in operibus humanis, mente cernitur quodammodo alicuius propoſitæ ſtructuræ artifex, quippe qui artem operi inſeruerit. Non videtur autem artificis natura, ſed arte conſtans duntaxat ſcientia, quam artifex in opere expreſſam reliquit. Eodem etiam modo cum ad ornatum, qui in rebus creatis conſpicitur, ora conuertimus, notionem quandam non ſubſtantiæ, ſed illius qui ſapienter omnia condidit, ſapientiæ, in nobis formamus & exprimimus. Quin etiam ſi vitæ noſtræ cauſam conſiderauerimus, quod non ex neceſſitate, ſed ex bonæ voluntatis arbitrio ad creandum hominem motus ſit, rurſus hoc modo dicimus nos Deum vidiſſe, cum non naturam, ſed bonitatem comprehenderimus. Eodem modo cætera quoque omnia, quæ cogitationem erigunt ad id quod præſtantius eſt & ſublimius, talia id genus cognitionem Dei vocamus, cum vnaquæque ſublimis cogitatio Deum nobis repræſentet, &c. Igitur per ea, quæ

Orat 6. de beatitud.

Simile.

Non videtur artificis natura ſed ipſa ars.

Viſio ſapientiæ Dei non ſubſtantiæ, τῆς οὐσίας.

Viſio bonitatis Dei non naturæ.

Cognitio Dei viſio Dei.

modò dicta sunt, ostenditur, quomodo & Dominus vera dicit, qui pollicitus est Deum ab iis, qui sunt puro corde, conspectum iri.

Cognitio sui visio Dei.

Neque tantùm cognitio rerum ab homine seuocatarum promittitur puris corde, sed etiam suæ imaginis, in qua diuinæ naturæ similitudo pulcherrima exprimitur. Benè de hac visione idem Nyssæ lumen:

Luc 17.
εἰς μακαρισμοὺς λογ. ς.

Intra vos est regnum Dei, vt doceamur, quod qui cor suum ab omni re creata & vitiosa affectione expurgauit, *ἐν τῷ ἰδίῳ κάλλει, τῆς θείας φύσεως καθορᾷ τὴν εἰκόνα*: in propria pulchritudine diuinę naturæ imaginem intuetur. Ac mihi videtur verbum, paucis, quæ dixit, eiusmodi consilium complecti.

Egregia prosopopœïa.

O vos homines, quibus inest aliqua cupiditas veri boni contemplandi, cum audieritis diuinam Majestatem supra cœlos euectam, eiusque gloriam minimè explicari posse, pulchritudinem nec efferri, neque naturam comprehendi: nolite spem omnem abiicere, quòd non possitis intueri, cuius incredibili desiderio tenemini. Nam quod à te (ô homo) percipi potest, Dei contemplationis in te modus est: quippe cum is, qui te formauit, statim tale bonum naturæ tuæ veluti sub-

ſtantiam inſeuit. Tuæ enim fabricæ Deus ſuæ naturæ bonorum ſimulacra & ſimilitudines expreſſit, veluti ceram quandam ſculptili figura obſignans. Sed vitioſitas charactеri diuinam formam referenti circumfuſa, bonum turpibus tectum inuolucris tibi reddidit inutile. Si igitur diligenti & gnauo vitæ genere, ſordes cordi obductas ablueris, rurſus in te diuina pulchritudo refulgebit. Et paulò poſt: Ergò qui ſeipſum videt, in ſeipſo quod deſiderat, intuetur: atque ita beatus fit, qui corde puro eſt præditus: quoniam dum ſuam puritatem intuetur, in imagine videt archetypum. Quemadmodum enim ij, qui in ſpeculo ſolem vident, etiamſi cœlum ipſum fixis oculis non videant, nihilo ſecius in fulgore ſpeculi ſolem vident, quàm ij qui ſolis globum intuentur: ita, inquit, & vos, etiamſi vires vobis non ſuppetant ad lucis contemplationem, ſi ad eum qui ab initio in vobis conſtitutus eſt imaginis decorem redieritis, in vobis ipſis, quod quæritis, habetis. Puritas enim & vitiorum affectuumque vacuitas, & ab omni malo abalienatio deitas eſt: Si igitur hæc in te ſunt, Deus prorſus in te eſt ·*· Si Deus in te eſt, oculis puritatis, etiam viator, intueris.

Sui viſio Dei viſio.

ἐν τῇ εἰκόνι καθορᾷ τὸ ἀρχέτυπον.

ἐν κατόπτρῳ ὁρῶντες τὸν ἥλιον.

Simile.

De vera Dei visione, quæ post hanc vitam in cœlo puro cordi promittitur.



E fide est, puros corde in cœlo beatos, Deum visuros, & quidem, vt ait Apostolus; facie ad faciem, & vt canit sacer scriptor, videbimus eum sicuti est. Omne velum subductum erit, patebit Dei vultus, nec ampliùs erit opus rerum creatarum speculis, nec vllis colorum pigmentis, nec solis radiis, nec figuratis corporibus, nec debitis locorum intercapedinibus. Videbitur Deus Deorum in Sion, pulcherrimum omnium spectaculorum spectaculum. Erit integerrimis oculis amœnissimum lumen, lumen æternum: erit puro cordi pura flamma, flamma sancti Spiritus: erit casto pectori suauissimus balsami liquor, liquor perennium delitiarum: erit virginali dextræ palma immortalis, palma victoriarum: erit omnium speculorum tersissimum & poli-

Cap 13. 1 ad Cor.

2. Ioann 3. Beati mundo corde in cælo Deum videbunt.

Psal. 83.

Oculis puris lumen æternum lucet.

ἐγὼ φλόξ.

tiſſimum ſpeculum, in quo fulgor & ſplendor ſupremi Patris radiat ad perpetuam æternitatem: erit Chriſti vultus, puriſſimæ mentis cynoſura, erit Dei viſio aperta mundo cordi, aperta caſtis oculis integritatis, aperta angelicæ vitæ, ſumma felicitas. Quis illam explicet? Lingua D. Auguſtini, imò plectrum ſancti Spiritus hæc perſtringit, quoad mundi cordis beatitudinem:

Dei viſio cynoſura puræ mentis

Serm. 14. hom. in Euang. Matt.

Quoniam ipſi Deum videbunt: Hic eſt finis quo perficiamur, non quo conſumamur. Finitur cibus, finitur veſtis; cibus, quia conſumitur edendo; veſtis, quia perficitur texendo: & illud finitur, & illud. Sed finis iſte pertinet ad conſumptionem, ille ad perfectionem. Quicquid agimus, quicquid benè agimus, quicquid nitimur, quicquid laudabiliter æſtuamus, quicquid inculpabiliter deſideramus, ad Dei viſionem cum venerit, plus non requiremus. Quid enim quærat, cui adeſt Deus, aut quid ſufficiat ei cui non ſufficit Deus? videre Deum volumus, videre Deum quærimus, videre Deum inardeſcimus. Quis non? ſed vide quid dictum eſt. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Hoc para vnde videas: vt enim ſecundùm

Cui adeſt Deus felix eſt. Quid ei ſufficiat, cui non ſufficit Deus?

Cor mundum comparandum vt Deus videatur.

Diuina mens D. Augu.

Lux gaudium lynceis oculis: tormentum lippis.

Impuris oculis negatur Dei visio.

In puro corde sunt oculi quibus videtur Deus.

Oculi fide illuminati.

carnem loquar, quid desideras ortum solis cum oculis lippis? sacri sint oculi & erit illa lux gaudiũ. Non sint oculi sani, erit illa lux tormentum. Non enim corde non mundo videre permitteris, quod non videtur nisi corde mundo: repellêris, auferêris, non videbis. Et paulò post: Ventum est ad mundos corde, ibi visio Dei promissa est. Non sine causa, nisi quia ibi sunt oculi, vnde videtur Deus. De his oculis Paulus Apostolus loquens ait, Illuminatos oculos cordis vestri. Modò ergo isti oculi pro sua infirmitate illuminantur fide, postea pro sua firmitate illuminabuntur specie. Quandiu enim sumus in corpore peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem. Et rursus: Videte cui dicatis, si tamen dicitis, si verè dicitis: Tibi dixit cor meum, quærã faciem tuam. Dicat & cor tuum, & adde, Vultum tuum Domine requiram. Benè enim requiris, quia corde requiris. Et iterum: Iam in cor tuum, si placet, intret arca testamenti, & ruat Dagon. Audi ergo nunc, & disce Deum desiderare, disce, vnde Deum videre possis, præparare. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quid præparas oculos corporis? si sic vi-

Psal. 26.

Rectè puro corde quæritur Deus, quia reperitur eius vnitus.

debitur in loco erit, quod videbitur; non est in loco, qui vbique totus est. *Non videtur Deus oculis corporis.*

D. Chrysostomus de hac beatitudine, nimirum visione Dei, ita loquitur: Ecce rursus præmium spirituale, &c. Nihil enim nobis est ita opus ad videndum Deum, vt istius puritate virtutis: propter quod Paulus ait, Pacem sectamini, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. *In c 5 Matth.* *Ad videndum Deum nihil adeo necessarium ac mentis puritas.* *Hebr 12.*

Breuiter Theophylactus: Nam absque sanctificatione, hoc est, castitate, nullus videbit Deum. Sicut speculum, si fuerit mundum, accipit imagines: ita & anima pura faciem Dei ✱ Tot sunt in cœlo tersissima specula in quibus solis iustitiæ clarissimi radij excipiuntur, quot sunt purissimæ mentes, quot sunt integritatis ornatibus locupletatæ animæ, quæ pulcherrimo, sanctissimóque Dei vultu perfruuntur. Quàm suauis est iste vultus, quàm beata corda, quæ mille fulgores benigni oris leniter commeant! *In c 5. Matt. Euang.* *Elegans similitudo.* *Animæ puræ specula in quibus facies Dei videtur.*

D. Gregorius Nazianzenus vera de visione Dei eloquitur: Eodem modo Deus, cum tam iis, quæ intelligentia vtuntur, quàm quæ mente & intellectu comprehenduntur, hoc afferat, vt & illa intelligant, & hæc intelligentia percipiantur, ipse *Orat. 22.*

Deus intelligibilium omnium vertex summus.

tamen intelligibilium omnium est summus vertex, in quo desiderium omne consistit ac defigitur, nec supra eum vsquam fertur. Nec enim quicquam sublimius habet, aut omnino habebit mens vlla, quantumuis Philosophica, & altissimè tendens, ac summè curiosa. Hoc etenim rerum omnium expetendarum extremum est: quò cum peruenerimus, conquiescit omnis speculatio.

Deus rerum expetendarum caput.

Ex omnia sacraque philosophia in beatitud. indagãda.

τῷ ἀκραιφνεστάτῳ φωτὶ κραθῆναι.

Beatus quis?

Cuicunque igitur terrena mole per rationem & contemplationem perrupta, solutáque hac carnali, siue nubes, siue obuelatio dicenda est, cum Deo commercium habere, ac purissimæ luci, quantum humanæ naturæ datum est, commisceri licuerit, is duplici nomine beatus prædicari debet: tùm quod hinc sursum ascenderit, tùm quod deificationem illam sit consecutus, quam verum & sincerum Philosophiæ studium conciliat, ac mentis supra terrenum binarium subuectio, propter eam, quam in Trinitate intelligimus, vnitatem.

Orat. ij in laud. Gorg. sor.

Mentis puræ et puri cordis felicitas in aspectu S. Trin.

Idem S. Theologus in quadam oratione funebri paucis declarat quæ sit puræ mentis post hunc vitæ decursum felicitas, & de S. Trinitatis beatissimo aspectu agit: Equidem non dubito, quin iis, quæ oculis cer-

nuntur, multo præstantiora sint ea, quibus nunc frueris (alloquitur puram animam S. Gorgoniæ) nempe sonus epulantium, Angelorum chorea, cœlestis ordo, gloriæ contemplatio, cum alterius, tum supremę Trinitatis purior & perfectior illuminatio, non iam vinctam mentem ac per sensus diffusam suffugientis, sed totam se toti menti contemplandam & tenendam præbentis, totóque diuinitatis lumine animis nostris affulgentis.

Purorum animorum in cœlo beatitudo.

Eleganter & subtiliter Scholiastes Diui Gregorij, Elias nomine, ad hunc locum hæc habet in gratiam puri cordis D. Gorgoniæ, quod mirum in modum ab aspectu Dei recreatur ac reficitur: Omnino his puriùs & perfectiùs frueris, quorum hîc riuulos habebas (etenim vitiosis animis, qui mentis occasus sunt, iustitiæ sol occidit: purissimis autem, qui mentis ortus sunt, ipsius lumen illucescit) ad quem tota conuersa, in hac quoque vita radiis hinc defluentibus per purgationem collustrabaris.

In scholi q. Orat. N. z. Puræ mentis beatitas.

Impuris animis sol iustitiæ occidit: puris oritur.

*; Quàm verum est, primùm hac in vitæ palæstra, Deum puro cordi quosdam radios sui luminis communicare, velut internuntios supremę felicitatis: deinde cum è corporeis vinculis pura euolarit anima,

Fontem lucis cor purum in Deo habet.

Deus non ampliùs radiis tenuissimis illius mentem illustrat, sed pleno fonte lucis irrigat, & toto sole complet: tunc cor purum in fonte puritatis lumen haurit, quo totum radiat & emicat.

De gradib. Ascensus beatitud. ser. 1.

Visio Dei quãta sit beatitudo nemo dicet.

Magnum Leonem audio de visione Dei promissa mundo cordi: Magna felicitas, dilectissimi, cui tantum præmium prȩparatur. Videre autem Deum, quantȩ sit beatitudinis, quæ mens concipere, quæ lingua valeat explicare? & tamen hoc consequetur, cum transformabitur humana natura, vt non iam per speculum in ȩnigmate, sed facie ad faciem, ipsam, quam nullus hominum videre potuit, sicuti est, videat deitatem. Et quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, per ineffabile gaudium æternȩ contemplationis obtineat. Meritò hȩc beatitudo cordis, promittitur puritati. Splendorem enim veri luminis sordens acies videre non poterit: & * quod erit iucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculosis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni squalore iniquitatis oculi tergantur interiores, vt serenus intuitus tantùm Dei visione pascatur ·*· Ista tam diuinè proferuntur, atque sunt diuina:

1. Cor. c. 13.

Beatitudo cordis promittitur puritati.

Lumen perenne tantũ puræ patet pupillæ.

Mira res *

Dei visio sereni pastus oculi.

tam

tam altè, vt ſtupor puræ mentis ſequatur veſtigia.

Piè D. Bernardus, Beati planè & omnino beati qui videbunt, in quem deſiderant angeli proſpicere, quem videre vita æterna eſt. Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram ·*· Hanc puriſsimam faciem cor purum quærit.

In feſto omnium Sanctor. Serm. I.

Viſio Dei vita æterna.

Benè S. Hilarius: Mundis corde conſpectum Dei ſpondet. Nihil enim pollutum & ſordidum ad occurſum diuinæ claritatis inſiſtit, & ad conſpectum Dei acies obſoletæ mentis habetatur. Eos ſcilicet & viſui & occurſui Dei eſſe patentes, quibus per animi nitorem ac vitæ puritatem poteſtas eius ſit contuendi. Non enim niſi ſpiritu perfecti, & iam mortalitate immutati, quod ſolis mundis corde diſpoſitum eſt, hoc quod in Deo eſt immortale cernemus.

In c. 5. Matth.

Impurus non videbit Deum.

Purus videbit.

In Deo infinita videntur bona à puris mentibus.

Benè quoque D. Chromatius: Huiuſmodi ergo mundo corde Dominus beatos eſſe oſtendit, qui pura mente & integra conſcientia ſub fide Domini viuentes, Deum gloriæ in futuro cœleſti regno conſpicere merebuntur; non iam per ſpeculum, & in ænigmate, ſed facie ad faciem

In id. Euang. ſerm. I.

vt retulit Apostolus. Modò enim licet oculis fidei Deum contemplemur, claritatem tamen eius præ infirmitate carnis videre non possumus: tunc autem videbimus eum, accepta immortalitate in cœlestem gloriam transformati, cum immortalem Deum immortalibus oculis conspicere cœperimus. Et tunc verè implebitur in nobis illud, quod scriptum est: Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum. Non immeritò idem Dauid cum futuri temporis gloriam ostenderet, in qua sancti cum Deo habitabunt, ita retulit: Attamen iusti confitebuntur tibi, & habitabunt recti cum facie tua.

Immortales oculi.

Psal. 74.

Diuino more differit S. Macarius, cum explicet qua ratione purissimæ mentes ad visionem tandem Dei feliciter aspirent: Eadem ratione & in regno cœlorum, ob spem quam quis concepit de cordis oculis illuminandis, ἐπ' ἐλπίδι τοῦ φωτισθῆναι τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας; seipsum dedicat, relictis rebus huiusce vitæ, precibus & orationibus vacans, expectat Dominum, quando veniens illi seipsum patefaciat, & eum ab omni peccato expurget. Et paulò post, Cum autem gustauerit suauitatem Domini, & fructibus spiritus delecta-

Hom. [illegible].

tus fuerit, & ablato tenebrarum velo, τὸ φῶς τοῦ χριστοῦ ἐλλάμψῃ καὶ ἐνεργήσῃ ἐν χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ, τότε πληροφορεῖται ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ τὸν κύριον ἐν πολλῇ στοργῇ: lux Christi lucere cœperit, & vim suam edere cum immenso gaudio, tunc roboratur habens secum Dominum per multam dilectionem ·*· Non potest esse maior dilectio, cum purum cor toto accendatur Deo, vbi erit suprema eiusdem Dei visio.

In corde puro Christus in... ablato velo caliginis.

D. Laurentius rectè notat puri cordis mercedem in cœlo asseruari: Cæterum cum istius virtutis merces perfecta in futuro seruetur, sicut per prophetam de electis dicitur, quia videbunt regem in decore suo, potest tamen in hac vita ex parte vtrumque gustari & videri per speculum in ænigmate fide mediante, qua purificantur corda fidelium, & oratione assidua, quę reddit animam præsentem Deo, atque sedula exercitatione virtutum.

Lib. de humil. c. 10.

Puritatis merces in alia vita.

Isai. 33.

Fidei oculis videtur Deus.

Vi orationis videtur quoque.

Idem acutè & piè de puri cordis bono, nimirum aspectu Dei: Cognoscere verò Deum, sicuti est, non est instantis temporis, sed futuri. Donec in hac peregrinatur homo carne, quousque corruptioni est subditus, ad hanc cognitionis non attingit

De casto connubio verbi & animæ.

Videre Deum sicuti est, non est huius temporis.

celſitudinem. Deuicto autem triumphatóque mundo, ſi in ſortem veniet electorum, hanc viſionis gloriam conſequi merebitur, de qua Ioannes ait: Cariſſimi nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus: ſcimus, quòd cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. Prima namque Dei cognitio peregrinantium ac viatorum eſt, ſecunda triumphantium & angelorum, tertia autem nec hominum, neque angelorum. Omnem quippe creatum ſupereminet intellectum. Ipſe etenim cognoſcit ſe per ſe in ſe, non aliqua eget luce. Verbum lux eſt, per quod cognoſcit ſe finitè infinitum non in tempore, ſed æternaliter, non cõfuſè ſed perſpicuè lympidiſſiméq;, quoniam in eo tenebræ non ſunt vllæ. Hæc eſt vita æterna, quæ credi debet, non inueſtigari. Lucem quippe habitat inacceſſibilem, vnde ſcrutator ipſius Maieſtatis opprimitur à gloria *. Prima & ſecunda viſio puris mentibus conceditur, diuerſis in ſtatibus: hac in vita, prima: in altera, ſecunda: tertia Dei eſt, non alterius: via ſuam habet cognitionem, ſua non caret patria: quæ eſt viæ, cedit illi quæ eſt patriæ, & vtraque inferior eſt infinitis partibus, ea

Filij Dei, puri corde.

1. Ioann 3.

Triplex Dei cognitio.

Vt ſe cognoſcat Deus, luce non eget, quia lux eſt.

Verbum lux.

Duplex viſio conceſſa puræ menti.

Tertia Dei eſt.

quæ Dei est. Talis est ordo notionum vt à finitis ad infinitam fiat ascensus, quæ omnia complectitur, & est corona omnium.

Immensa est puræ mentis ex Dei aspectu oblectatio.



VM omnis homo incredibili sciendi desiderio flagret, nihil illi potest esse gratius, suauius nihil, quàm si aliquid noui, de nouo didicerit. Et cum sint multa, & admodum varia scienda, eò quod sint multæ variæque artes, quo sunt ea nobiliora, pulchrioraque, quæ cognoscuntur, eo sunt etiam earum rerum notiones suauiores & amœniores. Nam idem euenit oculo mentis, quod oculo corporis: oculus corporis tanto maiorem à rebus coloratis haurit voluptatem, quanto res colorata est venustior & gratiosior aspectui: vnde videmus multò plus affici sensus perfectioribus obiectis, quàm minùs perfectis, quòd plus sit lenocinij, plus integritatis in absolutis operi-

Omnes scire appetunt.

Quo notio est pulchrior, eo suauior.

ὄμμα νοῦ: ὄμμα σώματος.

bus, quàm in minimè expletis. Mentis igitur oculus maiori vi rapitur ab illa re sibi obiecta, quæ plus continet perfectionis, quia plus etiam continet oblectationis: quàm ab alia minùs absoluta suis numeris; & longè arctiùs ei adhæreſcit propter innatam menti cum illa cognationem. Certè omnibus notissimum est, esse gradus rerum, & gradus cognitionum: deinde esse in rebus numeros veritatis, & illos partim esse cognitos, partim agnitos humano generi: tertiò vnius veritatis scientiam, tantam secum deferre, aut potius à se gignere voluptatem, vt reliquas corporis, sensuumque, voluptates multis partibus superet: demum, quo difficiliores sunt artes, eo etiam esse præclariores, ornatioresque, constat. Ex his omnibus fit vt vnius rei vera perfectáque cognitio, hominem adeò interdum afficiat, vt vi perceptæ oblectationis, ab omnibus sensibus abstrahat, & cæterarum rerum obliuionem inducat. Quod si tanta vis est, vel vnius rei demonstratio, vt incredibili voluptatis sensu animum perfundat, quid fiet, ad multarum rerum notiones absolutissimas? & certè quantæcunque sint, semper aliquid latet, quod nescitur. Et si contingat aliquando,

Sunt gradus rerum & gradus cognitionum.

(ne dicam sæpius) nostras cognitiones esse falsas, nihilominus licet sint fuco plenæ, & adulterinæ nos oblectant, quod putemus veritatis numeros continere: quantopere igitur nostras mentes delinirent si veræ essent, quandoquidem in se falsæ, sua apud nos, non careant voluptate? Fingamus aliquem virum eruditum videre oculis priùs corporeis, deinde mentis acie, ea omnia, quæ subtilissimus naturæ genius scripsit Aristoteles, videre causas, effectus, adiuncta, aliaque, quæ spectant ad ipsam Philosophiam: demus eundem Archimedis opera æquè benè callere, atque ipse author: concedamus omnes propositiones Euclidis à prima ad vltimam perfectissimè demonstrare posse: non ei adimamus omnes humaniores artes, absolutissimam eloquentiæ ideam, tabulam poeseos, grammatices onus, astrorum numeros, terrarum dimensiones, marium tractus, insularum coronas, animantium varietates, piscium, auiúmque discrimina, frugum, florum, arborum, baccarum, prouentus & naturas: D Thomam complexum teneat, cæterosque cœlestium & sublimium artium interpretes: denique sciat ea omnia, quæ à mundi incunabulis, variis sæculis, va-

Multæ notiones adulterinæ.

Viri multa cognoscentis descriptio.

riis à scriptoribus memoriæ sunt tradita, dubio procul, nemo mortalium, nec mente assequi, multo minus oratione complecti vnquam poterit, quæ istius hominis esset voluptas, quàm incredibilis oblectatio? Tam multa, tam varia, tam iucunda, tam ignota multis, tam grandia, tam difficilia, tam pulchra, & homine digna intueri, quodnam genus hilaritatis? quæ species dulcedinis? quæ forma oblectamenti? Fateor huius viri aspectum plurimùm recreari; mentis oculos tam eleganti, diuersáque tantarum rerum pictura mirum in modum refici: sed si hic aspectus rerum, cum aspectu puri cordis comparetur, si hæc naturarum cognitio, cum cognitione Dei conferatur, non erit ampliùs aspectus sed cæcitas, non cognitio, sed ignorantia: erit hic vir eruditus puer vnius diei, purus corde gigas complurium ætatum. Frangenda sunt rerum tenuissimarum specula coram magno totius orbis speculo: ad solis ortum, stellę non comparent: minor status maiori cedit. Quis explicet purę mentis in cœlo vim oblectationis, quàm ex aspectu Dei percipit? quis intellectus, animę oculi, singularem voluptatem, quam è diuino vultu haurit suauissimè? quis in illa cogni-

Aspectus Dei superat omnem aspectum.

Vbi speculum Dei est, non est opus speculis rerum creatarum.

tione, omnes rerum cognitiones, illa inferiores, recognoſcet? quis dicet, quis ſit mentis intelligentis ſtatus, cum ſanctiſſimam Triadem intelligit? quis exponet, quomodo hæc ſola Dei Opt. Max. cognitio, infinitas cognitiones longè maiores & pulchriores humanis notionibus, repræſentat? quis efferet, quomodo cognoſcendo Deum, omnia cognoſcuntur? quis ſubjiciet eam diuinam videndi rationem, qua cernitur id quòd omnem humanum declinat obtutum? In hoc ſita eſt beatitudo, quòd anima Deum videat, Deum intelligat: in hoc beatitudo, quòd æternum Patrem æternùm generantem Filium, Filium æternùm genitum, Spiritum ſanctum ab vtroque æternùm emanantem aſpiciat: in hoc beatitudo, quòd trium perſonarum notiones & hypoſtaſes, & earundem perſonarum eandem naturam apertè cernat: in hoc beatitudo, quòd intelligat tantum numen & tam immenſum à nulla re creata poſſe comprehendi: hinc ſequitur, (vt cum ſacris loquar paginis) torrens voluptatis quo purum & beatum cor potatur, hinc vbertas domus Dei, qua pura mens inebriatur: hinc oblectatio quæ non incurrit in humanos ſenſus, qua non perfunduntur

Torrens voluptatis.

Vbertas domus Dei.

Mens in Deo contemplando tota.

corpora, nec ad phantasmata aduolat: talis est ista delectatio, vt anima sempiterna admiratione defixa, tota sit in contemplando Deo feliciter occupata, & tanta est ista vis suauissimæ voluptatis, vt nusquam mentis suæ oculos à pulcherrimo Dei vultu auocet. Quomodo auocaret, & quò converteret? à summo bono, ad minimum? à conditore ad rem creatam? minimè gentium. Deus illi est omne bonum: habet, habet purissimus animus in Deo suæ puritatis originem & mercedem, habet ipsa mens principem & tandiu quæsitam veritatem, quæ prorsus magnam illam sitim sciendi extinguit, habet ingenij lucem quam inter mundi tenebras quærebat, nec reperiebat: habet in diuino speculo vniuersas rerum omnium imagines, non modò earum quæ fuerunt, sed etiam quæ fieri possunt, nec vnquam erunt: videt in verbo res admirandas, præstabiles, dignas stupore beatarum mentium, videt multa floribus suauiora, gemmis pretiosiora, iride formosiora, luce clariora, cœlo puriora, sole pulchriora, homine superiora, Angelo præstantiora: videt quod non vident in terris lyncei, nec omnes acutissimi, eruditissimique philosophi: quod

vident, ſuperat omnem vim loquendi, ſcribendi, cogitandi; quod vident, eſt quod mortales neſciunt, & quod videre appetunt, quia immensè verum eſt, & summè bonum eſt: quod vident, eſt quod ſanctos viros à ſenſibus etiamnum ſuperſtites auocat, eſt quod miramur & ſuſpicimus, eſt quod laudamus & diligimus, eſt quod ſperamus Chriſtiani, modò ſit nobis curæ ſancta mentis integritas.

De hac oblectatione quæ ex diuino aſpectu percipitur, agit D. Chryſoſtomus, coniungendo etiam oblectamenta quæ conſequuntur aliorum beatorum aſpectum: ἀλλ' ἔνθα μυριάδες ἀγγέλων, ἐκεῖ χιλιάδες ἀρχαγγέλων, ἀλλαχοῦ συμμορία προφητῶν, ἑτέρωθι μαρτύρων χοροί, ἀποστόλων τάγματα, σύλλογοι δικαίων, τῶν εὐηρεστηκότων ἁπάντων δῆμοι διάφοροι. Sed hîc ſunt infinita millia Angelorum, illic multa millia Archangelorum, alibi Prophetarum ſodalitia, Martyrum chori, Apoſtolorum ordines, iuſtorum coronæ, & omnium qui ſe præclarè geſſerunt diuerſi cœtus. Mirabilis eſt omninò iſte conſeſſus, & quod eſt omnium maximum, in horum omnium conſeſſu Rex verſatur. ἐκεῖ οἱ διηνεκῶς οἱ παρόντες ὁρῶσιν ὡς αὐ-

De beato Philogonio hom. 31.

Regis cœli viſio.

τοῖς δυνατόν. Illic autem qui adſunt, perpetuò vident (regem Deum) quatenus illum videre licet, non ſolùm præſentem, verùm etiam ſplendore ſuæ gloriæ totum cœtum exornantem.

Hom 37. in Euang. Accedit quoque S. Gregorij Papæ de hac re authoritas: Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere ſufficit, illa ſupernæ ciuitatis quanta ſint gaudia? Angelorum choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ Conditoris aſſiſtere, præſentem Dei vultum cernere, incircumſcriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari?

Quantum igitur bonum ſit eſſe puro corde, facili negotio quiſquis intelligit, qui Chriſtum Dominum docentem audire velit. Promittit magna præmia, quia ſe promittit, & ſtat promiſſis, in hoc longè ab hominibus alienus, qui mira pollicentur, & nihil præſtant: ipſe verò multo plura largiri ſolet, quàm promittit: tanta eſt illius magnificentia, tantáque bonitas. Propoſito tanto præmio integerrimo cordi, quis non illo excitetur? cum in eo ſit tota conſtituta beatitudo. Mihi fas eſt exclamare, ô beatum puri cordis conclaue,

quod regem possideat sponsum, cui parent Angeli, cui cœlestes intelligentiæ seruiunt, cuius mandata cœli capessunt, & siderum globi obsequuntur! ô beatum pectus quod castitati dicatum est, cum sit in cœlo ara Christi futura! ô beatam mentis aciem, quam sol iustitiæ ad omnem æternitatem sua larga luce complet & illustrat! Videbit mentis oculus ἐν μαρμαρυγαῖς τῶν ἁγίων ἁγιωτάτου, in splendoribus Sanctissimi Sanctorum quod amabit, amabit quod laudabit, laudabit quod possidebit, possidebit quod nunquam perdet. Quomodo perderet quod vbique est, & quod sibi æterno necessitudinis vinculo sibi coniunctum est? Videbit, & satiabitur videndo, nec tædium vnquam sequetur. Videbit & intelliget, nec vnquam videre, nec intelligere desistet. Erit perennis & vigil argus mentis oculus, imitabiturque Deum videndo, cuius oculus est ἀκοίμητος, quia nunquam dormit. Erit cor purum vigilans pharetra, ex qua perpetuæ notionum & amorum sagittæ in suauissimum Dei speculum emittentur. Erit mens pura sol nouus, ex quo fluent radij, qui continuo in primæ lucis originem refundentur, & coalescent. Bo-

Psalm. & D. Chrysost.

D. Chrysost.


Cor purum vigilans pharetra.

Mens pura sol nouus.

num est hîc cœlum gratiæ intueri, vt post decursum huius vitæ stadium, cœlum gloriæ liceat contemplari. Interim sperare probo viro, puroque cordi dulce est.

Cælum gratiæ respiciendum. Cælum gloriæ sperandum.





SEPTIMA CLASSIS
Pacificorum.



AD septimam aggredimur classem, quæ tranquillissimi mater est otij. Hoc sequuntur alumni pacis, & nunquam minùs sunt otiosi, quàm cùm otiosi. Tumultus vrbiũ & bellorum procellas fugiunt, & ad suauissimum humanæ, diuinæque tranquillitatis portum se recipiunt. Beneuolè illos excipit summaque cum charitate pacis Arbiter, & dulcissimos quietis fructus communicat. Monet in primis vt sanctæ pacis baccas degustent, vt alacriùs & libentiùs illius artes addiscant. Docet hoc pacatæ classis sacra-

Tranquillit. mater otij.

Pacis studiosi bellum cuitāt.

Dulces pacis fructus.

Christus pacis arbiter.

Pacis locus longè à turba. rium ab omni turba esse remotissimum, nihil audiri humani strepitus, nihil litis, nihil belli, nihil seditionis: hanc sedem pacis *Pacis sedes olympo similis.* esse simillimam Olympo monti, quòd sit supra cæcos humanarum rerum turbines, quòd infra iaceant tempestates turbulen- *Tumultus infra pacem.* tissimarum cupiditatum, quòd sit extra fortunæ iactus, quòd omnis mutationis causa nullum reperiat aditum, quo felicem tranquillæ pacis statum turbare possit. Docet quanta sit huius virtutis nobilitas, quanta magnitudo, quæ sit excellens natura, quæ potestas, quod imperium. Declarat qui- *Magnum pacis Imperium.* nam sit status, & communis, & priuatus hominis, sub pacis imperio; quænam emo- *Pacis vtilitas.* lumenta ex illa fluant, quantáve felicitas illam auream ætatem consequatur. Deus *Deus pacis.* pacis loquitur, & tantum paci tribuit, quantum necesse est. Bonum est audire illum, qui nihil aliud cogitat quàm pacem, qui de pace semper loquitur, qui pacem suadet, *Dator pacis Christus.* qui pacem amat, qui pacem suis liberaliter donat. Qui fungitur Doctoris officio ille *Pacis Angelus.* ipse est, qui ab orbe condito vsque ad hanc diem, sacrorum opera vatum humano ge- *Angeli pacis feciales.* neri pacem nuntiauit, quique suo natali die *εἰρήνης κήρυκες.* per præcones, aut potius feciales Angelos, pastoribus, imò vniuersis hominibus bonę

volunta-

voluntatis ramos pacis baccasque obtulit. Toto vitæ decursu pacem precatus est, pacem omnibus consuluit, & postquam abiit ad Patrem, suis hanc prouinciam demandauit, vt vbique pacis satus darent. Tanta est vis cœlestis magistri, vt dum peroret de bono pacis, déque εἰρηνοποιῶν beatitudine, nati sago & Marti, castra bellica non amplius cogitent, sed ad pacis, quietisque domicilium se recipere decernant. De hac tanta virtute Christi Domini edita fuerant oracula, déque pacis imperio: ita grandiloquus Isaias, Concident gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, neque arripiet gens contra gentem gladium, neque est, vt posthac bellum discant.

Nati armis, pacem quærunt audito pacis magistro.

Isa 2. Proph. pax.

Huius academiæ vtilitatem, virtutémque Christi de pace suadenda mirabilem, diuino quodam dicendi genere prosequitur & exprimit immortalis scriptor D. Athanasius, dum allatum sancti Prophetæ locum illustrat: καὶ οὐκ ἄπιστόν γε τὸ τοιοῦτον, &c. Neque id incredibile, cum etiamnum barbari feris moribus, & idolis adhuc immolantes victimas, in sese furant, neq; vel vnam horam sine armis stare possint: ijdem tamen, vbi doctrinam Christi

Ingens pacis seges.

De Incarnat. verbi Dei.

Magna vis Christi academia.

audiunt, ſtatim à bello ad agriculturam vertuntur, καὶ χωρὶς ξιφῶν οὐδεμίαν ὥραν ἀνέχονται μένειν, ὅτε δὲ τῆς τοῦ χριστοῦ διδασκαλίας ἀκούουσιν, εὐθέως ἀντὶ μὲν πολέμων, εἰς γεωργίαν τρέπονται, ἀντὶ δὲ τοῦ ξίφεσι τὰς χεῖρας ὁπλίζειν, εἰς εὐχὰς ἐκτείνουσι, & pro gladiis tractandis manus ad preces attollunt: ac pro mutuis inter ſeſe bellis, aduersùs dæmones, pudicitia & animi virtute ſuperant. τοῦτο δὲ τῆς μὲν θειότητος τοῦ σωτῆρός ἐπιγνώρισμα. Id autem inſigne eſt argumentum diuinitatis noſtri Saluatoris, quòd illud, quod homines ab idolis addiſcere nequiuerint, hoc ab illo didicerint.

Doctrina Christi de pace.

Bonum bellum aduerſus dæmones.

Præclarè quoque ibidem obſeruatur ſchola dæmonis eſſe Chriſti contraria, & vt Chriſtus pacem docet, dæmon contrà, bellum ſerit, & ſeditiones mouet: ita pergit S. Athanaſius: Conſcij enim dæmones ſuæ imbecillitatis, ideò bellum inter mortales ſuſcitarunt, ne à bellis inter ſe mutuis quieſcentes & otioſi aduerſus dæmones arma transferrent: certè illi qui Chriſti diſciplinis initiati ſunt, bellis ſoluti, contra dæmones moribus & præclaris facinoribus, in acie conſiſtunt, illoſque vehementer inſectantur, ipſum verò principem dia-

Deus pacis author, dæmon ſeditionis.

εἰδότες γὰρ ἑαυτῶν δαίμονες τὴν ἀσθένειαν.

Quantus Christi pacifici fructus.

bolum pedibus terunt ·*· Vbi videre eſt hac in claſſe Chriſtum doctorem pacis, non docere pacem aduerſus dæmonem & illius factionis ſatellites, ſed continuum bellum, ita vt nunquam vllæ, vel breuiſſimæ dentur induciæ: neque author eſt vllius fœderis contrahendi cum vitiis, & cum inſolenti turba immanium cupiditatum, quibus acriter omni tempore obſiſtendum eſt. Porrò docet pacem, quæ formidoloſa eſt dæmoni, vitiis terribilis, inimiciſsima libidini, caſtitatis ſoror, virtutis ſocia, parens ſanctitatis, Angelicæ conſors naturę, quam qui rectè didicerit, magnum quid & ſingulare præſtiterit. Viuet in ſumma rerum omnium quiete, longéque beatior erit illo viro, de quo Lyricus;

Non docet Christus pacem cum dæmone nec cum illius factione.

Nullum eſt ineundum fœdus cum vitiis.

Pax formidoloſa dæmoni, vitiiſque pernicies extrema.

Beatus ille qui procul negotiis: *L. 1. Epod.*

Reuerà illo melius eſt, ſolutus omni fœnore: immunis eſt ab omni tributo, & mundi curis planè vacuus: duntaxat vacat Deo, & potiſsimùm vnitati ſtudet, vbi fugam reperit omnis litis, omniſque diſsidij. Videt & guſtat in otio quàm ſuauis ſit Dominus quietæ

Vir pacificus vni Deo vacat.

Cœleſtis fauonius in regno pacis.

menti, placet ſeceſſus vbi Deus ad cor loquitur, vbi nullus ſpirat ventus, niſi cœli fauonius: videtur cor eſſe tranquillum mare, vbi perpetui ſunt alcyonum dies: nullis vnquam agitatur procellis, quia Deus pacis imperauit mari & ventis, & facta eſt tranquillitas magna: vbi Deus eſt, ibi quies, ibi pacis fructus: vbi fructus pacis, ibi eſt ſancti Spiritus fulgor & radius.

Beati Pacifici.

De pace, & pacificis.

Orat. 7. de beatitud.

Pacis definitio.



Vbtiliter & philoſophicè quid ſit pax, aperit D. Nyſſenus his verbis: τί ἄλλο, ἢ ἀγαπητικὴ τις πρὸς τὸ ὁμόφυλον συνδιάθεσις; quid aliud, quàm cum proximo plena dilectionis affectio? Et quia de mente philoſophi, contraria contrariis magis eluceſcunt: idem aperit, quid paci maximè opponatur, vt illius notio ſit clarior: τί οὖν ἐστι τὸ ἐξ ἐναντίου τῇ ἀγάπῃ νοούμενον; quid igitur eſt id, quod dilectioni (id eſt paci) exad-

Paci oppoſita.

uerſo intelligatur? odium, ira, furor, inuidia, iniuriarum tenax memoria, ſimulatio, calamitas atque clades belli. Nam *εἰρήνη κατὰ τὸ ἴσον ἑκάστῳ τῶν εἰρημένων ἀντικαθίσταται*, pax cuique enumeratorum malorum ex æquo repugnat & aduerſatur, ſuique præſentia omne malum delet. Ibidem naturæ definitionem *εἰρηνοποιοῦ* ſubijcit: *εἰρηνοποιὸς δέ ἐστιν ὁ εἰρήνην διδοὺς ἄλλῳ*: eſt autem pacificus is, qui pacem dat alteri: at nemo quidpiam alteri dederit, quod ipſe non habeat. Vult igitur priùs te plenum eſſe pacis bonorum, deinde eiuſmodi bonis egentibus abundè præbere.

Pacifici definitio.

πλήρη τῶν τῆς εἰρήνης καλῶν.

D. Iuſtinianus paucis naturam pacis, belléque deſcribit: Eſt namque pax ſecuritas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris, conſortium caritatis. Hæc ſimulationes tollit, bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis eſt placida, neſcit extolli, neſcit inflari: hanc qui accipit, teneat: qui perdidit, exquirat, quoniam qui in ea non erit, à Deo alienus efficitur. Nec ad hæreditatem Domini poterit peruenire, qui bonum pacis non ſtuduerit poſſidere.

Quid eſt pax.

Laus pacis.

In ligno vitæ de patient. c. I.

Ex hoc pacis elogio quæ sit natura pacifici, clarè patet: nam is est pacificus, qui omnem de se opinionem abiicit, qui humillimè de se sentit, qui humanitate aduersus omnes vtitur singulari, qui inimicitias destruit, amicitias vincit, qui nihil habet simultatis, qui candidè agit, qui terit arrogantes, demissos erigit, iratos mitigat, bella componit, lites placat, pacis ramos vbique dissEminat, æquissimo animo aduersa tolerat.

Pacifici natura.

Quàm leniter & verè S. Nazianzenus: εἰρήνη φίλη, τὸ γλυκὺ καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα: amica pax, suauis quidem, & re, & nomine. εἰρήνη φίλη, τὸ ἐμὸν μελέτημα, καὶ καλλώπισμα: Pax amica, mea sollicitudo, & ornamentum: εἰρήνη φίλη τὸ παρὰ πάντων μὲν ἐπαινούμενον ἀγαθὸν, ὑπ' ὀλίγων δὲ φυλασσόμενον. Pax amica, bonum ab omnibus collaudatum, & à paucis conseruatum. Ita glossa ordinaria de pacificis: Pacifici sunt, qui omnes motus animi componunt, & rationi subiiciunt, quia his nihil repugnat qui similes patri suo sunt, qui est summa quies.

εἰρηνικ. γ. Nomen pacis suaue.

Multi laudant pacem & pauci seruant.

In c.5 Matth. Pacifici.

Eadem de pace: Hæc pax non nisi bona voluntate nutritur, vnde, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: hanc mun-

Pax bona voluntate nutritur.

Luc 2.

Ioann 14.

dus dare non potest, sed Iesus qui ait, Pacem meam do vobis. Hæc pax superat omnem sensum, sed fide capitur: Vnde & ea illustramur, & ei reconciliati ab omni qui ab ea dissentit nos abducimus. Cum autem Deus erit omnia in omnibus, tunc beatitudo adoptionis dabitur. In præsenti verò homo pacatus, etsi bellum gerat cum vitiis, in nullo pacem abrumpit, quam Deus dedit, vnde, pax multa diligentibus legem tuam.

Phil.4. *Ephes.1.* *Psal.118.*

Ita D. Chromatius de pacis studiosis & effectoribus eiusdem differit: Pacifici sunt, qui à dissensionis & discordiæ scandalo separati, dilectionem charitatis fraternæ, & pacem Ecclesiæ sub Catholicæ fidei vnitate custodiunt. Quam pacem tuendam discipulis suis Dominus in Euangelio peculiariter commendat, dicendo, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: quam pacem Dominum Ecclesiæ suæ daturum Dauid ante testatus est, dicens, Audiã quid loquatur in me Dominus Deus, quoniã loquitur pacem in plebẽ, & super sanctos suos, & in eos qui cõuertuntur ad ipsum. Et paulò post: Nihil enim tam necessariũ seruis Dei, tã salutare Ecclesiæ, quã charitatem seruare, quã pacẽ

Serm.1 in Euang. Matt. de beatit. *Quinam pacis amatores & eiusdem effectores.* *Ioan.14.* *Pax Apostolis commendata vt essent pacifici.* *Deus loquitur pacem.* *Dei seruis nihil magis necessarium ipsa pa-*

diligere, sine qua Deum videri non posse, ad Hebræos Apostolus docet, dicendo: Ante omnia diligite pacem, sine qua nullus nostrum Deum videre poterit. Rursus ibid. Si enim ad hoc Filius Dei carnem suscipere, & pati dignatus est, vt pacificaret nos Deo per sanguinem crucis suæ, vtique secundùm quod Apostolus retulit, per omnia vtique pacifici esse debemus, vt verè ipsum Deum pacis in nobis habere mereamur. hoc enim scriptum est, Factus est in pace locus eius.

Pacifici per omnia.

Psal. 75.

Locus Dei, locus est pacis, nimirum cor pacifici, in quo Deus author pacis habitat, in quo sancta Trias suum ponit domicilium, vbi summa est tranquillitas, vbi serenum gratiæ tempus, quod vernum est, semper efflorescit. Cor pacifici regia est Dei, & Christi priuatum conclaue.

Locus Dei, locus est pacis: nempe cor pacifici.

Cor pacifici regia Dei.

D. Hieronymus duo requirit vt aliquis pacifici nomine cohonestetur, primùm vt omnes motus cordis pacatos habeat, deinde vt in alios pacem inducat: Qui primùm in corde suo, deinde & inter fratres diffidentes pacem faciunt. Quid enim prodest alios per te pacari, cum in tuo animo sint bella vitiorum?

Duo in pacifico requiruntur vt vocetur pacificus.

In Matth.

Requirit D. Doctor Ecclesiæ, vt homi-

nis pacifici sit animus tranquillissimus, alioquin nequit appellari pacificus etiamsi sit in alienis litibus dirimendis admodum gnauus & industrius. Quî posset esse pacificus, cum illius cor sit campus Martius, vbi continuæ multorum scelerum explicantur acies, vbi vitiorum tumultus, facinorum inter se dimicantium pugnæ, aduersantium cupiditatum conflictus, motuum æstus, libidinum motus? Nulla hîc datur quies.

Vitiosum cor est campus Martius.

Perbenè S. Augustinus: Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes & subijcientes rationi, id est menti & spiritui, carnalésque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, vt id quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quę sunt nobis, bestiisque communia. Atque idipsum quod excellit in homine, id est, mens & ratio, subiiciatur potiori, quod est ipsa veritas, vnigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subijciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonę voluntatis, hæc vita consummati, perfectique sapientis. De huiusmodi regno pacatissimo & ordinatissimo missus est foras prin-

Lib. de serm. Domini in monte.

Componunt omnes motus animi qui sunt verè pacifici.

Regnum Dei pacifici.

Præclarum regnum est pacificus.

Motu corporis subiacent ratione, ratio Deo.

Pacificus homo bonæ voluntatis.

ceps huius sæculi, qui peruersis inordinatisque dominatur.

Hom. 9. in Matth.
In corde pax sita est non in verbis.
Verè pacificus.

Author imperfectus in Matthæum, quinam sit pacificus declarat authoritate sacri vatis: Pax enim illa bona est, quæ in corde posita est, non in verbis. Vis cognoscere, quis est verè pacificus? audi Prophetam dicentem, Cohibe linguã tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Et ibid. paulò altius de pacificis: Pacifici non solùm dicuntur, qui inimicos in pace reconciliant, sed etiam illi qui immemores sunt malorum, ipsi diligunt pacem. Multi enim sunt, qui aliorum quidem inimicos libenter in pace reconciliant, & ipsi inimicis suis nunquam ex corde reconciliantur. Isti tales illusores sunt pacis, non amatores.

Pacis illusores non amatores.

Hom. de pœnit. contin. & virginit.
Iniuriarum obliuio ostendit pacificum.

Maximè requiritur in homine pacifico malorum obliuio, quam Græci *μνησικακίαν* vocant: & quia *ἐν μνησικακίᾳ διαμένειν οὐ χεῖρον οὐδὲν ἐστι κακὸν*, memorem esse iniuriarum, nullum est deterius malum, ex opinione Ioannis Archiepiscopi Constantinopolitani cognomine Ieiunatoris, ita nihil est melius contumeliarum obliuione: quod munus est hominis pacis amantissimi. Continuò pacifici illud mente versant

Prophetæ: remittat malefacta vnusquisque fratri suo: μὴ μνησικακείτω ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, ne sitis memores offensarum in cordibus vestris: de malefactis proximi ne cogitaueris. Za.har.7.

Vera est nota hominis perstudiosi pacis, si loco iniuriæ & grauis offensæ insigne beneficium reponat: verum est quod ait orator Antiochiæ aureus: τὰ μεγάλα καὶ ἀφόρητα προσκρούσματα μεγάλης ἀγαθότητος γέγονεν ὑπόθεσις: Magnæ & vix ferendæ offensiones, magnæ charitatis materia factæ sunt: *· Quod quidem apud εἰρηνοποιοὺς & pacis amantissimos locum habet, qui æquo animo grauia ferunt. Magna est magni Venetorum Patriarchę hac de pacis peramantium beatitudine Philosophia, ita ille: Pacifici non incōgruè censendi sunt illi, qui omnes cordis sui & corporis inordinatos affectus, seu motus rationis subiiciunt seruituti, semper gladiū spiritus tenentes euaginatum aduersus aëreas potestates: minimè templum Dei maculare permittentes, corporisq; membra sub temperantiæ loris cohibentes, ne veluti iumēta indomita per illicita vagentur, efficiatúrque mens, quæ debet esse pace referta, tumultuatione concussa. Porrò Dominus noster, qui est

Nota pacifici.

Hom. 10. ad pop. Antioch.

Offensa, seges charitatis apud pacificos.

Lib. de humil. cap. 10.

Pacis amatores.

Pacifici semper strictum tenent ensem spiritus.

vera pax, &c. Pacem diligit, & in pacificorum libentissimè reclinat habitaculo, atque cum eisdem moram trahens non modicam, bonorum suorum ipsos facit hæredes.

Christus delectatur pacificis: & cum iis viuit.

De gradib. Ascens. in beatitud. serm. 1.

D. Leonem mirabiliter philosophantem in pacis otio audire est: Beatitudo ista, dilectissimi, non cuiuslibet consensionis, aut qualiscunque concordiæ est, sed illius, de qua dicit Apostolus, Pacem habete ad Deum. Et de qua dicit Propheta Dauid, Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Hanc pacem etiam arctissima amicitiarum vincula, & indiscretæ similitudines animorum non veraciter sibi vindicant, si non cum Dei voluntate concordant. Extra dignitatem pacis sunt improbarum parilitates cupiditatum, fœdera scelerum, & pacta vitiorum. Amor mundi cum Dei amore non congruit, nec ad societatem filiorum Dei peruenit, qui se à generatione carnali non diuidit. Qui autem semper cum Deo mente sunt solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, nunquam ab æterna lege dissentiunt, fideli oratione dicentes: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Hi sunt pacifici, hi benè vnanimes, sanctéque concordes.

Rom. 5. Pax cum Deo.

Pacifici legis Domini amatores.

Eusebius Emissenus: Pacifici sunt enim qui discordes placant, qui mundum Deo reconciliant, qui inter cæteros pacem & concordiam seminant. Apostolus enim dicit, Pacem sequimini cum omnibus, sine qua nemo videbit Deum. Itemque: Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus pacem hominibus habentes: & Psalmista, Cum iis, qui oderunt pacem, eram pacificus. *In Matt. Euang.* *Pacifici.* *Pacem serunt.*

Theophylactus, non solùm illi qui cum aliis pacem habent, sed & qui seditiosos alios conciliant. Pacifici autem sunt, & qui per doctrinam inimicos Dei conuertunt. *In Euang. & cum vidisset turbas.* *Pacis amatores sua doctrina peruersos conuertunt.*

D. Clemens Alexandrinus benè de pacificis: *μακάριοι τοίνυν οἱ εἰρηνοποιοί.* Beati igitur pacifici. varias tum subijcit rationes quare sint beati: *τὸν ἀντιστρατηγοῦντα νόμον τῷ φρονήματι τοῦ νοὸς ἡμῶν, τοῦ θυμοῦ τὰς ἀπειλὰς, καὶ τῆς ἐπιθυμίας τὰ δελέατα, τά τε ἄλλα πάθη ὅσα πολεμεῖ τὸν λογισμὸν, τιθασσεύσαντες καὶ ἐξημερώσαντες*, &c. Qui legem legi mentis nostræ repugnantem, iræ minas, & cupiditatis escas, aliásque perturbationes quæ rationem oppugnant, sedarunt mitigaruntque: qui cum scientia bonorum operum & veræ ra- *Lib. 4. strom.* *Cur beati pacifici.*

tionis vitam duxerint, in gratiosiorem & amiciorem filiorum adoptionem restituentur. Est autem perfecta pacis absolutio, quæ in quolibet euentu quod est pacis accuratè obseruant nec vnquam mutant: in rerum diuinarum humanarúmq; scientia constituta, sanctam & honestam dicit administrationem, per quam eas, quæ sunt in hoc mundo contrarietates & oppositiones, pulcherrimam reputat creationis harmoniam. εἰρηνοποιοῦσι δὲ καὶ τοὺς ἐνταῦθα πολεμουμένους τοῖς τῆς ἁμαρτίας στρατηγήμασι, μεταδιδάσκοντες ἐπὶ τὴν πίστιν καὶ τὴν εἰρήνην μετιέναι. Illis quoque pacem conciliant, qui hîc à peccati strategematis oppugnantur, eosque docent, vt ad fidem pacémque transeant. Optimè hic grauis scriptor disserit, tam de pacis studiosis, quàm de pacis virtute, & pacificorum munere: petit inprimis vt pacis amatores turbulentos animorum motus componant & coerceant, deinde conuenienter rationi viuant, in bonis operibus se exerceant, demum vbique pacis imperium retineant. Subiicit εἰρηνοποιήσεως statum, in quo vult vt amator pacis, tanquam in grandiori speculo res istius orbis contempletur, & in tanta naturarum diuersitate & oppositio-

Pacificationem vocant. τελεία εἰρηνοποιήσις.

ἕκτρασις εἰρηνοποιήσεως.

Munus pacifici & v rus (?) eius character.

Partes pacis amatorum.

νόμος εἰρηνοποιήσεως.

ne, mirabilem creationis concentum & incredibilem harmoniam causarum & effectuum summa cum animi tranquillitate suspiciat. Addit insuper pacis artifices, alios docere, & quidem fidei lumine destitutos, bellíque tumultibus agitatos, vt ad pacis, fideique pharum & portum se conferant. *Mira Philosophia D. Clem.*

Si verum est ex eodem egregio scriptore, vniuoca esse pacem & iustitiam, συνωνυμία δέ ἐστι δικαιοσύνης καὶ εἰρήνης: verum quoque erit iustos & pacis amatores esse simillimos, imò eiusdem naturæ: & ita qui definiet pacificos esse viros iustos, non aberrarit à veritatis scopo, neque iustitiam offendet. *Strom. 4. Vniuoca sunt pax & iustitia.* *Pacifici, iusti.*

B. Petrus Damianus de pacificis: Quicunque autem illi sunt, iam sunt prope palmam supernæ vocationis, si pace qua refecti sunt, pacificare studeant dissidentes, & dicere cum Propheta: Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. Idcircò subinfertur, Beati pacifici, non solùm pacati, sed pacifici, facientes pacem, concordiæ semina seminantes. *Hom. 55. in festo omnium Sanctor.* *Authores pacis.* *Semina concordiæ.*

Equidem munus est pacis riualium, instar columbæ Noë, vbique ramum oliuæ deferre, & sermone, & opere,

Pacis satores.

pacis satus dare. Boni sunt & gnaui satores pacis, non parcunt semini, neque laboribus, neque vigilijs, neque cultui. Rupertus Abbas, ita pacifici naturam explicat: Pacifici verò hi sunt, qui pace inter se Deumque accepta, nihil iam quod Deo repugnet, admittentes, simul & hoc satagunt, vt in via vitæ præsentis ad omnem hominem cum pace ambulent. Origenes paucis describit pacis amatorem: Sectatur autem pacem, qui ea quibus constare potest, etiam cum labore suo, cum damno, cum opprobrio quoque, & si ita necesse sit, etiam cum periculo vitę famæque custodit ·*· In quo videre est, quantum sit bonum, pacis status, cum sit ipsa fama, vitáque discriminibus obijcienda, vt saluus & incolumis conseruetur. Bellè D. Petrus Chrysologus, Custodienda præ omnibus virtutibus pax est, quoniam Deus semper in pace est. Et ibid. Amate pacem, & tranquilla sunt omnia ·*· Quid mirum si mens pacifici sit admodum tranquilla, quandoquidem pacem amat vnicè, illamque fouet, tanquam oculi pupillam, neque quidpiam quod tantillum sit illi aduersum, vnquam admittit?

De diuinis offic. c 8 cap 15. Pax inter pacificos & Deum.

Ad Rom. c. 14. l. 10.

Germanus pacis filius.

Pax seruanda præ omnibus virtutibus. Serm. 53 de pace.

Illi propriè dicuntur Beati pacifici, in quibus,

quibus (vt ait S. Chryſologus) non illa infida & inſtabilis huius mundi pax, quæ vel pro commodis quæritur, vel pro timore ſeruatur, (reperitur) ſed pax Chriſti, quæ ſecundùm ſententiam Apoſtoli Pauli, ſuperat omnem mentem, & credentium corda cuſtodit, pax quæ charitatis fœcundis nutritur vberibus, pax alumna fidei, columna iuſtitiæ, pax futuræ ſpei pignus idoneum, pax quæ præſentes ſociat, abſentes inuitat, pax quæ terrena cœleſtibus, & diuinis humana conciliat ✱ In quibus hæc ſancta pax domicilium poſuit, hi verè ſunt pacis & alumni, & filij, non verò illi, qui mundi adulterina pace perfruuntur.

Serm. 138.
Pacifici quinam beati?
Pax infida.
Phil. 4.
Pax cor fidele ſeruans.
Vbi ſancta pax ibi pacifici.

S. Macarius cum inter Chriſtianos & homines huius ſæculi magnum ponat diſcrimen, perbellè mihi videtur in deſcriptione Chriſtianorum pacificorum imaginem ſubjicere: contra, in mundanorum tabula pacis inimicos exponere: benè ille, καὶ πολλὴ διάστασις μεταξὺ τούτων κἀκείνων. Magnum diſcrimen eſt inter hos & illos. Nam terræ incolæ & filij huius ſæculi, ἐοίκασιν σίτῳ βεβλημένῳ ἐν σινίῳ τῆς γῆς ταύτης, ſimiles ſunt frumento in cribrum huius terræ coniecto, eo quod volubilibus huius mundi cogitationibus iacten-

Hom. 5.
Magna differentia, &c.
πολλὴ μετάστασις, &c.
Turbulenti huius ſæculi filij.
Similes frumento in cribrum coniecto & agitato.

tur, & aſſiduò terrenarum rerum, & cupiditatum æſtu agitentur ·*· Hæc eſt vera imago turbulentorum hominum & quietis hoſtium. Nam quemadmodum triticum in cribro eius qui illud verſat & quatit, alliditur, & agitatum in ipſo aſſiduè vertitur: ita Cacodæmon homines rebus terrenis addictos agitat, efficitque vt ſe ad vanas cogitationes atterant.

Elegans ſimile.

Non ita pacis amatores, quibus eſt τὰ αἰώνια ἀγαθὰ ἐνοπτρίζεσθαι, æterna bona velut in ſpeculo contueri, & contemplari, longè ſunt melioris conditionis quàm mundi amatores & ſeditionum aucupes, διὰ τὸ τὸν νοῦν αὐτῶν καὶ τὸ φρόνημα τῆς ψυχῆς ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ εἰρήνῃ, καὶ ἐν τῇ τοῦ πνεύματος ἀγάπῃ τυγχάνειν: proptereà quod mens ipſorum & cogitatio animi ſit in pace Chriſti, & dilectione Spiritus ſancti. Rectè idem S. concludit, nouam creaturam Chriſtianorum (qualis eſt gens pacis amantiſſimorum) ab omnibus huius mundi hominibus, τῇ τοῦ νοὸς ἀνακαινίσει, καὶ τῇ τῶν λογισμῶν εἰρήνῃ, καὶ τῇ τοῦ κυρίου ἀγάπῃ, καὶ οὐρανίῳ ἔρωτι, per mentis renouationem, tranquillitatem cogitationum, dilectionem Domini, & cœleſtem amorem ·*· Pacis amantium hi ſunt qua-

Pacis ſtudioſi.

Pax Chriſti dilectio Spirit. ſancti.

tuor characteres, quibus illustrantur & nobilitantur, continua mentis nouitas, lenissimus cogitationum status, Christi ardor, & stellata charitas. His quatuor notis dignoscitur εἰρηνοποιὸς, & ab omnibus aliis distinguitur. Ex his quatuor floribus, rursus, & sæpius iteratis, corona contexitur, qua pacis consors redimitur. Ex his quatuor gemmis fit insignis ornatus, quo cohonestatur pacis status. Ex his quatuor stellis fit constellatio sanctæ tranquillitatis. Ex his intelligitur pacis studiosorum beatitudo, quòd singulis diebus eorum innouentur mentes, quòd augeatur animæ quies, quòd crescat amor in Deum, quòd cœlestium bonorum vrgeat charitas, quòd viuant in summo singularium virtutum regno, quòd in sinu pacis quiescant.

Hi sunt ἀστέρινοι χαρακτῆρες pacis amantium. stellati characteres εἰρηνοποιῶν.

Quatuor flores pacifici.

Pacificorum beatitudo.

Iam verò quanta sit pacis amantium beatitudo, potest etiam colligi ex priuatione multorum malorum, quibus pacis hostes premuntur & conflictantur. Idcircò S. Nyssę antistes proponit incommoda quę vitiis adhærescunt pacis & quietis hostilibus, vt felicitas pacificorum omnibus pateat, quandoquidem iis liberati sunt. Ita ille, σὺ κτ' σεαυτὸν ἐπιλελόγησαι, οἷος ὁ βίος τῶν ἀλλήλοις δι' ὑποψίας καὶ μίσους

εἰς μακαρ. λογ. ζ.

Ex priuatione incommodorum felicitas pacis intelligitur.

ἄφθογγα δὲ τὰ στόματα: ἀπεστραμμένα τὰ βλέμματα.

Quàm beatus sit pacificus ex odio intelligitur.


ἐχόντων, &c. tu ipse animo reuolue & expende, qualis sit eorũ vita qui mutuis odiis atque suspicionibus laborant, quorum occursus infausti, execranda ipsis inter se omnia, ora muta, aduersi obtutus, aures ad vocem odio prosequentis, & odio habiti obstructæ: quicquid alterutri horum charum est, id alteri displicet. Et ibid. Quantum autem id bonum sit (nimirum pace frui) accuratius cognoueris, si cuiusque eorum, qui ex maleuola voluntate in animo existunt, morborum calamitates tecum animo reuolueris ✱. Quisque pingat fœdissimas turpissimorum vitiorum imagines, eorúmque immanissimos tumultus & aduersantes animæ quieti procellas, illicò videbit, quanta sit beatitudo pacati sedatique cordis: vel vnica furoris tempestas satis declarat, quàm beatus sit pacificus. ὁ τοίνυν κωλύων τὴν τοιαύτην ἀσχημοσύνη, εἰκότως ἂν μακάριός τε καὶ τίμιος, ἐκ τῆς μεγίστης εὐεργεσίας ὀνομάζοιτο. qui igitur prohibet eiusmodi turpitudinem, (iræ) ob maximum beneficium iure beatus & honorificus nominabitur. Multò magis pacificus felix est proclamandus, cum omnia vitia coërceat, & de omnibus cupiditatibus victoriam reportet, ita vt sui victor dulci viuat in otio.

E contrariis vitiorum partibus & tumultibus felicitas pacifici constat.

S. Nyss. or. 7. de beat.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

Grande nomen, filij Dei nomen.



Visquis volet, magni Regis Persarum Cyri, vel magni Alexandri, vel Cæsarum, & Augustorum cognomina, vel felicis Syllæ, vel diuitis Crassi, vel eloquentis Tullij, vel deliciarum orbis Titi, vel Antonini pij, vel patris patriæ Iulij, vel triumphantis Imperatoris, victorisque Constantini, vel inuictorum Regum titulos suspiciat, & commendet: instar omnium filij Dei nomen, erit pacis amantissimo, lectissima suæ gloriæ seges, ingens argumentum laudis, nomen felicitatis. Quis mente assequi posset, nedum oratione complecti, quanta sit istius nominis dignitas, quantus splendor, quanta maiestas? quibus gradibus ad tantum gloriæ fastigium ho-

μέγας βασιλεύς.

Clarißimorum virorum nomina.

Grãde nomen, nomen filij Dei.

Felicitatis nomen.

Quibus gradibus ad filij Dei fastigium ascenditur.

mo potuit ascendere? ille qui alias audiuit à rerum omnium moderatore Deo, cum amandaretur in exilium, & amœnissimo horto Eden priuaretur, Terra es, & in terram reuerteris, iam filius Dei vocatur. Ille qui ab Abrahamo terra & cinis dicitur, cum de se dicat, ἐγὼ δέ εἰμι γῆ καὶ σποδός, iam Dei filius nominatur. Ille qui ab Esaia fœnum dicitur cum ait, Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis, tanquam flos fœni, nunc dicitur Filius Dei. Ille qui à Dauide mendax appellatur, cum canat, Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax, iam filius Dei nuncupatur. Ille qui ab Ecclesiaste Vanitas nominatur, cum omnia quæ sunt infra Lunam vana nominet, Omnia vanitas, πάντα ματαιότης; nunc Dei Filius habetur. Ille, qui à Iobo vmbra dicitur, cum ait, Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, iam Dei Filius appellatur. Ille, qui ab Apostolo Miseria vocatur, vbi ait, ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, (quid abortiuo miserius? quid calamitosius?) iam Dei filius censetur. Ille, qui à D. Iacobo, vapori comparatur, ἀτμὶς γάρ ἐστιν, filius Dei est. Ille, qui à S. Nysseno bulla dicitur, πομφόλυγος δίκην, Dei filius est. Ille, qui à S. Chry-

Genes. 3. γῆ εἶ καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ. *Genes. 18.* *Cinis homo.* *Is. 40.* *Fœnum.* πᾶσα σὰρξ χόρτος, πᾶσα δόξα ἀνθρώπου ὡς ἄνθος χόρτου. *Psal. 115.* *Mendax homo.* *Ecclesiast. 1. & 2.* *Vanitas.* *Iob. 14* *Flos & vmbra.* ταλαιπωρία *dicitur à S. Nysseno.* *Magna miseria, abortiuus est.* *E. S. Iacob. c. 4.* *Vapor.* *Or. 2. de paup. amand.* *Bulla.*

ſoſtomo lutum appellatur, πηλὸς οὐδὲν διέστηκας; filius eſt Dei. Ille qui antea, vas contumeliæ, σκεῦος εἰς ἀτιμίαν, iam vas eſt honoris σκεῦος εἰς τιμήν, & filius Dei. Ille, qui ἀλόγων ἀνοητότερος, brutis dementior, vt ait os aureum, factus eſt λόγου Verbi Filius. Ille, qui (vt loquitur D. Iuſtinianus) de limo viliſſimo eſt plaſmatus, Dei habetur filius. Ille, quo nihil infirmius, quem (vt benè ait S. Chryſologus) ſenſus fallit, ignorantia decipit, circumuenit iudicium, pompa lædit, tempus deſerit, mutat ætas, hebetat infantia, iuuentus præcipitat, ſenectus frangit, ille ipſe Dei Opt. Max. filius renuntiatur.

Vas contumelia. Vas honoris. Rom. 9. Hom. 15. ad pop. Antioch. Brutis dementior. Serm. in feſto S. Georg. Mart. De argilla ficlus. Serm. 45. in Pſal. 6. Imbecillitatis hominis deſcriptio.

Mirum quantum, Chriſtus hominem, quem D. Clemens Alexandrinus organum pacificum appellat, erexerit, extuleritque, cum ab imo terræ ſitu ſupra cœlorum vertices deportarit, noménque hominis, in Filij Dei nomen commutarit. Qualis metamorphoſis? qualiſve mutatio? quid Deo ſublimius? quid homine demiſſius? quid Chriſto glorioſius? quid homine abiectius? nihilominus homo pacis ſtudioſus, fit Dei filius, adoptionis corona cingitur, gratiáque coronatur, à Deo in filium aſſumitur,

ὄργανον εἰρή-νης, homo pacis amans. τῇ τῆς υἱοθεσίας χάριτι στεφανωθείς. S. Nyſſ. or. 7. de beat. Corona adoptionis & gratia.

vt testatur S. Gregorius Nyssenus, εἰς ἣν δ τάξιν παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων προσλαμβανόμενος. Excedit homo suam ipsius naturam; ἀθάνατος ἐκ θνητοῦ, immortalis è mortali; ἐξ ἐπικήρου ἀκήρατος ex caduco minimè corruptioni obnoxius; ἐξ ἐφημέρου ἀΐδιος, ex diuturno sempiternus; καὶ τὸ ὅλον, θεὸς ἐξ ἀνθρώπου γινόμενος summatim fit ex homine Deus. Hîc exclamat, & iure idem grauis scriptor, ὢ τῆς μεγαλοδωρέας τοῦ πλουσίου δεσπότου, &c. O diuitis Domini magnificam largitionem! ô largam & liberalem manum! ô grandem dextram! ἡλίκα τῶν ἀπορρήτων θησαυρῶν τὰ χαρίσματα, quantæ sunt arcanorum thesaurorum gratiæ, quanta dona? in æqualem sibi propemodum honoris statum impulsus clementia naturam peccati labe inquinatam & ignominia priùs notatam recipit. Nam si quod ipse est natura, eius necessitudinem hominibus largitur, quid aliud, quàm parem quandam honoris conditionem per agnationem pollicetur? *. Magnum prorsus est istud pacifici præmium quo non potest esse maius, neque pretiosius.

Hominis in Filium Dei mutatio.

Loc. suf. cit.

Quanta Dei dona in adoptione homini..

Hoc confirmat insignis ille doctor Origenis, qui dicit esse rem magni momenti,

magnique pretij, donum adoptionis, εἰς υἱοθεσίαν καλεῖ τὴν μεγίστην πασῶν προκοπήν, vocat ad adoptionem, quæ eſt maximus omnium profectus.

Lib 2. ſtrom. D. Clem. Alex. Adoptio filij Dei maximus profectus.

Liquet eſſe maximum beneficium Dei in homines pacis ſtudioſos, quod filij Dei ſint & vocentur: maxima dignitas, qua ſublimior non datur: maxima gratia, cum ſit veluti regina gratiarum: maximum donum, quod cætera ſuperat naturæ & gratiæ: maximum bonum, in quo ſita eſt felicitas: maximum ornamentum, quo terræ filius tranſit in cœleſtis patris familiam: maximum decus, quo benignitas decoratur, coronatur charitas. Tam grande nomen eſt filij Dei, vt obſcuret omnium regum nomina, Imperatorum inſignia, dominationum titulos, triumphales appellationum notas, victricéſque nomenclaturas. Quod ſi nomen ipſum adeò præſtet cæteris, quid de ipſa re, quę hoc nomine inſignitur, dicendum erit? Dicetur filius Dei eſſe diuinæ conſors naturæ vi adoptionis? dicetur cœleſti rore gratiæ totus perfundi? dicetur donis Spiritus ſancti abundè frui? dicetur electus ad gratiam, & deſignatus ad gloriam? dicetur hæres patris æterni, & cohæres Chriſti? dicetur amicus

Grande nomen filij Dei.

Nomen filij Dei cenſetur ſol nominum quo reliqua vt ſtellæ obteguntur.

Filius Dei pacis amans.

sponsi? dicetur virtutis fautor? dicetur successor Imperij quod fine caret? Dicendum est cum discipulo quem diligebat Iesus, Videte qualem dilectionem dedit nobis Pater, vt Filij Dei vocaremur. ἀγαπητοὶ, νῦν τέκνα θεοῦ ἐσμὲν, dilecti, nunc Filij Dei sumus, & nondum apparuit, quod erimus.

Magna dilectio patris. Epist. 1. c. 3.

Nemo dixerit apud mortales vitam agens, quæ sit filij Dei natura, quis splendor, quæ gloria, quæ dignitas. Nihilominus audiendi sunt sancti Patres, qui clarius cæteris in rebus diuinis viderunt.

Serm. 53. de pace.
Per nomen pacifici peruenitur ad nomen filij Dei.

Ita S. Petrus Chrysologus de pacis amatoribus qui Filij Dei nominantur: Beati Pacifici, ait Euangelista, Charissimi, quia ipsi filij Dei vocabuntur. Meritò Christianæ virtutes virescunt in eo, qui vnanimitatem Christianæ habet pacis, nec peruenitur ad vocabulum filij Dei nisi per nomen pacifici. Pax est, Charissimi, quæ spoliat hominem seruitute, dat nomen ingenuum: mutat apud Deum cum conditione personam, ex famulo filium, liberum facit ex seruo. Pax fratrum voluntas est Dei, iucunditas Christi, perfectio est sanctitatis, iustitiæ regula, magistra doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus

Nomen ingenuum.
Ex famulo filius.
Liber ex seruo.
Laus pacis.

laudabilis disciplina.

Quàm acutè notat S. Chrysologus viam aspirandi ad nomen filij Dei, esse viam pacis amantissimi. Ama pacem, & fies filius Dei. Ex hoc flore hic fructus oritur, ex hac concha gemma prodit, ex hoc sole radius. Magnum est istud iter, quando quis sine pace incedit, perarduum & permolestum iter, quod nunquam conficitur, quia nullus datur exitus: at si cum pace conficiatur, tandem meta reperitur, vltra quam non est processus. Quî daretur processus vltra statum æternitatis, vbi pacificus filij Dei nomen reperit, vbi laborum exitum, vbi pacis fructus, vbi charitatis dulcedinem, vbi tranquillissimum otium, vbi oliuas miserationum, vbi balsamum misericordiæ?

Ex pacifico oritur Dei Filius.

Ex flore fructus.

Ex sole radius.

Meta laborum pacifici nomen Filij Dei.

Bellè S. Ioannes Euangelista demonstrat in suis sacris annalibus, quantum sit bonum, quantum decus, esse filium Dei, cum his verbis vtatur: Quicunque eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Quinam sunt illi, qui suis in cordibus Deo pacatum domicilium pararunt,

Euang. c. 1. ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι.

Filij Dei. ἐκ θεοῦ ἐγεννήθησαν.

Dei hospites pacis amatores.

eumque beneuolè receperunt, nisi pacis amatores? quinam sunt, qui potissimùm Deo credunt, nisi pacis studiosi? quinam sunt, qui sanguinem, nec carnis appetitus audiunt, qui voluntatibus hominum vanis & futilibus non obsecundant, nisi pacis fautores? quinam sunt, qui à Deo suam repetunt & originem & prosapiam, nisi pacis filij? singulare equidem & præstans beneficium, nec vulgaris munificentia, quòd Deus pacificis potestatem fecerit, vt essent filij Dei, & vocarentur. Illorum est dicere, Pater noster qui es in cœlis, quia non sunt filij iræ, ὀργῆς τέκνα, nec perditionis filij, ἀπωλείας υἱοὶ, nec filij puellarum transfugientium υἱοὶ κορασίων αὐτομολούντων, nec filij mendacij, sed sunt veritatis filij; υἱοὶ φωτὸς καὶ ἡμέρας, lucis & diei filij, gratiæ, virtutis filij, quietis, sanctitatis filij: qualis est pater, talis est filius, τέκνον τοῦ ἐλεήμονος ὁ ἐλεήμων, καὶ τοῦ καθαροῦ ὁ καθαρός, filius misericordis est misericors, integri purus & integer: quid mirum, si iustus pacem colat & foueat? Dei pacis est filius.

Ex Dei prosapia pacifici.

Coloss. 3.

Diuersi filij, alij Dei, alij dæmonis.

Ioann. 17.

D. Nyss. or. 2. de orat. Dominica.

Qualis pater, talis filius.

D. Nyss. loc. sup. cit.

De ser. Domini in monte c. 1.

D. Augustinus de pacis bono hæc habet: In pace perfectio est, vbi nihil repu-

gnat, & ideò filij Dei pacifici, quoniam nihil in his resistit Deo, & vtique filij similitudinem patris habere debent *: In hoc est similitudo patris & filij, quòd idem sit animus, idem cor, eadem voluntas, eadem ad bonum propensio. In hoc similitudo Dei & pacificorum, quòd pacem foueant & ament, similitudo spiritus non vultus, similitudo sanctitatis & integritatis, similitudo imaginis, & quietis. Rursus idem S. Doctor: Pacificis Dei similitudo est, tanquam perfectè sapientibus formatisque ad imaginem Dei per regenerationem renouati hominis. * Pacis amatores imaginem Dei suis in mentibus renouatis expressam habent, eámque noui homines creati summa tenent in veneratione.

In filiis pacificis Deo nihil resistit.

Similitudo Patris aeterni & filij pacifici.

Loc. sup. cit.

Similitudo Dei in pacificis.

Imago Dei in pacis amatoribus.

Ita de pacificis D. Bernardus: Meritò filij nomine vocabuntur, qui filij opus impleuerint. Ipse enim est per quem reconciliati pacem habemus ad Deum. Ipse qui pacificauit in sanguine suo quæ in cœlis sunt, & quæ super terram, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Et attende quemadmodum in tribus quidem prioribus

In festo Sanctor. omnium, ser. 1.

Quinam filij Dei? qui filij opus implent.

Christus author pacis.

ſibi ipſi reconciliatur anima, in duobus quæ ſequuntur proximo, in ſexto Deo; in ſeptimo etiam alios reconciliat, tanquam receptus in gratiam Domini, & felici familiaritate donatus. Nā paupertate, manſuetudine, fletu, renouatur in anima ſimilitudo quædam & imago æternitatis omnia tempora complectentis, &c. Non eſt enim Deus diſſenſionis ſed pacis, ideóq; filios pacis Dei quoq; filios dignum eſt appellari.

Filij pacis, filij Dei.

Quàm appoſitè D. Chromatius: Magna dignitas paci ſtudentium, cum filiorum Dei appellatione cenſentur. Bona quidem & hæc pacificatio, quæ fit inter fratres, propter ſubſtantiam ſæculi litigantes, aut propter vanam gloriam, aut ſimultâtes, ſed parua hæc merces, &c. Potior ergo & ſublimior pacificatio intelligenda eſt à nobis: illam dicam, qua homines gentiles, qui inimici ſunt Dei, per inſtantiam doctrinæ adducuntur ad pacem, qua peccatores emendantur, & Deo per pœnitentiam reconciliantur, qua Eccleſiæ diſcordantes ad vnitatem, pacémque formantur.

Magna dignitas paci ſtudentium.
Pacificatio duplex.
Vna potior altera.
Serm. 2. in c. 5. Matt.

Verè enim qui tales ſunt pacifici, non ſolùm beati ſunt, ſed digni meritò filij Dei vocabuntur: ipſum enim Dei filium Chriſtum imitantur, qui pax noſtra & reconci-

Verè pacifici filij Dei.
Chriſti imitatores.
Chriſtus pax noſtra.

ſiario ab Apoſtolo prædicatus eſt, ſocietate nominis eius.

Euſebius Emiſſenus: Et benè quidem filij Dei vocabuntur pacifici, quia ipſe eſt pax noſtra qui fecit vtraque vnum. Ipſe eſt rex pacificus, qui in ſeipſo angulari lapide duos parietes coniungens, pacem fecit his qui longè erant. *In Euang. 5. Matth.* *Rex pacificus.*

Filij ſunt Regis pacifici filii pacis, regij filij, qui nihil humile & abiectum ſapiunt, nihil cogitant quod terrenum ſit, alta ſapiunt & cœleſtia cogitant, verſant animis res patre rege digniſſimas, neque vnquam à tanto patre degenerant. Sciunt quod ſit munus regij filij, & filij pacis, illúdque pro dignitate ſuſtinent: vbique mores ſuæ proſapiæ, felicis ramos pacis & oliuæ ferunt. *Pacifici regis filij.* *παῖδες εἰρήνης βασιλικώτατοι.*

Qui non ſolùm ipſi ſeditiones non mouent, ſed & alios mouentes ad pacem reducunt, filij Dei vocabuntur: vtpote filium eius vnigenitum imitantes, cuius opus fuit, diſſidentia in vnum reducere, ac inimicos reconciliare. Erit profectò etiam beatus pacificus, hoc eſt in pace ſeruans voluntatem propriæ carnis cum voluntate animæ ſuæ, & quod prauum eſt, meliori ſubiiciens, vt ait Euthymius. *In Euang. cum vidiſſet turbas. Matth 5.* *Filij Dei.* *Beatus pacificus.*

Eadem Euāg. Beatitudo pacificorum. Quàm benè S. Hilarius: Pacificorum beatitudo adoptionis est merces, vt filij Dei maneant, parens enim omnium vnus *Parens omniū vnus Deus.* Deus est. Neque aliter transire in nuncupationem familiæ eius licebit, nisi obliuione earum rerum assumpta, quibus possimus offendi, fraternæ inuicem charitatis *Nemo adoptatur à Deo quin sit pacificus.* pace viuamus ·*· Verissimum est istud effatum, neminem posse in Christi familiam *Quid requiritur vt sit bona adoptio.* transire, neque sibi nomen filij Dei asciscere, neque sacra vsurpare, nisi sit immemor omnium iniuriarum sibi priùs illatarum, nisi arctissimo necessitudinis vinculo cum proximo coniunctus, alioquin irrita esset, aut, vt meliùs loquar, furtiua, ideóque nulla adoptio.

Filij Dei præcipui. Ita breuiter Halberstatensis antistes: qui enim filium Dei specialiter in pacis ob- *In 5. Matt.* seruatione imitantur, rectè filij illius vocantur. Quoniam sicut Filius Dei patienter cuncta sustinuit, ita & illi pro modulo suæ fragilitatis inter proximos laborant, vt pa- *Pacifici opus graue.* cem possint facere inter virtutes, & vitia, inter fratrem & proximum ·*· Haud est tenuis labor, diffidentes animos conciliare.

In fasciculo amoris. Accedat D. Patriarcha Venetorum, qui tam piè filios Dei tractat: Filij Dei meritò vocantur

vocantur, & sunt, qui à Patre luminum veritatis spiritum acceperunt. Per ipsum quippe de hoc nequam erepti sæculo in regnum Dei filij dilectionis transferuntur, eundemque veritatis spiritum, tanquam futurorum bonorum spiritualem cautionem, atque diuinæ caritatis subarrationem in corde custodiunt. Et alibi: Si quempiam Christo militantium agnosces, post laudabilem conuersationem, post multimodam tentationum virtutumque probationem, veterem cum actibus suis crucifixisse hominem, & per interiorem exercitationem pacem possidere mentis, atque cunctos sensualitatis motus dominio subiicere rationis, scito ibi habitare Verbum. Huiusmodi per tranquillitatem & animi imperturbabilem pacem, quam duce gratia adeptus est, Dei filius nuncupandus est, dicente Domino, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

Filij Dei veritatis spiritus possessores.

Dei filius nuncupandus.

S. Basilius Seleuciæ rectè intellexit, quinam filij Dei essent nominandi: υἱοὶ γὰρ θεοῦ κέκληνται, καὶ οἱ διὰ ἀρετῆς ἀκρότητα τὴν πρὸς θεὸν ἔχοντες οἰκειότητα. Dei namque filij vocati sunt, ij qui cum ad summum virtutis gradum & verticem accessissent, summam cum Deo familiarita-

Orat. 25.

Viri perfecti pacifici.

X

tem inierunt *. At isti sunt viri pacis amatores, qui cum Christo familiariter viuunt, & cum Deo congrediuntur. Sunt υἱοὶ ὑψίστου, filij Excelsi, qui in aula pacis versantur, qui tranquillitatis artes tractant, qui cum Filio Dei vitam agunt suauissimam. Sunt πρωτοτόκου fratres, iure adoptionis, & benignitate adoptantis, & ita luculenti patrimonij hæredes declarantur.

Psal 81.

Primogeniti fratres.

Immensum pacis studiosi præmium, filij Dei nomen.



Væramus ergo pacem, vt inueniamus pacis præmiũ: quia vbi consita est hæc arbor pacis, ibi quoque, cum fœcunda sit, baccas fundit miræ dulcedinis. Hoc habet peculiare pacis arbor, vt nullis anni mensibus suis careat ornamentis: semper virescit, semper floret, semper est onusta baccis, & idcircò qui illam nancíscitur, suo non caret præmio. Tantùm inuestiganda est, nam reperta, soluit laborem: eóque lautiùs, quo

Pax, ingens arbor.

Fœta baccis.

Vigor & viror pacis.

Pax labores soluit.

maior est, & alacrior inquisitio. Nihil verius, hominem, qui reperit pacem, reperisse immensam mercedem. Nonne nomen filij Dei est infinita merces? aut si non sit, quid sit immensum præmium, non satis datur intelligi. Tanta est merces, quantum est Dei filij pretium. Quis æstimabit? homo? minimè gentium: Angelus? nec planè explicabit: cum in præmio includatur natura, quæ vim omnem comprehendendi in rebus creatis, & obtutum mentis, solerter licet intelligentis, effugiat. Efferet, opinor, quid sit filius Dei, & illius dignitatem exponet? igitur, interpretabitur, quid sit Deus? nequaquam: nec etiam, quod sequitur, aperiet vim tanti nominis, quo filius Dei concipitur aliquatenus. Magnum opus, & omnium maximum, velle explicare filij Dei nomen & naturam. Satis sit humano ingenio, hoc concipere, esse filium Dei vi adoptionis, esse immensum decus, & infinitum præmium, quod omnes dignitatum gradus & præmiorum ordines, infinitis partibus superet. Mendicum transire in familiam diuitis, ingens naturæ bonum iudicatur: humili loco oriundum in familiam nobilissimam, magnus fauor habetur: militem gregarium

Infinita merces pacis filij Dei nomen.

Nec homo nec angelus quid sit filij Dei nomen satis explicabit.

Mendicus à diuite adoptatur.

ab legato exercitus adoptari, ſingulare dicitur: ducem ab Imperatore, magnum quid & hominibus ſtupendum: at quo nomine appellabitur hæc adoptio, vbi homuncio ex argilla fictus, à ſupremo rerum omnium moderatore Deo, ſingulari quodam modo adoptatur? dicetur hæc inſignis & illuſtris adoptio, fauor? gratia? ingens bonum? infinita merces? præmium omnium maximum? quid dicetur? liberalitatis diuinæ illuſtriſſimum argumentum? locupletiſſimum cœleſtis amoris in pacis amantiſſimos teſtimonium? quicquid dicetur, eo minus ſemper erit, quàm quod dicendum eſt. Omnem hominis captum hæc diuina munificentia ſuperat, ſuperat & angelicum. Dicatur ſaltem, ne ingrati labes animi ſubeatur, aliquid, quod humano quadret ingenio, vt aliquo pacto ſanctiſſimæ quietis & dulciſsimæ pacis merces, fructúſque intelligatur. Canit Euripides,

Varia adoptiones.

Qualis & quanta adoptio.

In Cresphonte.

Opulenta pax.

Εἰρήνη βαθύπλουτε καὶ καλλίστα μακά-
ρων θεῶν.

O pax valde diues & beatorum Deorum pulcherrima.

In Paeanibus. Pax mater bonorum.

Canit Bacchylides: Τίκτει δέ τε θνατοῖσιν εἰρήνη μεγάλα.

Res magnas pax mortalibus producit.

Canit Euripides iterum:

Ὅσῳ τε πολέμου κρεῖττον εἰρήνη βροτοῖς,

Γόοισι δ' ἐχθρὰ τέρπεται δ' εὐπαιδίᾳ,

Χαίρει δὲ πλούτῳ:

Quantum bello pax sit hominibus potior, quæ primùm quidem musis est gratissima.

Ἣ πρῶτα μὲν μούσαισι προσφιλεστάτη, Pacis bona.

Aduersatur luctibus, & sobole delectatur pulchra, gaudétque opibus.

Canit Philemon, Γάμους, ἑορτάς, συγγενεῖς, παῖδας φίλους, In Pyrrho.

Πλοῦτον, ὑγίειαν, σῖτον, οἶνον, ἡδονὴν,

Αὕτη δίδωσι.

Nuptias, festa, cognatos, liberos, amicos, diuitias, Pacis adiuncta merces.

Sanitatem, annonam, vinum, voluptatem ipsa pax donat.

Canit Aristophanes, Apud Stob. de pace ser. 53.

Ὦ πότνια βοτρυόδωρε, τί προσείπω σ' ἔπος:

Πόθεν λάβοιμ' ἂν ῥῆμα μυριάμφορον;

O veneranda pax, vuarum largitrix, quo te nomine appellabo? Et vnde verbum satis magnificum accipiam? Veneranda pax.

Hi poëtæ licet excurrant in laudes pacis, & magnas quasque res humanas ipsi

arrogent, nihilominus, crassa sunt & pinguia bonæ pacis lineamenta: quomodo profana natio immensitatem bonorum pacis & præmia attigisset, cum ne quidem sacræ doctissimorum hominum scholæ infinitam illam pacis æternæ mercedem attigerint? Homo videt & experitur humanæ pacis beneficio, diuinam pacem esse aliquid, quod animum suum minimè subire possit. Summo tamen studio Christi discipulus pacem illam cœlestem quærit, licet non comprehendat quantum bonum sit. Satis illi est, quod sciat admodum placere Deo, & magnum pacis studioso promitti præmium, quod est Dei filij nomen.

In Psal. 33. Audit libenter S. Basilium cum monet Christianum, ζήτησον οὖν εἰρήνην, λύσιν τῶν τοῦ κόσμου θορύβων, κτῆσαι γαληνιῶντα

Diuina pax. νοῦν, ἀκύμονα καὶ ἀτάραχον κατάστασιν τῆς ψυχῆς, μήτε ὑπὸ παθῶν σαλευομένην, μήτε ὑπὸ τῶν ψευδῶν δογμάτων διὰ πι-

Qui pacem quærit, ingens præmium quærit. θανότητος προσκαλουμένων εἰς συγκατάθεσιν περιελκομένην, ἵνα κτήσῃ τὴν εἰρήνην τοῦ θεοῦ, τὴν ὑπερέχουσαν πάντα νοῦν,

Soluit pax omnes mundi tumultus, quod est ingens merces. φρουροῦσαν τὴν καρδίαν σου. Quære igitur pacem, mundi tumultuum solutionem: possidetranquillam pacatamque mentem, statum animæ nec fluctuantem nec turba-

tum, neque ab vllis perturbationibus agitatum, neque à mendacibus dogmatis quadam persuasione prouocantibus ad assensum pertractum, vt habeas pacem Dei, omnem mentis captum excedentem, & tuum cor custodientem. Addit, ὁ ζητῶν εἰρήνην, χριστὸν ἐκζητεῖ, qui quærit pacem, Christum quærit: & qui Christum quærit, Christum inueniet, pacis margaritam, pacis gemmam, pacis stellam: qui hanc lucem inuenit, videt quid sit esse filium Dei, quantum satis est ab beatitudinem, fruitur mercede pacis, qua nihil melius in via, quà nihil dulcius in patria.

Qui quærit pacem Christum quærit.

Gemma pacis.





OCTAVA CLASSIS

Persecutionem patientium.

Hæc palæstra magnanimos requirit. Stadium sublimium animarum.



NEMO limen huius palæstræ superet, nisi generoso, fortique animo, se esse sciat. Magnatum hic locus est mentium, vbi omnis militiæ cœlestis Imperator, & vniuersi orbis patientissimus, idemque constantissimus supremi Numinis legatus, difficillimis humanæ vitæ exercitationibus præest. Docet non tam verbo, quàm exemplo, omnes patientiæ artes, quæ quò sunt cæteris præstantiores artibus, eò etiam longè

Legatus patris. Aliptes cœlestis.

Artes patientiæ difficiles.

difficiliores habentur. Vbi dominatur patiendi vis, ibi natura sudat, & plurimùm laborat. Breuis est lectio magistri, sed non ita est facilis virtus addiscendi discipuli. Auditur vno verbo lectio, quæ patientiæ nomine comprehenditur, vix toto vitæ curriculo perdiscitur. Ita est ars longa, non præceptis, sed difficultate operis. Mirum est istius classis silentium, quia multum est patientiæ argumentum. Videas apertum infinitis laboribus campum, hinc in erectos & excelsos Christi alumnos turbæ calamitatum irruunt, illinc atrocissimi humani generis hostes impetum faciunt, suos Christus pugiles nec cestibus, nec ferro armat, sed patientia: non adhortatur vt vulnera proximo infligant, sed vt ab illo plagas illatas constanter ferant: non arcum & sagittas subministrat, sed clypeis & scutis tegit: non dat animos ad lacessendum, sed ad sustinendum: non prouocat ad nocendum, sed ad malum arcendum: non ad agendum, sed ad patiendum adornat, & excitat. Oblectatur Deus cum videt patientium alumnorum palæstram; hunc videt luctantem cum morbis, illum cum doloribus, tam animi, quàm corporis; hunc cum carne, illum cum dæmone; hunc cum

Patiendi vis ardua.

Natura sudat vbi est passio.

Breuis lectio, nec facilè addiscitur.

Mirum silentium.

Examen calamitatum est illius magisteriorum.

Opus palæstra opus patientiæ.

Agonotheta Deus.

Varia lucta patientium.

mundo, illum cum sæculo: hunc cum iniuriis, illum cum calumniis: hunc cum auaritia, illum cum voluptate: hunc cum cupiditatibus, illum cum honoribus: hunc cum igne, illum cum aqua: hunc cum feris, illum cum catenis: hunc cum terroribus, illum cum minis: hunc cum periculis illum cum tormentis: hunc cum fame, illum cum siti: hunc cum æstu, illum cum frigore: hunc cum peste, illum cum bello: hunc cum tyrannis, illum cum equuleis: hunc cum carcere, illum cum morte. Tota hæc lucta docetur reipsa hac in classe, totaque peragitur vi laboris & tolerantiæ. Non est tam opus teretibus & doctis auribus, quàm est opus oculis ad videndos labores eximiæ patientiæ, qui sunt exantlandi generosis discipulis: non est tanta necessitas perspicacis ingenij, quanta est constantis animi, excelsæque mentis ad subeundas quascunque tempestates, dum de causa Christi agitur. Interim tacita hæc legitur inscriptio, In laboribus à iuuentute mea, quæ totam hanc coronat palæstram, quæ mirum in modum sanctos palæstritas reficit & recreat, dum in cœlestis magistri iuuentute, quid velit magistra virtutum

Patientiæ varij vultus.

Hoc genus luctæ patientia geritur.

Necessaria hac in classe patientia.

Magistra virtutum patientia.

patientia, facili negotio recognoſcant. Libenter erubeſcunt in laboribus iuuentutis Domini, cum hic pudor flos ſit patientiæ, hic rubor color innatæ conſtantiæ, quam mirificè excolent reliquo vitæ curriculo. Non poſſunt ſatis mirari quantam vim habeat inuicta mens in exemplo, quantum momentum afferat ad calamitates tolerandas patientis Christi, non docentis, magiſterium. Cernunt grandes lauros & proceriſſimas palmas, infantis Chriſti ſudoribus irrigatas & laboribus excultas: vident vigiliarum accenſas faces, curarum æſtus, angores animi, tot & tantas dolorum acerbitates, nec vident in vultu magiſtri vllam mutationem. Addiſcunt vias & rationes patiendi difficillima quæque & aſperrima huiuſce terrarum orbis incommoda, addiſcunt vſu & exercitatione naturæ mollitiem vincere, æquiſſimis animis ardua tolerare, nullis aduerſis rebus frangi, dura, ferreáque perpeti: addiſcunt quàm honeſtum ſit & decorum, in omnibus Chriſtianæ ſalutis negotiis ſe virum præſtare; quàm bonum, non ſubiacere fortunæ ludibriis: quàm ſanctum, viuere in tanta rerum calamitate ſine mentis

Labor à iuuentute Chriſti.

Color virtutis.

Chriſti patientis magiſterium.

Quàm conſtans Chriſti patientis vultus.

μαθήματα vbi διδάγματα.

Hæc ſunt conſtantis viri & verè Chriſtiani munia.

fractione; quàm Christianum, expensis corporis, illiusque detrimento, constantem retinere animam in diuinis præceptionibus conseruandis; quàm nobile, superiorem esse suppliciis; quàm diuinum, Deo duntaxat subesse; quàm denique laudabile, Christi causa mundum vincere.

Patiens mundi victor.

Hæc schola est omnium præstantissima, omniúmque nobilissima: est etiam omnium asperrima, difficillimáque, quòd oporteat deprauatæ naturæ, corruptisque moribus obsistere, niti contra corporis appetitus, illiúsque cupiditates coercere, res acerbas sensibus amplecti, amori proprio bellum perpetuum indicere, carnis petitiones nullo modo audire, multo minus acquiescere voluntatibus. Perarduum opus, viuere in carne extra carnem; in omnibus sequi spiritum, perdifficile: cum constet, carnem suam neminem odio prosequi. Omnibus tamen huius classis alumnis necesse est, vt acerbissima quæque deuorent, à quibus ipsa caro penitus abhorret: necesse est vt vim inferant corpori, dum variis calamitatum procellis iactantur: necesse est vt sæpius moriantur, antequam ex hac vita discedant. Neque mirum videri debet, si hęc palęstra genero-

Classis omniũ nobilissima.

Contra hostem pugnandum.

Difficile opus.

Mors ante mortem quasi afflictio.

Hac schola petit generosos.

ſos duntaxat & magnanimos requirat, vbi tam multa grauia toleranda ſunt æquanimiter, vbi nullum eſt à terra ſolatium, ſed vbique mœror, vbique dolor, vbique labor, vbique tolerantia. Claſſis hæc eſt omnium ſuprema, ad quam nullus gradum facit, quin antea ſeptem inferiorum ritè munia obierit, quin dederit ſpecimen ſuæ virtutis & probitatis. Eam ob rem Chriſtus ſapiens magiſter in vltimo gradu eam conſtituit, vt à facilioribus ad difficiliora, ab inferioribus ad ſuperiora fieret aſcenſus. Nemo igitur ad hanc claſſem aſpiret, quin priùs in reliquis ſcholis fuerit volutatus, parteſque cæterarum virtutum optimè ſuſtinuerit, quæ viam ſubſternunt ad palæſtram magnæ patientiæ.

Claßis ſuprema 8. beatitudo.

Vltimus gradus beatitudinum.

Eſt ordo in rebus.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

De calamitatibus iustorum.

Sedes miseriarum.
Duplex hominum genus.



VNC terrarum orbem, sedem esse calamitatum, fugit neminem. In hoc, duo hominum genera versantur, quorum vnum virtutem sequitur, alterum vitio adhæreſcit. Qui scelus anhelant, odorem virtutis ferre nequeunt, eosque continuò agitant, qui probitati ſtudent. Hoc ex morum diſcrimine crudele bellum naſcitur, quod vltrò citróque ſuſcipiunt vitiorum ſigniferi, aduerſus probitatis ſtudioſos. In hoc vitioſi, immanitate barbari, quòd iuſtos aſſiduè laceſſant, & vehementer inſectentur, cum nullam iuſtæ inſectationis anſam dederint, imò multas cauſas iuſti amoris, iuſtæque reponendæ mercedis & gratiæ. Agunt illi barbarè & immaniter, iſti patiuntur modeſtè & humaniter: illi iſtos cruciant & diuexant, iſti

Bellum ex morum contrarietate.

Contrarietas.

illos ne leui notant iniuria: illi istos grauiter mulctant, isti illos beneuolè compellant: illi istos honore, fama, opibus, dignitate priuant, isti illis immortales gratias habent: illi istos summo prosequuntur odio, & vndique propulsant, isti illos summè amant, & vbique benignè excipiunt: illi istos ferre nequeunt, & iis vitam adimunt, isti illos in oculis gerunt, & pro eorum salute sanguinem profundunt. Ex tanta rerum varietate & oppositione naturæ, ex tyrannide vitij, & virtutis oppressione, deterrimę in animis hominum opiniones inseruntur, nimirum esse omnium mortalium infelicissimos virtutis propugnatores, felicissimos sectatores vitij. Sed quàm malè sentiant impij, pij vident, & quàm iniqua sit sententia improborum, Christi veritas aperit. Omni hominum memoria, eos qui propter Deum grauissima tolerabant incommoda, infelices vocabant: eos quos describit S. Apostolus, cum ait, ἐλιθάσθησαν, ἐπρίσθησαν, ἐπειράσθησαν, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, calamitosissimos iudicabant: & nesciebant eundem Apostolum, dixisse ὧν οὐκ ἦν ἄξιος ὁ κόσμος, quorum non erat dignus mundus.

Oppositio agitantium & patientium.

Athei.

Malus impiorum sensus.

Ad Hebr. 11.

Afflictis in Christo dignus non est mundus.

Non ita Christus de illis iudicat, & integerrimum est illius iudicium; contrà, secus opinantium, valdè corruptum & deprauatum notatur. Proclamat beatos, eos omnes qui propter se grauia patiuntur: veritas ipsa loquitur, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quicquid dicat mundus reclamando, falsum est, mendacium est, cum miseros & infelices vocet. Verè beati sunt, qui propter iustitiam multa & quidem grauia tolerant, vbi notatur causa felicitatis, iustitia. Non illi vnquam beati iudicantur, qui propter sua scelera grauissimè torquentur, quia iustitiæ est, vt debitas sceleribus pœnas luant. Neque dicuntur propter iustitiam pati, sed de iure iustitiæ puniri. Bellè D. Augustinus, pœna non facit Martyrem, sed causa. Ita est, supplicium non facit beatum, sed causa, Dei ergo. Non appellatur beatus, qui meritò coniicitur in equuleum, qui radiis rotarum districtus pendet, qui ad palum religatur, qui capite plectitur: sed qui Christi causa, innocens, iisdem, vel grauioribus suppliciis afficitur. Felices reuera qui propter ęternam iustitiam, omni dedecore afficiuntur, qui suis è patrimoniis deiiciuntur, suis è sedibus deturbantur; qui detruduntur

Mundus mendax: Christus verax.

Non audiendus mundus, sed Deus.

Iustitia, causa felicitatis.

Pœna non facit martyrem sed causa.

Quinam beati dicendi in tolerandis pœnis.

truduntur in carceres, vinculis constringuntur: qui solum vertere coguntur, omnibus vitæ commodis destituti: qui post initos labores, vitam effundunt. Audiamus sanctorum Patrum de hoc argumento pulcherrima oracula. *Beatum est propter æternam iustitiam pati.*

Ita Theophylactus: Non soli Martyres, sed & multi persecutionem patiuntur, quia iuuant iniuria afflictos, & in summa omnem virtutem fouent. Iustitia enim est omnis virtus. Fures autem & homicidæ, tametsi etiam ipsi persecutionem patiuntur, non tamen sunt beati * Vbi videre est per iustitiam, omnem intelligere virtutem & ita beatos esse, qui propter quamlibet virtutem in gratia Dei, calamitates tolerant. Negat præterea latrones, & parricidas, & eiusmodi sceleratos, esse felices, licet suppliciis afficiantur, quia culpis ista sunt promeriti. Quam sententiam confirmat Haymon Episcopus: Sustinent enim multas tribulationes homicidæ, adulteri, fures, alienarum rerum inuasores: nec tamen talis persecutio perducit ad beatitudinem, quæ propter iustitiam sustinetur. Vnde nos admonet B. Petrus dicens: Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut adulter, aut rapax. Si autem vt

In c. 5 Matth.

Iustitia est omnis virtus.

Fures & homicidæ suppliciis affecti non ideo beati.

In c. 6 Luc.

Est persecutio quæ non perducit ad beatitudinem.

1. Petr 4.

Pati, vt Chriſtianus.
1. Petr. 3.

Chriſtianus non erubeſcat, ſed glorificet Deum in iſto nomine. Et quis eſt, qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? Sed & ſi quid patimini, propter iuſtitiam beati ·*· Diſcipulus hæret magiſtro, Petrus Chriſto: nam vterque in innocentia beatitudinem reponit.

In Luc. 6. comm.

S. Ambroſius hæc de beatitudine non vulgari modo diſſerit: Profuiſti igitur aliis; tuliſti auxilium pluribus, feſtina, contende ad finem. Multi cum eſſent exitus vitæ, vnus Domino competebat. Nam quod natum erat ſecundùm carnem, oportebat ſecundùm carnem mori. Elegit paſſionem, vt moreretur pro nobis, & tu dic de omnibus quæ retribuit tibi Dominus, Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo, hoc eſt, paſſionem. Et ibid. Vſque ad finem te ducit, vſque ad Martyrium proſequitur, & conſtituit beatitudinum palmam ·*·

Chriſtus elegit paſſionem vt moreretur pro nobis.
Pſal 115.
Calix ſalutaris iuſtitiæ.

Benè S. Ambroſius obſeruat huius octauæ beatitudinis præſtantiam, quam palmam beatitudinum appellat, quæ creuit in cruce Domini, & propagata eſt ad omnium Martyrum cruces. Conuenit cum D. Ambroſio D. Nyſſenus, cum hanc beatitudinem verticem beatitudinum no-

Palma beatitudinum.
Vertex beatitudinum,

minet: ἥ τις ὥσπερ κορυφὴ τῶν μακαρισμῶν πάντων ἐπὶ τοῦ ἀκροτάτου κεῖται τῆς ἀγαθῆς ἀναβάσεως: quæ tanquam vertex omnium in summo gradu boni ascensus posita ·*· Quàm sint meritò beati vocandi, qui perpetiuntur res aduersas, qui non videt, pauca videt. Existimat idem S. Nyssæ præsul, per hos qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, beatos Martyres intelligendos esse: ὁ μὲν οὖν πρόχειρος λόγος τὸ τῶν μαρτύρων ἡμῖν ὑποδείκνυσι στάδιον, καὶ τὸν τῆς πίστεως δρόμον ὑποσημαίνει, &c. Quæ in promptu est ratio, martyrum nobis stadium ostendit, ac fidei cursum designat ·*· Verè quidem loquitur, nam nunquam ita fides fuisset propagata, tantáque celeritate ad quatuor orbis angulos volasset, nisi persecutionis alis fuisset instructa. Et aliundè fusus Martyrum sanguis, fœcundissimum semen fuit Christianorum. Bona igitur persecutio, ex qua nascitur beatitudo. μακάριον γὰρ ὡς ἀληθῶς τὸ ἕνεκεν τοῦ κυρίου διώκεσθαι, &c. Beatum est reuera propter Dominum pati persecutionem: quare? quia à malo exagitari, causa fit boni adipiscendi: mali fuga, quærendi boni est occasio: bonum autem & supra omne bonum, est ipse Dominus

εἰς τοὺς μακαρ. λογ. η.

Beati Martyres qui persecutiones passi sunt.

Persecutio stadium Martyrum & fidei cursum designat.

Alæ persecutionis fidem extulerunt.

Sanguis martyrum semen Christianorũ.

Bona persecutio.

D. Nyss. loc. sup. cit.

Persecutio causa boni.

ad quem cursu contendit, qui grauia patitur. Ergo beatus est, qui suo inimico tanquam adiutore ad consequendum bonum vtitur: οὐκοῦν μακάριος ὡς ἀληθῶς, ὁ συνεργῷ τῷ ἐχθρῷ πρὸς τὸ ἀγαθὸν χρώμενος *. Rectè idem S. Pater hoc addit, quoad beatitudinem διωκομένων, Itaque persecutionis, qua Martyres à tyrannis agitantur, species quidem prout prima fronte apparet, videtur acerbissima sensui, ὁ δὲ σκοπὸς τῶν γινομένων, ὑπερβαίνει πᾶσαν μακαριότητα, sed id, quò spectant ea, quæ fiunt, omnem superat beatitudinem. Et paulò post id probat exemplis: quemadmodum igitur si quis rerum futurarum gnarus Iosepho prædixisset, Insidiis petitus, beatus eris: prima fronte vera dicere audienti, & in præsentia ad res luctuosas intuenti, non visus fuisset (non enim fieri posse autumaret, vt mali propositi bonus designaretur exitus:) ita etiam hîc cum persecutio, qua fideles a tyrannis agitantur, multum iuxta sensum acerbitatis habeat, efficit, vt ab iis, qui carni paulò magis sunt obnoxij, ea, quæ per res asperas & acerbas, ipsis proposita est, regni spes haud facilè admittatur. Sed Dominus naturæ preto vitio, prædicit infirmioribus,

Beati qui persecutionem patiuntur.

Persecutio specie ipsa peracerba, sed fructu suauissima.

B. Iosephi persecutio prima fronte asperrima, fine suauissima.

σαρκικώτεροι non ita facilè persecutionis fructum probant.

qualis laboriosi certaminis sit exitus, ἵνα τῇ τῆς βασιλείας ἐλπίδι, vt spe regni cœlestis, aduersarum rerum & temporalium sensum facilè deuincant. Idem S. Doctor Græciç dat aliam huius beatitudinis explicationem, cum ait: Beati igitur qui persecutionem patiuntur propter me: hoc autem tale, ac si quis sanitati facultatem loquendi dedisset, illa diceret: Beati à morbo liberati propter me, nam grauium rerum & molestarum alienatio efficit, vt in me versentur, qui aliquando ægrotarunt. Ita vocem excipiamus, quasi ipsa vita nobis eiusmodi beatitudinem proclamet: Beati quos mors persequitur propter me: quasi lux dicat, Beati quos persequuntur tenebrç propter me. Similiter etiam iustitia, (ita potest loqui) sanctimonia, incorruptio, bonitas, & omnis intellectio, quç in potiorem partem & accipitur, & dicitur. Dominus igitur, ita tibi dicere, putetur: Beatus est, quicunque ab omni re contraria iactatur, à corruptione, à tenebris, à peccato, ab iniustitia, ab auaritia, ab vnoquoque eorum, quç virtutis rationibus opponuntur, nam extra mala versari, est intra bona constitutum esse.

Bonitas Dei. Persecutio laboriosum certamen.

Christus loquens inducitur.

Mortis persecutio.

Tenebrarum persecutio.

Beatus agitatur à rebus contrariis.

Eusebius Emissenus ita philosophatur

In Euang. videns Iesus turbas.
Persecutio propter iustitiam.

hac in beatitudine: Propter iustitiam dicit, non propter mundi honores, non propter diuitias, non propter superbiam & iniquitatem. Multos enim vidimus qui propter hęc & similia persequuntur alios, & agitantur ab aliis. Propter iustitiam enim Apostoli & Martyres persecutionem ab impiis passi sunt. Si enim à prædicatione iustitiæ cessare voluissent, persecutionem passi non essent. Vsque hodie quoque in sancta Ecclesia persecutionem patiuntur, quicunque iustitiam prædicare & tenere nituntur.

Apostoli propter iustitiam passi sunt grauia.

L.1.de ser. Domini in monte.
In Christiano intrinsecus est beatitudo extrinsecus persecutio.
Psal. 44.

S. Augustinus ait, Animaduertat quisquis delicias huius sæculi, & facultates rerum temporalium quærit in nomine Christiano intrinsecus esse beatitudinem nostram, sicut de anima Ecclesiastica ore Prophetico dicitur, Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus: nam extrinsecus maledicta & persecutiones & detractiones promittuntur, de quibus tamen magna merces est in cœlis, quæ sentitur in corde patientium, eorum, qui iam possunt dicere, Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, &c. Non enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine non solùm æ-

Rom. 5.
Fructuosum est pati pro Christi nomine.

quo animo, sed etiam cum exultatione tolerare. Ibidem: Beati qui persecutionem patiuntur, sed additum est, propter iustitiam. Vbi autem sana fides non est, non potest esse iustitia. Quia iustus ex fide viuit. Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant, quia similiter vbi charitas non est, non potest esse iustitia. Dilectio enim proximi malum non operatur ·✱· Illi igitur sunt beati qui grauia patiuntur ex fide, ex charitate, propter Deum, qui est summa iustitia.

Rom. 13.

Pati ex fide & charitate propter Deum, ingens bonum.

D. Chromatius ostendit quanti sit facienda iustitia in vi persecutionis: Non immeritò esuriendam ac sitiendam iustitiam Dominus superiùs memorauit, cuius desiderio in tantum sitire nos docet, vt propter eam & persecutionẽ mundi, & pœnas corporis, & ipsã mortẽ cõtemnere debeamus. In qua significatione Martyres maximè declarantur, qui propter iustitiam, fidem, & nomen Christi persecutiones in sęculo sustinent, quibus spes magna promittitur, id est possessio regni cœlorum. Cuius beatitudinis Apostoli principes extiterunt, & omnes iusti, qui propter iustitiam legis diuersis persecutionibus afflicti, meritò fidei suæ ad regna cœlestia peruenerunt.

Serm. in cap. 5. Matt.

Quanti facienda iustitia.

In 5 Matt. Perfecta beatitudo.

Breuiter S. Hilarius, Perfecta ad postremum beatitudine eos muneratur, quibus omnia pro Christo pati promptus affectus est, quia ipse iustitia est.

Lib. 4 strom. Magnum bonum pati propter iustitiam.

D. Clemens Alexandrinus explicat hanc beatitudinem subtili modo, ita ille: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, apertè nos docet, in omni casu quærere Martyrem, qui si fuerit pauper propter iustitiam, testatur esse bonum, quam dilexit iustitiam. Et ibidem: κεφάλαιον δ' οἶμαι πάσης ἀρετῆς Κύριος παιδεύων ἡμᾶς, τὸ δεῖν γνωστικώτερον δι' ἀγάπην τὴν πρὸς τὸν θεὸν, θανάτου καταφρονεῖν, &c. Totius autem virtutis summa est, cum Dominus doceat oportere ex cognitione, propter charitatem in Deum, nos mortem contemnere.

Virtutis summa.

Ad Imp. Const. apologia.

Labor persecutionis non inutilis.

Fulgor afflictorum.

S. Athanasius beatos effert qui grauia patiuntur propter Christum, μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης. ἀλλ' οὐδὲ ἀνωφελὴς αὐτοῖς ὁ τοιοῦτος ἐγίνετο κάματος. Neque iste labor illis sine fructu erat. Siquidem Deus, vbi eos tanquam aurum in fornace conflatoria probasset (vt inquit sapientia) se dignos inuenit, καὶ αὐτοὶ τότε μᾶλλον ὡς σπινθῆρες ἀνέλαμπον: quin ipsi magis vt scintillæ refulgebant.

S. Macarius afflictos propter Christum felices prædicat quia legem dilectionis implent. Quamobrem qui spiritaliter eam implent, & pro modo participes sunt gratiæ, non solùm εὐεργετοῦντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὀνειδίζοντας καὶ διώκοντας ἠγάπων, beneficiis, sed etiam contumeliis afficientes, & insectantes amant: charitatem spiritalem recipientes pro bonorum remuneratione, bonorum dico, non quia condonarunt iniurias, sed quia animas iniurias inferentium beneficiis affecerunt. Idem alibi notat persecutionem viam esse Christianæ Religionis, in qua reperitur beatitudo patientium. Ea est enim Christianæ Religionis via, vt vbi est Spiritus sanctus, ibi statim sequatur conflictus & persecutio, velut vmbra, ὅπου γάρ ἐστι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐκεῖ ἐπακολουθεῖ οἷον σκιὰ ὁ διωγμὸς, καὶ ἡ πάλη. Vides Prophetas, quonam pacto à contribulibus suis persecutionem passi sunt, in quibus tamen spiritus operabatur. Vides quomodo Dominus, qui est via & veritas, non ab alia gente, sed à suis, nempe à propria tribu Israël, persecutione affectus est, à qua etiam est cruci suffixus. Itidem & Apostoli.

Hom. 37.

Persecutionis merces charitas.

Charitas præmium mitissimæ & afflictæ animæ.

Hom. 15 in resp. ad interrogationem.

Via Christianæ Religionis. Vbi Spiritus sanctus, ibi persecutio.

Vbi S. Spiritus spirat, conatur flare persecut. a iudo.

D. Laurentius Iustinianus: Propterea

Post pacificos afflicti. post pacificos beatos Dominus esse asseruit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Commendat Dominus his paucis verbis dilectionem, quam erga ipsum gerimus, persecutiones pro iustitia seruanda magnanimiter perferentes. Commendat insuper Martyrum constantiam, qui vsque ad tolerantiam immanium tormentorum, ac sanguinis effusionem pro veritate certarunt. Beatos demum fideles quosque esse denunciat, qui se vt à delictis & facinoribus immunes custodiant, patienter Dei illata sibi flagella, diaboli tormenta, tentamenta diuersa, & proximorum tolerant irrogata conuitia, sine quibus probationibus, quandiu Domino famulantur, esse non valent: hoc Apostolo perhibente, qui ait: Et omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutiones patiuntur: interdum visibiliter, inuisibiliter semper: de quibus viri patientes & humiles (fauente Christi gratia) victoriam assequuntur ·*·

Dilectio commendatur in persecutione.

Constantia Martyrum cōmendatur.

Domini famulatus persecutiones parit.

Persecutiones quæ videntur & quæ non subiacent oculis.

Talis victoria longè est clarior Regum trophæis & Imperatorum triumphis, quia causa est nobilior, & effectus gloriosior. Talis victoria efficit vt beata sit sors agitatorum à procellis calamitatum, & quò diuturnior conflictus fuit & pugna acrior, eò

fulgor patientis erumpit lucidior, manatque longiùs victoriæ rumor. Hinc beatitudo nascitur, statu tranquillissimæ quietis firmiter stabilito.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.



DEM præmium persecutionem patientibus, & pauperibus spiritu promittitur, & ita corona beatitudinum clauditur. Hic circulus à regno pauperum, ad regnum patientium, est summæ perfectionis; aperitur, & termino eodem finitur. Cœlestis Matheseos figura est, & omnium perfectissima, quia globosa. Est corona, & simul circulus: quatenus corona, omnes coronat beatitudines: quatenus circulus, easdem claudit. Tori coronæ eminent, partes circuli ambiunt coronæ toros, & ex vtroque opere venustas oritur. Hæc corona nunquam circulo priuatur, nec circulus corona orbatur: nec regnum pau-

Idem præmium pauperum & patientium.

Corona beatitudinum.

Corona & circulus beatitudinum.

Corona in circulo & circulus in corona.

perum fugit illud, quod est patientium: vnum in altero includitur. Ortus vnius, non est occasus alterius, sed initium ascensus. Regnum pauperum spiritu, & regnum persecutionem patientium propter iustitiam, est idem in natura, idem in gratia, idem in gloria. Prçmium est, & humilium, & afflictorum. Ex diuersa palæstra, varius labor eandem palmam parit: ex diuerso certamine idem erumpit ardor, eiusdem gloriæ. Nonne sunt gemini pauperes spiritu & patientes? nonne iisdem artibus instructi? nonne ad eundem scopum collineant? nonne eundem feriunt? nonne felicis iactus, est idem pretium, eadémque palma? certè vtrique cœleste regnum obtinent. Nec plus, nec minus est, quando est idem præmium.

Ortus pauperum, ortus est patientium.

Ex diuerso labore fluit idem fructus.

Audio D. Nazianzenum: Cœleste regnum visio summi Dei est. Et cum alibi petat: Quid autem illud est, quod in spe positum habemus? Regnũ cœlorum, proculdubio inquies. Atqui illud nihil aliud esse existimo, quàm eius, quod purissimum & perfectissimum est, adeptionem. ἡγοῦμαι δὲ μὴ ἄλλο τι τοῦτο εἶναι, ἢ τὸ τυχεῖν τοῦ καθαρωτάτου τε καὶ τελεωτάτου. Perfectissima verò rerum omnium est Dei cognitio.

In Iamlicis. Visio Dei. Orat. 29.

Quid est regnũ cœlorum.

Dei cognitio.

Quàm amplum quàm florens, quàm admirandum, quàm gloriosum regnum est, visio Dei, cognitio Dei: ita videre Deum, regnare est, ita cognoscere, imperare. Regnant videndo humiles regnant patientes,& in oculis regnum habent,& in oculis felicitatis semen.

His igitur & regnum reseruatur (vt ait S. Hilarius) & merces in cœlo copiosa promittitur qui in contemptu sæculi pauperes spiritu,& damnis rerum præsentium iacturisque probrosi, & aduersus maledicta hominum cœlestis iustitiæ confessores,ac deinceps gloriosi promissorum Dei Martyres,omnem vitæ vsum testimonio veritatis eius impenderint. *In c. 5. Matt. Regnum reseruatur persecutionem patientibus.*

D Bernardus, Iam quæ sequitur octaua beatitudo, Martyrum est prærogatiua,cuius nobis tolerantiæ nec tempus videtur esse, nec virtus. Honoratur nunc iustitia magis quantum in facie est aut nulli, aut pauci pro ea sustinent persecutionem. Felices tamen si qui sunt, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, vt eos nemo persequatur. Quod si multiplex fuerit tribulatio, tunc quoque multiplicius exultandum, non intuentibus quæ videntur incommoda, sed præmia quæ non videntur. Quæ *Serm. 1. in fest. omniū Sanctor. Prærogatiua Martyrum. Felices afflicti. In regno cælorum nulla persecutio. Quo maior est afflictio eo maior lætitia.*

enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.

De serm. in monte. *Persecutionem patientes hæreditatem accipiunt.* Benè S. Augustinus: Et tanquam redeatur ad caput, quo die missus est Spiritus sanctus, eo in regnum cœlorum ducimur, & hæreditatem accipimus, & consolamur, & pascimur, & misericordiam consequimur, & mundamur, & pacificamur.

In Luc 6. Rectè S. Ambrosius: Habes fortitudinem, sed eam, quæ non odium mereatur ex crimine, sed persecutionem patiatur ex fide. *Passionis corona.* Sic enim ad passionis peruenitur coronam, si gratiam hominum negligas, diuinam sequaris.

In Euang. descendens Iesus de monte. *Diuitiæ hæreditatis Christi dantur patientibus.* Cum pietatis sensu venerabilis Beda de præmiis afflictorum loquitur: Qui propter diuitias hæreditatis Christi in sanctis, propter panem vitæ æternæ, propterque spem cœlestium gaudiorum, fletus esuriem, paupertatemque pati desiderat, beatus est. Multo autem beatior, qui has inter aduersa virtutes seruare non trepidat. Quia odiant licet homines corde nefando, dilectum cor Christo lædere nequeunt. Separent, & Synagoga depellant, Christus inuenit, & confirmat. Exprobrent nomen Crucifixi, ipse commortuos sibi conresuscitat, & consedere facit in cœlestibus.* Hæc *Sedent in cœlestibus patientes Christi.*

sedes cœlestis, patientium turbæ sacra est: nec stellata subsellia eiusmodi sessores vnquam refugiunt.

Præclarè Guerricus Abbas: In hoc officio, qui fidelis & constans fuerit, sæpe virtutem & meritum sancti Martyrij comparabit, persecutionem patiens propter iustitiam, aliquando & ab his pro quibus pugnabit, &c. Quantæ autem gloriæ, quámque copiosæ mercedis in cœlo sit culmen huius perfectionis, inde vtcunque licet æstimare, quod ipsa etiam abrenunciantium sæculo primordia tantæ Dominus prædicat felicitatis, vt dicat, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. ✱· Argumentatur hic sacer scriptor à minori ad maius, nam primo gradui beatitudinum tanta bona conceduntur, quanta vltimo, supremóque gradui asseruantur. Ibid. pulchrè dicit, Est enim manifestè quidam ascensus cordium, & profectus meritorum iste per ordinem digestus octonarius virtutum, gradatim de imis ad summa perducens virum euangelicę perfectionis, donec ad videndum Deum Deorum in Sion ingrediatur templum, de quo Propheta dicit, Et in octo gradibus ascensus eius ·✱· Hoc admirandum Templum, qui

In c. 5. Matth. Euang.

Quanta est patienti um gloria, & quàm copiosa merces.

Ascensus cordium.

Ezech. 40.

Templum Dei subsit vir laborum.

grauia passus est propter Christum in terris, ingreditur, ibique quiescit ad omnem æternitatis memoriam. Templum est gloriæ, cuius patet aditus Christi athletis, in quo suos sudores abstergunt acerbitatis, & nouis coronantur laureis, suauissimis laborum vmbraculis.

In Epist. c. 1. S. Iacobus Apostolus secundùm Christi mentem loquitur cum ait, μακάριος ἀνὴρ ὃς ὑπομένει πειρασμὸν, Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ τὸν στέφανον τῆς ζωῆς, quam repromisit Deus diligentibus se.

Corona vitæ.

στέφανος ζωῆς. Quare datur corona vitæ patientibus. Bellè promittitur persecutionem patientibus corona vitæ, quia cum toties vitam efflarint, quoties acerba passi sunt, mortis labores, vitæ fructibus compensantur. Hęc corona vitæ tandiu florescet, quandiu ver cœleste durabit: at æternùm durabit, florebit etiam æternùm hæc corona, quæ longè est diuturnior, & pretiosior regum coronis, & triumphantium heroum sertis & laureis.

Clemens Alexandrinus, varia patientium refert prœmia: Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur, ὅτι αὐτοὶ

αὐτοὶ υἱοὶ θεοῦ κληθήσονται. Vel, vt nonnulli ex iis qui traducunt Euangelia, Beati, inquit, quos persequitur iustitia, quoniam ipsi erunt perfecti: μακάριοι, φησιν, οἱ δεδιωγμένοι ὑπὸ τῆς δικαιοσύνης, ὅτι αὐτοὶ ἔσονται τέλειοι. Et Beati qui persecutionem patiuntur propter me, quoniam locum habebunt ad quem non perueniet persecutio, ὅτι ἕξουσι τόπον, ὅπου οὐ διωχθήσονται. O felicem illum locum, vbi nulla ingruit tempestas, vbi nulla serpit afflictio, vbi nulla volitat calamitas, vbi nulla vis aduersatur, vbi omnia quieta, omnia suauitate condita, læta omnia. De illo loco, vbi non est persecutio, loquebatur regius vates, cum caneret, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Et aliàs, Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Et aliàs, Quā dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Hoc est regnum grauia patientium.

Noua lectio istius Beatitudinis.

Varia explicatio huius 8. Beatitudinis.

Ad regnum cælorum non peruenit persecutio.

Domus Dei in patientium est.

Psal. 121.

Psal. 80.

Psal. 83.

Hoc in præmio beatitudinis, diuino quodam modo versatur S. Gregorius Nyssenus: quoniam ipsorum est regnum cœlorum, ἰδοὺ τὸ πέρας τῶν κατὰ θεὸν ἀγώνων, τὸ τῶν πόνων γέρας, τὸ τῶν ἱδρώτων ἔπαθλον. τὸ τῆς ἐν τοῖς οὐρανοῖς βασιλείας

εἰς τοὺς μακαρισμοὺς λογ. η.

Meta beatitudinum finis certaminum cœlum.

ἀξιωθῆναι. Ecce finis & terminus diuinorum certaminum, laborum merces, sudorum præmium: regni cœlestis consecutio. Non amplius circa rem parum stabilem, & mutationibus obnoxiam spes oberrat felicitatis. Nam terrenus locus est ex iis, quæ

Terra mutationibus subiacet.

variantur & immutantur: de iis verò, quæ in cœlo videntur & mouentur, nihil tale iudicamus, nimirum non eodem modo & similiter sese habere, sed serie atque ordine suum quoque cursum, omnia quæ in cœlo sunt, peragere. ὁρᾷς τοίνυν τῆς δωρεᾶς

τὸ μέγεθος τῆς ἀξίας χαρίζεται.

τὴν ὑπερβολήν; vides igitur doni excellentiam; quod non iis, quæ mutantur, magnitudinem dignitatis largitur, ne quis mu-

Cœleste regnum non mutatur.

tationis metus bonam spem perturbet: Sed cum regnum cœlorum dixit, ostendit id donum, quod nobis sub spe propositum est, non esse mutationi obnoxium, sed semper eodem modo sese habere.


Idem S. Doctor petit, quid sit, quod consequuntur qui pro Christo multa patiuntur: & diuinum, respondendo sibi, edit oraculum. Non videtur mihi aliquid aliud esse, quodlibet eorum, quæ sperantur, præterquam ipse Dominus. Ipse est agono-

Deus corona vincentium.

theta certantium, καὶ στέφανος τῶν νικώντων, corona vincentium, qui diuidit hære-

ditatem, & eſt bona hæreditas, & ὤνιός σοι τῷ καλῶς συμπορευομένῳ περικείμενος, & venalis tibi rectè negotianti (margarita) proſtat.

Pro Christo, & in Christo calamitas, multorum bonorum origo.



VAM rotundè & argutè ſacer orator Græciæ, προσδοκωμένων καρπῶν ἄνθος, ἡ θλῖψις ἐστὶν, fructuum, qui ſperantur, flos, afflictio eſt. *De beatitud. or. 8. D. Nyſſ.* *Flos, afflictio.* Propter fructum, amœniſſimum Chriſti oculis florem, decerpamus: non eſt dubium, quin illius odor ſit ſuauiſſimus: quandoquidem ad cœlos vſque, ſpirat illius anima ſuauitatem incredibilem, qua cœleſtis mirificè recreatur curia. *Mira floris ſuauitas.* Hunc florem delibarat D. Chryſoſtomus, qui fontem aperit bonorum, quæ manant ex afflictione.

Primum bonum (ne dicam præmium) quod fluit ex afflictione, eſt humilitas, qua iuſti continentur in officio, quaue arcetur procul elatio animi, quæ ſolet oriri ex ma- *Primum bonum afflictionis, fuga arrogantiæ.*

Ad popul. Antiochen. hom. 1.

πρώτη αἰτία τῶν ἁγίων κακώσεως.

gnitudine meritorum. Quod confirmat S. Ioannes Antiochenus, Græcæ lumen eloquentiæ: διὰ τὸ μὴ ταχέως αἴρεσθαι εἰς ἀπόνοιαν τῷ μεγέθει τῶν κατορθωμάτων καὶ τῶν θαυμάτων, ἀφίησιν αὐτοὺς κακοῦσθαι: ne facilè in arrogantiam propter meritorum magnitudinem & miraculorum tollantur, ipsos Deus sinit affligi.

2. Bonum afflictionis. δευτέρα.

Secundum bonum est, ne homines de iustis maiorem concipiant opinionem, quàm humana patitur natura, & Deos ipsos esse, non autem homines, arbitrentur, καὶ θεοὺς, ἀλλ' οὐκ ἀνθρώπους νομίσωσιν αὐτοὺς εἶναι.

3. Bonum afflictionis. τρίτη.

Tertium bonum est, vt & Dei virtus eluceat per ægrotantes, & vinclis constrictos, superior, & victrix, & prædicationem amplificans, τὸ κήρυγμα αὔξουσα.

4. Bonum. τετάρτη.

Quartum bonum est, vt illorum ipsorum patientia omnibus patefiat, non propter mercedem Deo seruientium, sed tantam animi gratitudinem exhibentium, vt post tot & tanta mala perpessa, sincera in ipsum beneuolentia significetur: ὡς καὶ μετὰ τοσαῦτα κακὰ τὴν ἀκεραίαν περὶ αὐτὸν ἐπιδείκνυσθαι εὔνοιαν.

5. Bonum. πέμπτη.

Quintum bonum est, vt de resurrectio-

ne quilibet philosophetur: Cum enim virum iustum & omni virtutum genere exornatum, infinita mala perpessum, & & ita hinc digressum videris, oportet ex hoc omninò aliquid de illo iudicio cogitare. Si enim homines suimet causa laborantes sine mercede non dimittunt, multo magis eos, qui tantopere laborarunt, Deus sine præmiis & coronis dimittet: οὐκ ἂν ἕλοιτο ποτὲ ἀστεφανώτους ἀφεῖναι. Si autem ipsos laborum suorum mercede priuare nolit, necesse est quoddam aliud esse tempus post huius vitæ discessum, in quo præsentis laborum curriculi fructus percipiant.

Sextum bonum est, vt omnes, qui rebus aduersis conflictantur, abundè habeant, quo se solentur & res asperas mitigent, in iustos ora conuertentes, & calamitatum, quæ ipsis euenere, recordantes, καὶ τῶν συμβεβηκότων αὐτοῖς μεμνημένοι κακῶν. *6. Bonum. ἕκτ.*

Septimum bonum est, ne quando incitamur ad patientium virtutem, & cuique dicitur, Imitare Paulum, æmulare Petrum, propter rerum præclarè gestarum magnitudinem, illos alterius participes fuisse naturæ cogitantes, ad imitationem obtorpescamus. *7. Bonum. ἑβδόμ.*

8. Bonum. ὄγδοον. Octauum bonum eſt, vt quando beatos vel miſeros cenſere oportet, diſcamus, quos quidem beatos, quos autem miſeros & ærumnoſos putare debeamus.

9. Bonum. ἐννάτη. Nonum bonum eſt, quod probatiores malè affectos faciat tribulatio, ὅτι δοκιμωτέρους ποιεῖ τοὺς θλιβομένους ἡ θλίψις. Vides (ait D. Chryſoſtomus) quod ex tribulatione probatio, futurorum ſpem nobis affert, & in tentationibus manere, de futuris benè ſperare facit, τὸ μένειν ἐν πειρασμοῖς, εὐέλπιδας ποιεῖ περὶ τῶν μελλόντων εἶναι.

10. Bonum. δεκάτη. Decimum bonum eſt, quod ſi aliquas labes inuſtas animis habeamus, vi afflictionis eluuntur, εἴ τινας κηλῖδας ἔχομεν, καὶ ταύτας ἐνταῦθα ἀποτιθέμεθα.

11. Bonum. ἑνδεκάτη. Hæ 11. rationes ex D. Chryſoſtomo, loc. cit. Vndecimum bonum eſt, quod augeatur gloria, τὸ τοὺς στεφάνους ἡμῖν, καὶ τὰ βραβεῖα πλεονάζειν: coronæ & præmia fiunt ampliora. Quantum enim afflictiones intenduntur, tantum & remunerationes ampliantur, imò etiam multo plus. Non enim condignæ ſunt paſſiones præſentis temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Rom. 8.

12. Bonum. δωδεκάτη. Hom. de pœnitentia. Duodecimum bonum eſt, ſpes futurorum bonorum: Ne fugias (ait Ioannes cognomento Ieiunator) itaque laborem

vt aſſequaris coronam : mercator non deficit, ſed fluctus tolerat, vt pecunias inueniat : athleta dimicans generosè fert vulnera, coronam intuens : agricola non inuenit manipulos niſi prius per proprios ſudores ſemina iaciat : ſimiliter in cœlum intuentes, bonorum ſpe roborati, tribulationes nihil æſtimant. οὕτως οἱ εἰς οὐρανοὺς ἀποβλέποντες, οὐδὲν ἡγοῦνται τὰς θλίψεις, τῇ τῶν χρηστῶν ἐλπίδι νευρούμενοι.

D. Cyprianus ad Demetrianum, ſatis explicat quanta ſint bona calamitatum, quas Chriſtiani Chriſti cauſa tolerant, & quidem inuictis animis: Cæterum nullus iis dolor eſt de incurſatione malorum præſentium, quibus fiducia eſt futurorum bonorum. Denique nec conſternamur aduerſis, nec frangimur, nec dolemus, neque in vlla aut rerum clade, aut corporum valetudine muſſitamus : ſpiritu magis quàm carne viuentes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus. Ibidem apparet quanta ſit ſeges bonorum in perſecutionibus: Viget apud nos ſpei robur & firmitas fidei, & inter ipſas ſæculi labentis ruinas erecta mens eſt, & immobilis virtus, & nunquam non læta pa-

Fiducia futurorum bonorū ex tribulatione.

Mira Chriſtianorum conſtantia nata ex ſpe futurorum bonorum.

Fons bonorum afflictio.

Erecta mens ad bona futura.

tientia, & de Deo suo semper anima secura. Non potest dici quantum sit istud bonum, quod emanat ex afflictione, cum mens afflicta, de Dei possessione sit secura. Nullum potest in terris maius esse solatium, præmium maius nullum. Certè ista mens in Christi cruce viuit, & læta viuit. Benè idem S. Martyr: Exultant semper in Domino & lætantur, & gaudent in Deo suo, & mala atque aduersa mundi fortiter tolerant, dum dona & prospera futura prospectant. Nam qui exposita natiuitate terrena, spiritu recreati & renati sumus, nec iam mundo, sed Deo viuimus.

Dona futura respiciunt afflicti.

Variæ imagines Martyrum qui hanc octauam claudunt Beatitudinem.

1 Imago. In festo sanctor omnium.



ANC mihi subministrat imaginem Rabanus presbyter: His subiectum est triumphale Martyrum nomen, qui per diuersa tormentorum genera, Christi passionem non lassescentibus præ-

cordiorum mentibus imitabantur, alij ferro perempti, alij flammis exusti, alij flagris verberati, alij vectibus perforati, alij patibulo cruciati, alij pelagi periculo submersi, alij viui decoriati, alij vinculis mancipati, alij linguis priuati, alij lapidibus obruti, alij frigore afflicti, alij fame cruciati, alij verò truncatis manibus, siue cæteris cæsis membris, spectaculum Angelis & hominibus facti, contumelias in populis nudi propter nomen Dei portantes. Hi sunt triumphatores, & amici Dei, qui contemnentes sceleratorum iussa principum, modo coronantur & accipiunt palmas laborum, quia fundati erant supra petram firmam, id est, Christum. De talibus & eiusmodi Apostolus mente compunctus & ingemiscens, ait, Sancti ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, &c. Et Beatus Papa Gregorius, Ecce, inquit, electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt, æternam patriam vocibus mo-

Beatus persecutionis victus.

Ingens spectaculum.

Triumphantes Martyres.

Corona & palma sororis.

Hebr. 11.
2. Imago.

3. Imago.
Hom. 27 in Euang.
Prædicare æternam patriã vocibus & moribus Martyrum est.

ribusque prædicant, eam etiam moriendo diligunt, atque ad illam per tormenta pertingunt, occidi possunt, & flecti nequeunt. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est: in paucis vexati, in multis benè disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.

Occidi possunt, & flecti nequeunt Martyres.

4. Imago. De laudib. SS. Martyr serm.

S. Ephrem, elegans pictor, pulcherrimam spectatoribus proponit imaginem, nimirum splendidam sanctorum Martyrum pugnam: Quàm verò strenui, quantaque laude fortitudinis præditi fuere, qui subiecta oculis horrenda supplicia contra se parata, non modò nihil timuerunt, verùm maiori quoque constantia pugnantes, cuncta tolerando superarunt! Cernebant ardentem rogum, ignitas sartagines, ollasque feruentes, quæ feruore nimio guttas picis & adipis longiùs iaculabantur. Aspiciebant item ferratas, & aculeatas rotas inter ignium globos nimia celeritate versari. Intuebantur ferreos vngues, laminasque candentes, fustes, vectes, aculeos, terebra, compedes, atque catenas, omnémque prorsus artem, quam inimicus veritatis aduersus confessores Domini saluatoris inuenit. Et paulò post, Non stridens flam-

ma, non ignitæ ſartagines, non ollæ feruentes, non rotarum horrendæ vertigines, non ardentes laminæ, non vnguium dentes, non cætera id genus tormenta, non compedes, non catenarum pondus immenſum, non tyrannorum minæ, non principum fremitus, non ars tota diaboli, miniſtrorumque eius exterruit fortiſſimos milites Chriſti. Et paulò poſt, Quibus ego vos laudibus prædicem, ô perfecti milites Chriſti? aut quomodo vos appellem, inclyti atque beatiſſimi viri? quis veſtræ fidei laudes explicet? obſtupuit nempe oratorum facundia, philoſophorumque ſapientia dum cernerent mirabilia in Chriſti famulis fieri: iudicibus ac tyrannis verba defecerunt, ſanctorum Martyrum conſtantiam, & alacritatem, immenſamque Athletarum Chriſti tolerantiam aſpicientibus. Nam dum lictorum manus eorum membra torquerent, viſceráque nudarent, non mœrentes aſpexere, non triſtes, nec ſolùm inter cruciatus gemitum non edentes, verùm lætiore facie gaudia interna teſtantes. Quippe illis ea erant tormenta pro requie, & carnifices obſequi potius, quàm ſæuire videbantur.

Mira imago & aſpectu terribilis Martyres tamen non terret.

Magna vis Martyrum.

Stupor gentilium.

Qualis conſtantia?

Quanta Dei gratia?

Quale obſequium?

S. Fulgentius venuſtus pictor SS. Mar-

S. Imago.

In Euang. Ioan 16. ser. *Campi segetum.* *Campi Ecclesiæ.* *Micantes plātæ.* * *Mensa aurea.* *

tyrum tabulam subiicit intuendam: Delectat videre campos segetum aureis maturatis calamis aristarum: delectabilius libet attendere campos Ecclesiæ Martyrum, micantes plantas de vno cruore per agni sanguinem innocentem. Segetes etenim sunt passiones Martyrum, iuxta cursus aquarum; rigatæ fontibus lacrymarum. Nam sic modò beatus Dauid Martyrum purpurata germina, & ante messores gaudiorum tanquam manceps secantia messoria cithara decantabat, qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Vbi seminant in lacrymis, nisi iuxta arborem crucis, vbi est fons proximus saluatoris.

Segetes Martyrū passiones. *Purpurata Martyrum germina.*

Dilexin cordibus Martyrum. *Maledictiones non timebant Martyres.* *Placebant carceres Martyribus.* *Crudele pratorium.* *Non curant vincula.* *Non horrent alapas.*

Vnde Martyres, in quorum cordibus lex Dei est, maledictiones non timent hominum, nisi quia Christus Dominus pertulit patienter improperia Iudæorum? Vnde Martyres carcerum custodias delectabat intrare, nisi quia Dominus ductus est ad prætorium principis Caïphæ, & nocturnum crudelis Prætorij carcerem non dedignatus est intrare? Vnde Martyres de catenis & vinculis ferreis non curabant, nisi quia Christus Dominus teneri & alligari passus est à Iudæis? Inde Martyres alapas non horruerunt, quia Christus maxillas

ſuas præbuit ad alapas impiorum. Inde non nocuit Martyribus infuſa aceti, vel ſinapis acerrima violentia, quia acetum & fel, Chriſti deguſtarunt labia, non tali digna potatione à pincernis impiis, quibus rupit petram, & fluxerunt aquæ, & potauit eos ſicut in abyſſo multa. Vnde Martyres nudati ſuſtinuerunt, flagellati non fleuerunt, niſi quia Dominus nudatus eſt & flagellatus. Vnde eculeis appoſiti cum vngulis ſulcarentur, apporiati dulciſſimis decantationibus laborem faciebant cum pudore tortoribus, niſi quia crucem Chriſtus Dominus aſcendit, inimicos non accuſauit, pro ſua iniuria non defleuit, ſed inimicis veniam poſtulauit. Et ibidem, O germina, quæ non vrit flamma, quia iuxta flumen ſunt vitreum in Ieruſalem, & perpetuò vireſcunt flore immortalitatis æternæ. Neſciunt mareſcere, quia non timuerunt pro iuſtitia flammis arderi, quia agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & delebit omnem lacrymam ab oculis eorum & florebunt ſicut lilium in medio Angelorum.

Acetum non nocet, nec fel Martyribus.

Paſſio Domini in parallelo.

Flagellati non fleuerunt.

Eculei tolerati cum gaudio.

Germina.

Flos immortalitatis.

Pro iuſtitia flammis aduri.

S. Cyprianus inſtar millium donat nobis imaginem in gratiam SS. Martyrum, diuinitus expreſſam, ſed cum ſit eloquens imago, ſemper eſſet audienda, & illius

6 Imago. Epiſt. 9. ad Martyr. & Confeſſores,

verba quæ sunt prorsus aurea, ad verbm edíscenda.

Quibus ergo vos laudibus prædicem fortissimi fratres? robur pectoris vestri, & perseuerantiam fidei quo præconio vocis exornem? tolerastis vsque ad consummationem gloriæ, durissimam quæstionem, nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Laniena grauior ad hoc diu perseuerauit, non vt stantem fidem deiiceret, sed vt homines Dei ad Dominum vel ocius mitteret. Vidit admirans præsentium multitudo cœleste certamen, certamen Dei, spiritale certamen, prœlium Christi. Stetisse seruos eius voce libera, mente incorrupta, virtute diuina, telis quidem sæcularibus nudos, sed armis fidei credentes armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores: & pulsantes ac laniantes vngulas, pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sçuiens diu plaga repetita, quamuis compage rupta viscerum, torquerentur in seruis Dei iam non membra, sed * vulnera. Fluebat sanguis, qui incendium persecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ

Est tolerantia vsque ad consummationem gloriæ.

Finem dolorũ dant coronæ.

Res gloriosa.

Certamen Dei. Prælium Christi.

Torti torquentibus fortiores.

Sanguine Martyrum persecutionis ignis extinguit.

* *Admiranda cogitatio.*

* *Rella anima.*

glorioſo cruore ſopiret. O quale illud fuit ſpectaculum Domino, quàm ſublime, quàm magnum, quàm Dei oculis, ſacramento ac deuotione militis eius acceptum, ſicut ſcriptum eſt in Pſalmis, Spiritu ſancto loquente ad nos pariter & monente: Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors iuſtorum eius! pretioſa mors hęc eſt, quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis, quæ accepit coronam de conſummatione virtutis. Quàm lætus illic Chriſtus fuit, quàm libens in talibus ſeruis ſuis & pugnauit, & vicit protector fidei, dans credentibus tantum, quantum ſe credit capere, qui ſumit: certamini ſuo adfuit, prę-liatores atque aſſertores ſui nominis erexit, corroborauit, animauit. Et qui pro nobis mortem ſemel vicit, ſemper vincit in nobis.

Magnum & ſublime ſpectaculum.

Pſal. 115.

Mors pretioſa. Immortalitatis empt.o.

Lætus Chriſtus.

Chriſtus certaminibus adeſt Martyrũ.

Quàm benè concludit! Certent nunc ſinguli ad vtriuſque honoris ampliſſimam dignitatem, vt accipiant coronas, vel de opere candidas, vel de paſſione purpureas. In cœleſtibus caſtris & pax, & acies habent flores ſuos, quibus miles Chriſti ob gloriam coronetur.

Coronæ candidæ & purpureæ.

Miles Chriſti coronatur.

D. Laurentius Iuſtinianus ſuas quoque Martyrum effigies in oculis omnium ex-

7. Imago.

Lib. 2. de spirit. animæ resurrect.

ponit. Sanè æquitatis censura hoc exigit, vt qui totum Deo tribuit, Deum totum habeat. Hinc est quod sancti Martyres, qui se realiter diuino mancipauere seruitio, spirituali inebriati dulcedine, tanta valuerunt perferre supplicia, futurorum siquidem bonorum primitias prælibantes. O quàm læto animo vniuersorum percurrebant genera tormentorum, perlustrabant solitudines & horrida nemorum antra, solis syluestribus feris habitabilia, ibique degentes, ieiuniis, orationibus, vigiliis, aliisque cruciatibus carnem redigebant in seruitutem spiritus. Verùm cum pro confessione Catholicæ veritatis certaminis hora incumberet, nulla eius pœna videbatur grauis præ amoris magnitudine, & consideratione cœlestium, tradebant carnificibus corporis membra, & mente copulabantur Deo, imprędabilem intus possidebant thesaurum, Christum Dominum reconditum habebant in pectore, propter quòd insensibiles esse conspiciebantur exteriùs.

Primitiarum libatio.

Nulla pœna grauis Martyribus.

Thesaurus imprædabilis. Christus in pectorib. Martyrum ingens thesaurus.

8. Imago.

Ad Iulian. or. 9.

SS. Martyres nodi Ecclesiæ.

S Gregorius Nazianzenus paruam, sed artificiosam, SS. Martyrum repræsentat tabulam, vbi eorum tormenta apparent: Non animaduertemus, cum omnes sanctos Martyres, qui velut communes quidam

dam nodi vniuersum terrarum orbem complexi sunt. ὑπὲρ τίνος τραύματα καὶ δεσμὰ, καὶ στρεβλώσεις, καὶ πυρὸς ἀπειλὴν, καὶ ξιφῶν ἀκμὴν, καὶ θηρῶν ἀγριότητα, καὶ σκότος, καὶ λιμὸν, καὶ βάραθρα, καὶ χρημάτων ἁρπαγὰς, καὶ μελῶν ἀποβολὰς, καὶ θανάτους τὸ τελευταῖον, καὶ πάντα προθύμως ὑπέστησαν, ὥσπερ ἐν ἀλλοτρίοις ἀγωνιζόμενοι σώμασιν, &c. Quam ob causam vulnera, vincula, cruciatus, ignis minas, gladiorum aciem, belluarum furorem, tenebras, famem, voragines, pecuniarum direptiones, membrorum abiectiones, mortem denique atque extrema omnia prompto & alacri animo, tanquam in alienis corporibus dimicantes, sustinuerunt: vt quid essent, vt quid consequerentur? omnibus vtique in prospectu est, vel nobis tacentibus. Benè ibid. additur; Laboris enim præsens hoc tempus est, futurum præmiorum: ἐργασίας γὰρ ὁ παρὼν, ὁ δὲ μέλλων ἀνταποδόσεως. Ita hîc laboratur, illic quiescitur.

κοινὰ σύνδεσμοι.

Breuis descriptio suppliciorum Martyrũ.

Horrenda facies suppliciorum.

Ita patiebantur Martyres ac si in alienis corporibus paterentur.

S. Gregorius Nyssenus suam quoque exponit Martyrum speciem: οὕτω δέχεται τὸν σταυρὸν ὁ Παῦλος, τὸ ξίφος ὁ Ἰάκωβος, τοὺς λίθους Στέφανος, τὸν ἐπὶ κεφαλὴν ἀνασκολοπισμὸν μακάριος Πέτρος,

9. Imago. De beatitudinib. orat. 8.

D.P. &c. Ita crucem Paulus excipit, gladium Iacobus, lapides Stephanus, capite deorsum verso crucifixionem beatus Petrus: omnes qui hos sequuti sunt fidei athletæ, τὰς πολυτρόποις τῶν κολαστηρίων ἰδέας, varias suppliciorum formas, bestias, barathra, rogos & flammas, frigoris concretiones, laterum & costarum dilacerationes, confixa clauis vndique capita, oculorum effossiones, digitorum abscissiones, corporis per crura in vtramque partem disruptiones, per famem corruptiones, hæc atque eiusmodi omnia, tanquam peccati expiationes, sancti illi cum lætitia admittebant, ne quod vestigium cordi per voluptatem impressum reliquum esset, acerbo & peracri hoc sensu omnia per voluptatem animæ impressa vestigia penitus delente.

Crucem vocat, capitis mulctam.

Principes Ecclesiæ Martyres.

τῆς πίστεως ἀγωνισταί.

Varia tormenta.

τηκεδόνας.

ὡς καθάρσια τῆς ἁμαρτίας.

Cum lætitia cruciatus excipiebant Martyres.

S. Ioannes Chrysostomus egregius & insignis pictor Martyrij, peruenustam suppeditat imaginem: ζωγραφῶμεν τοίνυν ἐν τῇ ψυχῇ τοὺς μὲν ἐπὶ τηγάνων κειμένους, τοὺς δὲ ὑπὸ ἀνθράκων τεταμένους, &c. Depingamus ergò in anima nostra hos iacentes in sartagine, illos autem super carbones extensos, hos in lebetes deiectos, illos in mare demersos, alios vngu-

10. Imago. Hom. 74. de SS. Martyribus.

εἰς λέβητας κυβιστοῦντας.

καταποντιζόμενοι Martyres.

lis laceratos, alios in rota diſtortos, alios in præcipitium actos, atque hos quidem cum beſtiis depugnantes, illos verò in barathrum deuolutos, vt cuique contigit mortem obeuntes. Ibidem cum athletis Martyres comparat: Si enim peregrinis athletis in vrbem aduentantibus populus omnis confluit vndique, eoſque circumuallantes aptam membrorum diſpoſitionem in illis contemplantur: Multo magis religionis athletæ in cœlos cum aſcenderint, concurrunt Angeli, omneſque vndique confluunt ſupernæ virtutes, eorum conſiderant vulnera, & tanquam victores quoſdam, ac multarum palmarum bellatores è bello ac præliis reuertentes, multis trophæis ac victoriis partis cum voluptate excipiunt eos omnes & amplexantur, ac deinde multo ſatellitio circumſeptos ad Regem cœlorum, ad illum thronum multa gloria redundantem, vbi Cherubim & Seraphim aſtant, deducunt.

Martyres cum athletis comparantur. κυκλώσαντες αὐτὸν. καταμανθάνουσι τῶν μελῶν τὴν εὐταξίαν. *Religionis athletæ.* εὐσεβείας. *Victores.* ἀριστεῖς. *Multarum palmarum bellatores* *Rex cælorum.* οὐρανῶν βασιλεύς. θρόνος [illegible] γέμων.

Quàm verè dicit idem nobilis & ſacer Chriſti orator, nihil eſſe felicius, nihil glorioſius, nihil diuinius eo homine, qui Chriſti cauſa grauia patitur. οὐ γάρ ἐστιν, οὐκ ἔστι ψυχῆς εὐθυμότερον καταξιουμένης ὑπὲρ χριστοῦ παθεῖν τι τῶν δεινῶν καὶ ἀφο-

Nihil Martyre felicius, gloriosius nihil.

ῥητὸν εἶναι δοκούντων ἡμῖν. Non eſt, inquam, anima quicquam hilarius, quæ digna eſt habita pro Chriſto pati quidpiam eorum, quæ nobis grauia & minùs tolerabilia videntur ·*· Atquè hæc, de multis Martyrum tabulis, ſint inſignia.

θλίμματα ϗ σκύματα Martyrum.

Dona Spiritus ſancti beatitudinibus reſpondent.

Timor, paupertati ſpiritus reſpondet.



VI humiliter de ſe ſentiunt, continuò Deum opt. Max. reformidant. Talis eſt natura germanæ demiſſionis, vt diuinum metum pariat. Vbi flos humilitatis naſcitur, ibi quoque timoris fructus reperitur. Sed quod plus eſt, eadem videtur eſſe natura paupertatis ſpiritus & timoris, nam idcircò homo ſe Deo ſubiicit, quia illum pertimeſcit, & quia timet, ſe demittit. Duæ ſunt lances, quando vna deprimitur, altera quoque ſequitur: quando verò erigitur, eam comitatur & alia. Contra ra-

Vbi flos humilitatis, ibi fructus timoris.

Humilitas & Dei metus.

Duæ lances cæleſtis Stateræ.

tionem humanæ libræ, quorum disci nunquam conueniunt, nisi quando sunt vacui. Hæc etiam statera humilitatis & timoris, alterius est ordinis, & quidem superioris. Oritur humilitas ex eodem sinu, ex quo metus Dei, ex sinu cognitionis, tam quæ spectat hominem, quàm quæ Deum. Cognitio humanæ naturæ generat humilitatem: cognitio diuinæ, metum. Quomodo nõ generaret hominis paupertas & abiectio, veros humilitatis fructus? Deique maiestas & sublimis dignitas, timorem in humili mente non crearet? decet humilem timor, & timidum humilitas. Vtraque pars est primæ beatitudinis, nec vna secernitur ab altera. Hoc volebat ostendere S. Apostolus, cum dixit, Noli altum sapere, sed time. Pauper spiritu non alta sapit, sed timet: amat humilia, nec se effert, sed Deum ne lædat, summè cauet. Benè D. Augustinus, Timor Dei congruit humilibus. Verè ita est, qui sine fuco humilitatem amplectuntur, illi sunt qui Deum timent, sed illo metu perculsi, qui est filiorum Dei. Quia cum cæteris mortalibus maiorem sui, supremique numinis cognitionem habeant, maiori quoque reuerentia feruntur in Deum, quæ singula,

Ortus humilitatis & Dei metus.

Ex duplici cognitione duplex fructus.

Beatitud. 1. partes.

μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ. Rom. 11.

Ex lib. 1 de serm. Domini in monte.

Timor filiorum Dei in in corde humili.

rem & dignum ingenuo filio metum procreat. Alius quoque interdum humiles animas metus percellit, de quo S. Augustinus, Dum se diuinæ authoritati subdit anima, timens post hanc vitam ne pergat ad pœnas, etiamsi forte in hac vita beata sibi esse videatur. * Hic metus gehennæ etiam aliquando subit sanctas animas, humilitati prorsus addictas, easque grauiter diuexat. Petrus Damianus, paupertatem spiritus generat timor Dei, qui pungit animam, & sanguinem elicit, & cogit nos quærere medicinam. A timore tuo, Domine, concepimus, & parturiuimus, spiritum salutis fecimus super terram, hoc est, spiritum paupertatis. dicit Esaias Propheta, immo per Esaiam Dominus. * In spiritu salutis tenemus spiritum paupertatis & spiritum timoris. Idem spiritus fœcundus est, & nusquam datur sterilis, in salute duos geminos parit, humilem spiritum & diuina supremi iudicis metuentem iudicia.

Metus gehennæ.

Iudicia Domini abyssus multa.


In festo sanct. omnium.

Timor gignit paupertatem spiritus.

Timor Dei est acuteus.

Spiritus salutis, spiritus paupertatis. Isaiæ 26.

Mansuetudo pietati respondet.



VAM benè conueniunt mansuetudo & pietas. Duę sunt sorores eodem lacte nutritæ, & in vberiorem statum felicis vitæ prouectæ, idem spirant, idem cogitant, idem agunt, idem suscipiunt, idem absoluunt. Quod placet mansuetudini, placet pietati: nec aliud est pietatis pondus, quàm mansuetudinis; quo fertur vna, fertur & alia: quales sunt pietatis sensus, tales & lenitatis: vtriusque virtutis eadem est radix, eadémque propēsio.* Spiritus nescit acerbus esse, vbi melle pietatis est condi us. Insita naturæ clementia, vergit semper versus pietatis Cynosuram: & pietatis sidus suopte nutu afflat benignius clementiam. Quantum bonum in eodem animo, pia mansuetudo, & mansueta pietas? Nihil habet natura dulcius, nec gratia amabilius. Dulcis est mansuetudo, & amabilis pietas: gaudet natura, recreatur gratia: lenitas consulit pietatem, pietas lenitatem: vtraque sua communicat, quo fiant potio-

Eadem vbera lenitatem & pietatē alant. Mansuetudo & pietas duæ sunt sorores.

Quod placet vni, placet & alteri.

Iidem lenitatis & pietatis sensus

** γνώμη. Eadem propensio.*

Cynosura pietatis.

Natura & gratia delitia.

ra: quærit Deum mansuetudo, pietas colit: quod prima inuenit, fit & secundæ: quod secunda veneratur, fit & primæ: si vna fundit & alia: si colligit, & alia quoque: nobile par virtutum, & vna virescit, & vna floret eodem tempore & baccas profert, & largitur. Tanta est vtriusque affinitas, vt vna nequeat viuere sine alia. Si vna amet otium, amat & alia secessum: si tumultus fugiat, fugit & socia: si querelas euitet, euitat & alia: si furoris ignes extinguat, iram sedat & socia. Est mansuetudinis omnes lenire motus, est pietatis, componere: est lenitatis consulere naturæ, est pietatis, fauere gratiæ: est vtriusque amabilem animam Deo reddere. D. Augustinus rectè coniungit pietatem cum mansuetudine, ait: Pietas congruit mitibus: qui enim piè quærit, honorat sanctam scripturam, & nondum reprehendit, quod nondum intelligit, & propterea non resistit, quod est, mitem esse. Certum est mites animas, vbique suæ mansuetudinis dare specimen, neque tantum in vna re, sed in omnibus negotiis & commerciis, non vulgarem præ se ferre affabilitatem.

Miranda coniunctio mansuetudinis & pietatis.

Mansuetudinis præclarum munus.

Officium lenitatis & pietatis.

Pietas conuenit mitibus.

De serm. Domini in monte.

In festa sanct. omnium.

B. Petrus Damianus has quoque duas

virtutes simul connectit: Pietas autem mites facit, dum nos dulciori spiritu superfusos, ad mansuetudinis thalamum introducit. Qui enim efferati sunt superbia, sublimes in oculis suis, ardentes inuidia, inuicem mordentes, & inuicem consumpti, quomodo mitigatoria possunt indui pietate?*· Felix & amabilis pietas, quæ est instar cœlestis & stellatæ trabeæ, qua vir mansuetus induitur. Egregium & dignum æternitate ornamentum habendum est.

Pietas mites facit.

Mitigatoria pietas.

Stellata trabea est pietas. Eximium ornamentum.

Luctus scientiæ respondet.



VCTVS oritur è tantarum calamitatum, quibus hominis vita sepitur & cingitur, scientia. Cum homo sciat, vitam humanam esse quamplurium miseriarum scopum, & perennem malorum fontem, habet quod lugeat. * Cognitio mali est causa suspirij: nota doloris causa, pungit animum, & lacrymas premit: quo maior est calamitatis agnitio, eo quoque vis doloris est acrior. Quis exul, si suum agnoscat exilium, lacrymis non prosequatur? quis in

Luctus ex scientia humanæ miseriæ.

Vita humana scatet miserijs.

*γνῶμη.

Cognitio mali causa suspirij. Itaque hoc tertio gradu, in quo scientia est, lugetur amissio summi boni, quia inhæretur extremis. D. Aug.

carcerem detrusus, catenis vinctus ferreis miserum suæ conditionis statum, si sentiat, non deploret? quis natus liber, miserrimam seruitutem seruiens, non lugeat? Hæc scientia est hominis exulis, cum dicat Propheta, Multum incola fuit anima mea. Hæc scientia est hominis in carcerem corporis detrusi; cum idem canat, Educ de custodia animã meam. Hæc scientia est hominis captiui, cum clamet Apostolus, Infelix egô homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hæc scientia est intelligentis hominis, qui tam multa peccatorum vincula cognoscit, tam multos carnis laqueos, tam multa voluptatis retia, tam multos honoris & gloriolæ nodos, tam multos opum & cupiditatum nexus, tam multas pessimorum morum, & deterrimarum consuetudinum catenas. Inter tot & tantas vitiorum insidias, quis suam sortem non defleat? appositè S. Augustinus, Inde iam incipit scire, quibus nodis sæculi huius per carnalem consuetudinem ac peccatà teneatur. * ibid. Inde venit (nimirum pauper spiritu & mitis) ad diuinarum scripturarum cognitionem, vbi oportet eum se mitem præbere pietate, ne id quod imperitis vi-

Psal. 119.
Exulis lacryma.
In carcere detentiluctus.
Miserrima seruitus.
Captiui squalor.
Incola anima.
Corpus carcer.
Seruitus carnis.
Peccatorum vincula.
Vitiorum insidiæ.
Descr. Dominiin monte.
Nodi sæculi.
Cognitio diuinæ scripturæ.

detur absurdum, vituperare audeat, & peruicacibus concertationibus efficiatur indocilis ·*· Hauritur ex sacris paginis salubris & vtilis scientia, qua lugentes intelligunt, quàm iustæ sunt, quas fundunt, lacrymæ. Sancta est ista cognitio, quæ sanctos parit fœtus. Bellè B. Damianus, Porrò scientia luctum parit. Scimus enim quia singularis scientia est, recogitare annos nostros in amaritudine animæ nostræ, & multiplicibus lacrymarum riuulis propria deflere delicta ·*· Bona scientia, quæ non inflat, sed humiliat, quæ non est sterilis, sed vberrima, quæ more fœcundæ nubis fundit aquas lacrymarum, & irrigat, quæ siccitati animæ occurrit, quæ maculas delet, quæ nimios ardores sedat. Bona scientia, quæ luctus est parens, & mater lacrymarum, quæ speculum obiicit menti, in quo videt tempus & æternitatem, quæ suadet animæ vt paucis cordis lacrymis emat immortalitatem.

Salutaris scientia.

In festo sanct. omnium.

Luctum parit scientia.

Bona scientia, Bonus luctus.

Mater lacrymarum.

Nobile speculum.

Fami sitique iustitiæ fortitudo respondet.

Fames terrena.

Fames cælestis.



VM fames & sitis hominis, à rebus terrenis & corporeis auocanda sit, & in amorem rerum cœlestium, & quæ nihil habent commercij cum ipsis corporibus, transferenda sit: est admodum necessaria fortitudo, qua perarduæ difficultates faciliùs superantur. Neque etiam solet fortitudo à fame sitique iustitiæ recedere: videtur esse satelles ardoris æquitatis, adeò illam studiosè cingit, eiusque latus obsidet. Iuuat assiduè laborantem animum, dum nititur totis viribus expedire se à terræ delitiis, vt ad cœlitum delitias celeriùs feratur. Sine tali comite, ardens nequit esse iustitiæ sitis, & cum illa mirum in modum appetitur æquitas. Bona est vtriusque societas, nec vna feliciter stabit sine altera virtutis dignitas. Audio oraculum Africæ: In quarto autem gradu labor est, vbi vehementer incumbitur, vt sese

Necessitas fortitudinis.

Fortitudo satelles iustitiæ.

Iuuat animum laborantem fortitudo.

Labor in 4. beatitudine. In c. 5. Matth. Cum vidisset autem Iesus turbas.

animus auellat ab eis, quibus pestifera dulcedine innexus est. Hîc ergo esuritur & sititur iustitia, & multum necessaria est fortitudo, quia * non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur. *. Latet neminem tantillum in rebus piis versatum, multùm illum laborare, qui decreuit se omnibus honorum, quibus antea fruebatur, titulis & ornamentis priuare: qui vniuersis bonorum fortunis abdicare se statuit: qui naturę lenociniis, & voluptatis illecebris nuntium remittere deliberauit: & qui inexplebilem illam sitim glorię, in sitim abiectionis commutauit: sitim diuitiarum, in sitim inopiæ: sitim voluptatum, in sitim mortificationum. Opus est summa animi fortitudine, ad hęc munia fortiter, & generosè, obeunda. Nonne est magna vis naturę adhibenda, vt, postquam aliquis summopere sitierit suas omnes explere cupiditates, imposterum sitiat, & quidem ardentius, quidlibet illis contrarium: & quantum illis antea concessit, tantum postea adimat. Non potest fieri hęc famis & sitis mutatio, quin fortitudo maximè intercedat. Aliud est, sitire iniquitatem, aliud, æquitatem: nec transitus fit ab opposito ad oppositum sine magno

Necessaria fortitudo.

* γνώμη

Ingens labor.

Sitis gloriæ in sitim demissionis commutatio.

Sitis voluptatis in sitim amaritudinis.

Sitis opum in sitim paupertatis.

Sitis contraria.

Vires fortitudinis implorantur à sitis iustitia.
Loc. sup. cit. Fortitudo congruit esurientibus iustitiæ.

cõflictu. A siti vitij ad sitim virtutis transire, non est parua difficultas: vires fortitudinis implorantur, quæ diuino nititur cœlestis brachij adiumento. Verè idem Oraculum Africæ dixit: Fortitudo congruit esurientibus & sitientibus. Laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, & amorem à terrenis & corporalibus auertere cupientes, de quibus hîc dicitur, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam ·*· Quod si fames, sitisque iustitiæ tantæ sint, vt non solum iusti omnia propter Christum incommoda subire velint, sed etiam pro iustitiæ libertate grauissima quæque perpeti, imò vitam ipsam profundere, tunc eximia fortitudo potissimùm requiritur.

In defensione iustitiæ fortitudo requiritur.

Sitis iustitia proles fortitudinis.
Fames iustitiæ filia fortitudinis.
Loc. sup. cit. in festo sanctor.
Pro libertate iustitiæ mori, magnum quid.
Terror, & blanditiæ hostes iustitiæ.

Nec certè tanta fames, sitisque iustitiæ, alterius virtutis proles habetur, quàm fortitudinis. Quare benè B. Petrus Damianus ait: De fortitudine verò nascitur fames, & sitis iustitiæ, cum virium sit non paucarum, pro libertate iustitiæ mori, nedum loqui, & vbi Deus in causa est, nec allici blanditiis, nec terrore moueri ·*· Duos hostes iustitiæ acutè notat, terrorem, & blanditias: nam homines illam impugnare solent, vel

fucatis quibusdam blanditiis, vel incusso metu: contra quos opponitur fortitudinis clypeus, quo tam ictus terroris, quàm blanditiarum iactus, & refutantur, & eluduntur. Nec iustitia caret armis, quæ sunt insignia virtutis: præter ensem & libram, vtitur armatura fortitudinis, non vt noceat, sed vt se tueatur. Nec vnquam inflixit vulnera, quæ non fuerint medicamenta: tam benigna est illius manus, vt sciat tantum prodesse, non obesse: tam felix illius est iactus, vt semper in amore feriat, si feriat: nec fortitudo comes aliquid aliud efficit, quàm quod summè placet iustitiæ.

Fortitudinis clypeus.

Iustitia vtitur armis fortitudinis.

Benigna manus iustitiæ.

Benignus iactus.

Misericordiæ consilium respondet.



MNIVM longè optimum est consilium, omnibus consulere. At nihil est, quod ita benignè moueat ad vnicuique consulendum, quàm ipsa misericordia. Longè verò melius istud munus exequitur commiserandi vis, si sit adiunctum illi sapiens consilium. Videt mundi

Consilium optimum omnibus consulere.

Sanum consilium cum misericordia.

Bellè consilium cum misericordia. calamitates acutiùs, miserias corporum clariùs, angustias animorum perspicaciùs, quibus benignam manum admouere possit. Illa luce destituta, licet sua natura propendeat ad subleuandam proximi miseriam, non ita aptè, neque decorè, rem peragit. *Pulchra coniunctio misericordiæ & consilij.* Pulchra est ista compositio misericordiæ & consilij, consilium regit, regitur misericordia: misericordia animat, animatur consilium: consilium loquitur, audit misericordia: misericordia spargit, consilio duce: consilium largitur opes misericordiæ: est instar oculi, consilium: *Instar oculi consilium: instar manus misericordia.* instar manus, misericordia: ex oculo fulgor: ex manu vbertas: fulgor est in vbertate, vbertas in fulgore, vtrumque bonum est: tam ratione lucis, quàm ratione largitionis. Magnum semen *Magnum semen in consilio, magnus prouentus in misericordia. γνῶμαι.* in consilio, si misericordiam parit: magnus prouentus in misericordia, si seratur miseratio. Tale semen fœnus gignit, talis prouentus est perennis. Dulcis fructus, vbi prudens est satus: suauis miseratio sagacis mentis.

In festo sanct. omnium. Consilium parens misericordia. Non malè B. Episcopus Ostiensis, cum asserat consilium parere misericordiam: Consilium autem misericordiam parit; cum summa totius consilij sit consulere omnibus,

omnibus, & infirmitates tam animarum, quàm corporum benigna manu misericordiæ subleuaré.

Consilij est, quiduis benè consulere: at dum consulit misericordiæ opera, tam quæ sunt corporis, quàm animi, benè consulit, & parit, quod est miseris vtilissimum. Siue morbos corporis, siue mentis consideremus, bonus est & vtilis iste fœtus misericordiæ: qui maximè proprius est & consulti hominis & misericordis. Ille est, qui sapienter videt, se egere diuini numinis miserationibus, & idcircò, vt eas in se prouocet & deriuet, prudenter & piè, in proximum laborantem, vel inopia corporis, vel inopia animæ, misericordiam exercet. Benè S. Hipponensis antistes: Est autem iustum consilium, vt qui se à potentiori adiuuari vult, adiuuet & infirmiorem, in quo est ipse potentior. Et ibid. Consilium congruit misericordibus: hoc enim vnum remedium est de tantis malis euadendi, vt dimittamus, sicut nobis dimitti volumus, & adiuuemus, in quo possumus alios, sicut & nos in quo non possumus, cupimus adiuuari *. Bonùm consilium, quod diuinum est, non humanum, quod ab ipsomet Christo, qui est magni consilij An-

Fœtus misericordiæ vtilis.

Proprius paratus misericordis.

Prouocatio diuinæ misericordiæ.

De beatitudinib. l. 1. de S. D. in m.

Consilium cōgruit misericordibus.

Grande & salubre remedium.

Bonum consilium.

gelus, & idem summè misericors, hominibus datum, quo si vtantur, sequetur felicitas.

Puritati cordis intellectus respondet.



VRVM cor obsidet pura flamma, purum oculum pura lux: ex corde oculus, ex flamma lux, oritur videndo, & lucendo, in oculo lux, & in luce oculus. Cor dat flammas, oculus lucem, & in vtroque est intellectus. Vehiculum flammæ, cor fluit: rheda lucis, oculus voluitur: vtriusque rector est intellectus. Cor vigil pharetra, oculus quoque, sagitta intellectio. Puritas cordis appellat intellectum, intellectus præmittit puritatem, Quo maior est cordis integritas, eo acrior intelligendi vis Vnius natura alterius est amica, & ita amica, vt vnius dignitas sit alterius causa dignitatis. Si gloria cordis est candor puritatis, gloria intelligentis virtutis, est fulgor intellectionis. Cum

Cordis puritas hæret intelligentis parti. Auriga cordis intellectus.

Quo maior integritas, eo vis acrior intellectus

Gloria cordis, candor puritatis

Gloria intellectus hominis intellectio.

creſcat integritas, creſcit & intelligentia. Nemo clarius videt puro corde, quia perſpicaces mentis oculos poſſidet, quibus res ſublimes patent. Nemo longius cernit, quia quæ ſunt ſupra lunam, haud obſcurè intuetur. Nemo diuiniora ſpectat, quia oculo fidei, ea videt, quæ non incurrunt in ſenſus, neque phantaſmatis ſubiiciuntur. Nemo pulchriora intuetur, quia mirandas gratiæ ſpecies, virtutúmque elegantes tabulas ad voluptatem ſuſpicit, & ad ſtuporem admiratur. Quàm ſit amabile cor purum, & intelligens, ex hoc intelligitur, quòd Angeli ferat inſignia, quæ duo ſunt potiſſima, eximia puritas mentis, & acerrima virtus intelligẽdi. Quid amabilius adoleſcente caſto & ingenioſo? quid ſuauius congreſſu viri integerrimi & intelligentis? quid admirabilius terreſtri Angelo? qui natura eſt homo, & gratia Angelus. Nihil eſt in hac vita dulcius? Nihil gratioſius? quàm cordis puritati vacare, cui debetur intellectionis munus. Quantopere aberrant mortales, qui nihil minus ſentiunt; qui totos ſe addicunt turpitudini, ex qua ſequitur immenſa cæcitas animi, extremáque calamitas? Contrà, quàm pru-

Perſpicaces cordis puri oculi.

Oculo fidei mira videt cor purum.

Cor Angelicum.

Angeli inſignia.

Nihil dulcius puro corde, latius nihil.

Aberrant illi.

Vnde calamitas.

Isti prudenter agunt. denter ii agunt & conſultè, qui toti incumbunt in cordis integritatem & ſanctimonium, ex qua fluit mentis perſpicacitas, ſummumque bonum. Rectè lumen Hipponenſe: Intellectus congruit mundis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni poſſit, quod corporeus oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Et lumen Oſtienſe: Munditia cordis ab intellectus puritate deſcendit, qui cordis receptacula purgat, & latebroſos eius affectus acutiſſima circumſpectionis falce ſuccidit ·*·. Inter cordis & intellectus puritatem tanta eſt agnatio, vt aliàs puritas cordis intellectus puritatem generet, aliàs intellectus, cordis integritatem.

Vnde ſummũ bonum. De ſer Domi-ni in monte. Intellectus cõgruit mundis corde. Mundum cor, purus oculus. In feſto ſanct. omnium. Cordis munditia.

Pacis ſtudio patientia reſpondet.

Pax fructus ſapientiæ. Parua hominis politia. Vbi nullus ordo, nulla ſapientia: Vbi nulla ſapientia, nulla pax.



IR ſapiens probè intelligit, pacem eſſe fructum ſapientiæ. Nam quandiu nullus eſt ordo in parua hominis republica, ita vt cupiditatum motus rationi non ſubiaceant, nullum eſt ibi ſapientiæ imperium, nulla dominatio: nec vllus ſequitur pacis fructus, vbi non floret ſapientia. Quod ſi

concinnus ordo admittatur, qui sapientis animi est internuntius, illicò omnem hominis statum disponet, & quamcunque partem in bona luce collocabit, inducet rationem perturbationes coërcentem, seditionésque mitigantem; efficiet, vt corpus animo pareat, animus Deo. Quo statuto, magistra morum sapientia mirificè concinnat hominis naturam, illius vitam excolit, mores perpolit, pacis fructus abundè communicat. Hinc nascitur, sub auspiciis sapientiæ, summa mentis tranquillitas, gratissima quies, suauissimum otium. Certum est, esse sapientiæ, pulcherrimum in rebus constituere ordinem. Certum quoque est, animam tranquillam, esse sedem sapientiæ. Benè igitur coalescit sedes pacis, cum sede sapientiæ, & anima tranquilla cum ordine sapientiæ. Nullum est inter omnia naturæ, gratiæque spectacula, quod ita hominem demulceat & deliniat, ac pacis & sapientiæ spectaculum. In eo duo videntur, quæ sensim & occulta quadam virtute homines ad se attrahunt. Ex vna parte aureus pacis vultus, ex altera diuinæ forma sapientiæ. Duo sunt bona, quibus mortalis quisque, si non desciscat ab origine, summopere afficitur. Reuera mi-

Ordo bonus, flos sapientiæ.

Magna vis ordinis.

Magistra morum sapientia.

Ex sapientia quies & pax.

Est sapientiæ pulcher ordo qui est in rebus.

Anima quieta sedes sapientiæ.

Pulchrum spectaculum pacis & sapientiæ.

Pacis vultus & forma sapientiæ sunt potentes.

ror diuinum S. Augustini ingenium, qui pacem cum sapientia tam feliciter, tamque ingeniose coniunxit, qua coniunctione nihil potest dici melius, nec excogitari suauius. Ita ille: Sapientia congruit pacificis, in quibus iam ordinata sunt omnia, nullusque motus aduersus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum & ipse obtemperet Deo. Et paulò antè, Postremò est septima ipsa sapientia, id est, contemplatio veritatis, pacificans tótum hominem, & suscipiens similitudinem Dei ·*· Est hominis pacis amantissimi, est sapientis, rerum veritates indagare, contemplari. Quod munus, non est ex minimis, imò est ex maximis, cum veritatis cognitio sit pastus animorum. Audio B. Damianum: Porrò pacificus ab ipsius sapientię nascitur summitate, conformis illi sapientię, quæ pretio sanguinis sui & terram pacificauit & cœlum. Ita est, omnis pax à Deo est, & omnis sapientia, & qui duos illos characteres in suo corde exprimit, tam pacis, quàm sapientiæ, Christum studiosè imitatur.

Ex lib. 1. de ser. Domini in monte.

Sapientia congruit pacificis.

Contemplatio veritatis.

Est pacis studiosi & sapientis veritatem contẽplari

Veritatis cognitio.

In festo sanct. omnium.

Corona Beatitudinum.



NVLLI dono ſancti Spiritus reſpondet iuſtorum perſecutio, ſed eodẽ modo, quo ſeptem antecedentes beatitudines coronat, eodem quoque dona, ſeptem numero, ſancti Spiritus coronát. Benè D. Auguſtinus de hac octaua beatitudine: Octaua tanquam ad caput redit, quia conſummatum, perfectumque oſtendit, & probat ·*· Corona ſymbolum eſt perfectionis, qua ſuis omnibus numeris abſolutum opus clauditur; & coronatur. Quid verò beatitudinibus perfectius? quid donis ſancti Spiritus cumulatius? idcircò beatitudines, quia nihil iis deeſt: idcircò dona, quia gratuita: idcircò optima, quia à Deo: ſi optimâ, & perfectiſſima. Tanta perfectio, beatitudinum, & donorum ſibi inuicem reſpondentium, ſuo iure coronam ſibi vindicat. Iſthæc corona duas habet facies, vna eſt quæ ſubiacet oculis, alia non videtur niſi luminibus fidei: quæ videtur, ſpinoſa eſt & aculeis implicita: quæ fugit obtutus humanos, tota eſt contexta

Gemina corona.

Corona 7. beatitudinum ſuperiorum: & corona 7. donorum ſancti Spiritus.

De ſer. Domini in monte.

Corona ſymbolum perfectionis.

Beatitudines perfecta.

Dona optima ideo perfecta.

A Deo dona & beatitudo.

Corona dua facies.

Corona è ſpinis.

Corona è floribus. è floribus & gemmis: prima facies amica est secundæ, & secunda primæ: qui coronatur prima, non illi deest secunda: qui caret prima, caret & secunda: prima vocatur persecutio, secunda, regnum cœlorum: vtraque facies beatitudines illustrat, quia coronat. Nulla est beatitudo, quæ si consideretur in semine, spinis careat: beata est paupertatis corona, at paupertas aspera, at humilitas ardua: beata est mansuetudinis palma, at difficile sine asperitate mentis, & sine liuore viuere: beata est lacrymarum merces, at quàm amaræ, at quàm acerbæ sunt lacrymæ! beata est famis & sitis iustitiæ compensatio, at quàm vrgens famis vis, quàm acris sitis! beata est miserationis bacca, at quàm interdum acerba radix! beatus puri cordis fructus, at quantis curis & vigiliis flos conseruandus! beatum est pacis præmium, at quàm multa bella sunt conficienda! beata est persecutionis laurea, at sæpius moriendum, sæpiusque occumbendum. Primus vultus beatitudinum est horrendus, secundus valdè amabilis: primus tamen ne terreat, si secundus appetatur, cum primus ad secundum feratur. Beatus & fortunatus ille, qui beatitudinum coronas assequi conatur, non

Corona persecutionis: Corona regni cœlestis.

Nulla beatitudo sine spinis.

Labores antecedunt beatitudines.

In beatitudinibus semen acre, fructus dulcis.

Duo vultus diuersi licet amici.

tantum eas, quæ ſperantur, ſed etiam eas, quæ mortalibus in hoc vitæ ſtadio proponuntur: cum hæ licet ſpinoſæ, ſint germana futurarum pignora. neque vllus poſſit frui futuris quin antea iſtis coronatus fuerit. Prius flores coronæ Chriſti ſpineæ ſunt legendi, quàm ſtellatæ cœleſtis horti roſæ ſperandæ. Benè vltima ponitur perſecutionis corona, quia prima eſt cœli merces.

Corona afflictionũ, pignora beatitudinum.

Flores ſpineæ coronæ. Roſæ cæli.

Huius ſacræ Chriſti Academiæ concluſio.



IMMORTALITER gaudeo (Chriſtiani Quirites) quod Sacram Chriſti Academiam vobis aperuerim: non mea quidem induſtria, ſed claui cœleſtis magiſtri aurea. Licet vnicuique veſtrum ſuperare limen, octoque diuinæ palæſtræ claſſes inuiſere. Licet audire cœleſtem Magiſtrum, docentem qua via, quibus gradibus, itur ad cœlum. Quot verba fundit, tot ſunt oracula: quot profert ſententias, tot ſunt gra-

Clauis Chriſti hanc aperuit Academiam.

Mira palæſtra.

Cœleſtis magiſter viam cœli docet.

Magna sunt regni cœlestis arcana.

Loqui beatitudines Christi est.

Diuinæ gratia Suadæ

Orator cœli ducit per octo calles beatitudinum.

1. Callis paupertatis.

2. Callis lenitatis.

3. Callis luctus

4. Callis esurientium & sitientium iustitiam.

5. Callis misericordiæ.

6. Callis puritatis.

uissima regni cœlorum mysteria. Nemo mortalium ita vnquam locutus est, nec cum sermone ita præclarè coniunxit opus: beatitudines loquitur, & vias ad illas primus terit. Aduolate lectissimæ mentes, & æternam audite Sapientiam. Ducet vos Orator cœli, (cuius in labris sessitat Suadæ gratia) per octo calles ad beatarum mentium domicilium. Primus dicitur callis sanctæ paupertatis, in quo videbitis explicatas cœli diuitias, si sit vobis curæ pannos inopiæ tantisper amouere. Secundus vocatur callis suauissimæ lenitatis, in quo cernetis, quanta sit lenis animæ virtus, quantum in homines imperium, quanta in superos potestas: si vacet mansuetudinis opes accuratiùs inuestigare. Tertius callis lacrymis madet, vbi videre est magnam vim gemmarum, è quibus contexuntur lugentium coronæ, sique placeat colligere, fas est. Quartus callis est esurientium & sitientium iustitiam, in quo spectantur æquitatis fructus, & ornamenta, sique arrideat æquitas, libram sustinete. Quintus callis est misericordiæ, vbi infinitas miserationes exercet author clementiæ, quarum quisque mortalium fit particeps. Sextus callis ab integerrimis animis teritur, in

quo spectabitis cordis puritatem tanquam in throno regio sedentem, quam cœlitum alæ circumuallant. Septimus callis est tranquillæ pacis vbi crescunt oliuæ, vbi quietis portus, vbi dulcissimum otium: si vobis cordi est, frui potestis. Octauus callis & vltimus seritur spinis, è quibus oriuntur rosæ suauissimi odoris: sternitur silicibus, è quibus lucidus fulgor elicitur vestitur horridis dumetis, è quibus nascuntur dulces baccę: horrescit conchis, è quibus amœnissima purpura exprimitur: si delectat iter, insistite, multum vos expectat pręmiũ. Per hos octo calles, frequentes incedite, Christo duce, & comitantibus sanctissimis Patribus. Cum tanto duce, tamque nobili comitatu, non tædebit vię: addiscetis verissimam philosophandi viam, agendique rationem. Quàm falsa sint huius mundi labilis & inanis principia, intelligetis: cum in cuiuslibet callis palæstra constiteritis. Audietis aliàs nihil esse locupletius ingenuo Christi paupere, cum mundus dicat nihil esse miserius. Audietis aliàs nihil esse mansueto homine felicius, cum mundus asserat nihil esse infelicius. Accipietis nihil esse luctu suauius, cũ vanitas affirmet, nihil esse acerbius. Dicetur esse gratissima iustitiæ sitis, cõtra sensum nimiæ satietatis.

7. Callis pacis.

8 Callis persecutionem patientium.

Mundo paradoxa.

Magna sunt regni cœl. stis arcana. uissima regni cœlorum mysteria. Nemo mortalium ita vnquam locutus est, nec cum sermone ita præclarè coniunxit opus: *Loqui beatitudines Christi est.* beatitudines loquitur, & vias ad illas primus terit. Aduolate lectissimæ mentes, & *Diuina gratia Suadæ* æternam audite Sapientiam. Ducet vos *Orator cœli ducit per octo calles beatitudinum.* Orator cœli, (cuius in labris sessitat Suadæ gratia) per octo calles ad beatarum mentium domicilium. Primus dicitur callis *1. Callis paupertatis.* sanctæ paupertatis, in quo videbitis explicatas cœli diuitias, si sit vobis curæ pannos inopiæ tantisper amouere. Secundus *2. Callis lenitatis.* vocatur callis suauissimæ lenitatis, in quo cernetis, quanta sit lenis animæ virtus, quantum in homines imperium, quanta in superos potestas: si vacet mansuetudinis *3. Callis luctus* opes accuratius inuestigare. Tertius callis lacrymis madet, vbi videre est magnam vim gemmarum, è quibus contexuntur lugentium coronæ, sique placeat colligere, fas est. Quartus callis est esurientium *4. Callis esurientium & sitientium iustitiam.* & sitientium iustitiam, in quo spectantur æquitatis fructus, & ornamenta, sique arrideat æquitas, libram sustinere. Quintus *5. Callis misericordiæ.* callis est misericordiæ, vbi infinitas miserationes exercet author clementiæ, quarum quisque mortalium fit particeps. Sex- *6. Callis puritatis.* tus callis ab integerrimis animis teritur, in

quo ſpectabitis cordis puritatem tanquam in throno regio ſedentem, quam cœlitum alæ circumuallant. Septimus callis eſt tranquillæ pacis vbi creſcunt oliuæ, vbi quietis portus, vbi dulciſſimum otium: ſi vobis cordi eſt, frui poteſtis. Octauus callis & vltimus ſeritur ſpinis, è quibus oriuntur roſæ ſuauiſſimi odoris: ſternitur ſilicibus, è quibus lucidus fulgor elicitur veſtitur horridis dumetis, è quibus naſcuntur dulces baccę: horreſcit conchis, è quibus amœniſſima purpura exprimitur: ſi delectat iter, inſiſtite, multum vos expectat pręmiũ. Per hos octo calles, frequentes incedite, Chriſto duce, & comitantibus ſanctiſſimis Patribus. Cum tanto duce, tamque nobili comitatu non tædebit vię: addiſcetis veriſſimam philoſophandi viam, agendique rationem. Quàm falſa ſint huius mundi labilis & inanis principia, intelligetis: cum in cuiuſlibet callis palæſtra conſtiteritis. Audietis aliàs nihil eſſe locupletius ingenuò Chriſti paupere, cum mundus dicat nihil eſſe miſerius. Audietis aliàs nihil eſſe manſueto homine felicius, cum mundus aſſerat nihil eſſe infelicius. Accipietis nihil eſſe luctu ſuauius, cũ vanitas affirmet, nihil eſſe acerbius. Dicetur eſſe gratiſsima iuſtitiæ ſitis, cõtra ſenſum nimiæ ſatietatis.

7. Callis pacis.

8 Callis perſecutionem patientium.

Mundo paradoxa.

Tradetur bona eſſe miſeratio, reclamante crudelitate auſcultabitis nihil eſſe mundo corde Deo iucundius, frementibus corporum voluptatibus & illecebris. Annuntiabitur pacis quies quàm ſit expetenda, compreſſis Martis & Bellonæ tumultibus. Audietis afflictionum turmas eſſe bonorum ſyluas, licet ab iis, tanquam à peſte mundus abhorreat. O Chriſtiani Quirites, quantum diſtat à mundo Deus? quantum ſolis radius à tenebris? quantum ſpiritus à ſenſu? quantum Chriſtus à dæmone? Beatum dixere populum mundi aſſeclæ, qui circumfluit diuitiis, qui furit & alios premit, qui in riſum effunditur, qui iuſtitiam legeſque infringit, qui omnem exercet in alios immanitatem, qui viliſſimo carnis mancipio ſeruit, qui in ſeditionibus & armis viuit, qui à proximo nihil tolerare vult. Hæ ſunt mundi adulterinæ beatitudines, quibus ſtulta natio deluditur, nec aliud iſtis fucatis & dolo plenis felicitatibus pretium aſſignatur, quàm domus inferorum. Infelices animæ, quæ hîc vitam miſerrimam ducunt, & hinc diſcedentes in ſempiternam irruunt calamitatem. Audite, audite, beatæ mentes, quibus placet animi paupertas, manſuetudo, luctus, ſitis iuſtitię, miſerationum oliuę,

Alius Dei ſenſus alius mundi.

Falſæ octo beatitudines ſuperioribus oppoſitæ.

cordis integritas, pacis effigies, Chriſti afflictiones: audite Chriſtianum oraculum, vos eſtis cœlo deſtinatæ, vos eſtis de numero electorum, & iam veſtra nomina in libro vitæ inſcripta ſunt, quia quot ſunt beatitudines, tot ſunt prædeſtinationis argumenta. Gaudete de veſtris ſortibus, gaudete de ſingulari & eximio Dei in vos amore: habetis amplam Chriſti laudandi ſegetem, habetis quòd immortales authori gratię agatis gratias. Nolite igitur ab hac ſacra Ieſu Chriſti Academia, vel latum quidem vnguem recedere, vbi veſtra ſita eſt felicitas, vbi quies animę, vbi ſalutis ſecuritas, vbi bonitatis effuſa liberalitas, vbi vis immenſæ poteſtatis, vbi fons perennis ſapientiæ fluit. Excitate excitate per eximia virtutum ſpecimina profanos Academicos, vt aliquando deſiſtant audire malas artes, quibus, ſingulis diebus deteriores fiunt: & ad magnam Chriſti Academiam ſe transferant, vt cœleſtes diſciplinas hauriant, quibus meliores euadant. Longè ſatius eſt æterna ſectari; quàm tempore labentia, præſertim cum illa proſint, iſta noceant. Neque vis eſt inferenda naturæ (ſi non ſit penitus perdita) vt Chriſti præceptiones audiat, cum omnis homo ſcire de-

Liber vitæ.

Octo beatitudines, octo ſigna prædeſtinationis.

Sita eſt in Chriſti academia Chriſtiana felicitas.

Quærenda Chriſti academia.

Æterna ſectari bonum eſt.

Homo ſcire cupit quæ ſpectāt ad felicitatem.

siderct, multò magis, quæ ad suam spectant, non modò salutem, verùm etiam beatitudinē. Quare qui Christianus est, & prætereà literis unctus, potissimùm ad hoc Christi lyceum inuitatur, vt intelligat, quanto sit altior & nobilior doctrina Christi, quàm veteris Academiæ, veteris Stoæ, veteris Xysti, veteris Athenæi, veteris Nymphæi disciplina. Sciat fuisse pueros, Platones, Aristoteles, Theophrastos Demosthenes, Tullios, Senecas, Epictetos, Arianos, Tyrios, aliosque, tantopere ab ipsa antiquitate celebratos, si cum, non dicam, principe sacræ Academiæ comparentur, sed si cum istius sanctæ classis, vel vltimo alumno conferantur, adeò virtus Christi & scientia, profanâ est superior, & omni dignitatis gradu sublimior. Quam verum est, etiam pastorem Christianum, etiam pauperem rusticum, & agrestem fidei lumine illustratum, huius Christi scholæ alumnum, plura scire omnibus Philosophis & oratoribus Ethnicis! Magni igitur Christi facienda est doctrina, magni æstimanda: frequenter illius Academia lustranda est, studiosè salutanda: in ea veritas reperitur, quæ ab omnibus antiquis Academicis quæsita fuit, sed malè, nec id-

Doctrina Christi potior quauis alia.

Veteres academiæ.

Profani pueri.

Profana scientia sacræ cedit.

Pastor Christianus philosophis Ethnicis doctior.

Rustici Christiani doctores philosophis.

Magni facienda doctrina Christi.

Veritas in Christi academia.

circò inuenta; aut si ab illis per nebulas visa fuit, magis fuit lacessita, quàm beneuolè excepta. Hîc excolitur, hîc fouetur, hîc honoratur, hîc amatur veritas quam præ se fert Christus, quam tradit discipulis, quam eloquitur, quam vbique commendat. Nullus datur hoc in Lyceo, mendacio locus, nullus fraudi, fuco nullus: omnis doctrina è veritatis oraculo fluit, & ad veritatis authorem ducit. Illam excipite mortales dum licet, dum tempus peropportunum est: nam si semel veritatis oraculum cessarit, muta erit & elinguis Academia, nec facilè cœli Magister in tripode sedebit nec suggestum conscendet: vnde manant Aquæ salientes in vitam æternam.

Floret in Christi schola veritas.

Procul mendacium.

Dum tempus habetur Christi doctrina audienda.

Aquæ salutares viui fontis.


Tabella octo Beatitudinum.

Ὄλβιος ὅς πτωχὸν παθέων μέγα πνεῦμ᾽ ἀνέδειξεν
Ὅστις ἔχει ζωὴν ἐνθάδε πενθαλέην.
Ὅστις ἐπουρανίης αἰεὶ ἀκόρεστος ἐδωδῆς
Ὅστις ἐνηείῃ κληρονόμος μεγάλων.
Ὃς σπλάγχνοισιν ἔοισι θεοῦ μέγαν οἶκτον ἐφέλκει,
Εἰρήνης τε φίλος καὶ καθαρὸς κραδίην.
Ὃς πολλὰ Χριστοῖο μεγακλέος εἵνεκ᾽ ἀνέτλη
Ἄλγεα, καὶ μεγάλου κύδεος ἀντιάσει.

D. Nazianz. In διαφ. βίων μακαρ.

Ita Billius.

Felix cuius inops mens criminis omnis & expers,
Qui vitæ in luctu tempora cuncta terit.
Cæleſtes quique ore auido ſuſpirat ad eſcas,
Mite cor innumeras cuique recondit opes.
Quique alijs facilis, Dominum ſibi flectit Olympi,
Quem pax, quem cordis munditieſque iuuat.
Denique pro Chriſto patitur qui multa libenter
Aeternum in cælo carpet ob idque decus.





SECVNDA

PARS HVIVS OPERIS,

Vbi de octo Beatitudinum coronis, earúmque coronide, agitur.



Cc



OCTO NOBILES CORONÆ,

QVIBVS SACRA CHRISTI Domini Academia, in octo classes Beatitudinum distributa, coronatur.




CVm omnes alumni, quos ſacra Chriſti Domini Academia recipit, ea lege recipiat, vt cæteris antecellant: eò etiam ſtudij genere excolit, vt nihil niſi regium, in præſtabilium virtutum officina, profiteri queant. Neque ſtatus beatitudinum aliquid aliud ferat, quàm quod ſit heroicum: cum meritò depoſcat à Chriſti Academicis, vt dignitatem ſui ordinis tueantur. Quæ dignitas cum ſit re-

gia, suis quoque insignibus exornatur. In quorum numero principem locum tenent coronæ, regiæ maiestatis symbola. Verum peculiare hoc habent, quòd sint cœlestis ordinis: idcircò cum terrenis nullam contrahunt amicitiam, nihilque intercedit similitudinis, aut agnationis. Nullus igitur ab hortis lectissimos flores expectet, nullus speret à lucis laureas, à syluis palmas, à terrarum venis bracteas aureas, à fluuiis pretiosas margaritas, à vittis diademata, à Persis cidarim, à sole mitram, à Regibus coronas, à Pontificibus tiaras, ab humana solertia stemmata, sertaue. Nihil hîc tale cogitet, humanæ sortis manubias deserat, diuinæ manus dona quærat. Coronas temporis non attingo, æternitatis inuestigo. Quid campus beatitudinum ferat, attendo: quos flores, quas baccas gignat, obseruo: nouam video segetem, nouas stirpes, nouos fructus: è quibus virtutes virgines coronas contexunt, quibus in Academia beatitudinum, Christi alumnos scitè coronant. Videte, mortales, videte, pauperes spiritu coronatos, cum reliquo Academicorum consessu, cui cordi est Beatitudinum sacrarium: videte nouos coronatum flores, nouosque radios: vi-

dere sanctos reges, qui variis magnarum virtutum astris toti collucent. Amate sacram Christi Academiam, è cuius sinu tot reges prodeunt, quot sunt germani Domini Iesu discipuli: ad coronas ora conuertite, vos appellant.

Corona πτωχῶν τῷ πνεύματι:

Corona humilitatis, adolescit in coronam sublimitatis.



VANDIV hîc viuit Christi alumnus, qui se πτωχὸν τῷ πνεύματι, pauperem spiritu agnoscit, & profitetur: tandiu suam animam, corona humilitatis exornat. Non quòd affectet imperium, sed quòd amet obsequium: in obsequio fugit animi elationem, at non fugit Dei erectionem: dum imperium declinat, in sceptrum incumbit, & in caput corona decidit. Non

est corona superbiæ, sed demissionis: non premit, sed erigit: nihil habet splendoris, si exteriora intuearis. Quid haberet fulgoris corona humilitatis? se peccatorem fateri, se omni conuitio dignissimum iudicare, se omninò spernere, se coram omnibus abiicere, gaudere quòd odio sit omnibus hominibus propter Christum, quòd apud omnes malè audiat citra suam culpam, quod ab omnibus vituperetur, licet de omnibus optimè sit meritus. Exterior hæc facies coronæ humilitatis, est admodum deformis & aspera. Sed interior illius vultus, tantum habet lucis & decoris, quantum radiat virtus humilitatis. Quomodo videtur, quæris? oculis suimet cognitionis. His vtere luminibus, & coronam humilitatis interiùs fulgurantem videbis. Videbis quomodo anima de se humiliter sentiens, coronetur paupertate spiritus, quæ tot habet gemmas, quot veras suimet cogitationes suscipit, quæ mirum in modum splendescunt, & in tanta rerum humanarum caligine mirabiles faces accendunt. Vis illas interioris animi demissionis intueri gemmas? mecum ingredere SS. Patrum conclauia, in illis spectabis, varias margaritas, variosque lapides

pretiosos, è quibus, si tibi arrideat, coronam texes humilitatis, quam post hoc vitæ curriculum, in stemma celsitudinis commutabis. Subi limen conclauis S. Greg. Nysseni, & audi quid de Christo pretiosissima humilitatis gemma, imò corona, dicat: τί πλωχότερον ἐπὶ θεοῦ τῆς τοῦ δούλου μορφῆς, &c. Ecquid pauperius in Deo, quàm forma serui? quid in rege rerum omnium humilius, quàm in nostræ inopis naturæ communionem venisse? Rex regum, & Dominus dominantium sponte sua seruitutis formam induit, Iudex vniuersi orbis, principibus tributum soluit, creaturæ Dominus ad speluncam diuertit, qui mundum complexus est, non inuenit locum in diuersorio, sed in præsepium brutorum animalium abiicitur. Itane cœlestis gemma negligitur? itane humilitatis corona proteritur? in hoc maximè nitet, tam corona, quàm gemma demissionis, quòd illa propter homines, in infimo naturæ loco positus, mundi reparator coronetur. Quid de hac humili corona dicit pius Abbas, qua Beata Virgo coronata fuit? Hic timor generat humilitatem, quæ est pretiosissimus ornatus thalami Sion, quæ magis placuit Christo, cum in thala-

Orat. 1. de beatitud.

Guerricus Abbas in Purificat. B. Mariæ.

mum virgineum ingrederetur, dicente beata Maria, Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Hæc, inquam, humilitas est ornatus Sion, id est, pauperum Christi, de quibus ipse dicit; Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Pulcher est animæ ornatus, corona humilitatis, quam verè S. Abbas, Sionis ornatum vocat. Benè D. Bernardus agnouit humilitatis coronam, qui illius agnouit perfectionem, ita ille: Humilitatis virtus maxima, maximéque necessaria est, vt honore præueniamus inuicem: nec modò priores, sed & ipsos iuniores sibi quisque præponat: quæ nimirùm humilitatis perfectio est, & iustitiæ plenitudo.*. Pulchra est omninò humilis animi corona, vbi non habetur ratio, nec ordinis, nec dignitatis, nec ætatis, sed vnius potissimum virtutis commendatio spectatur, cuius fulgor coronat status, coronat annos, coronat gradus. Præclarus ille Toletanæ antistes Ecclesiæ, in manibus sanctissimæ humilitatis reliquarum virtutum coronam reposuit, quanto magis illam suo stemmate exornare debuit? Series huius lectionis cùm multa alia, tùm

Luc. 1.

In festo Purificat. B. Mariæ Virg. serm. 2.

S. Hildephonsus ser. 1. in Purif. s. Mariæ.

præcipuè virtutem commendat humilitatis, quæ cæterarum mater eſt, & cuſtos, adeò vt ſine hac, alia virtus nulla haberi queat. Sine humilitate ſingularium corona virtutum non perficitur, nec actionis glorioſæ labor clauditur. D. Chryſoſtomus tantum tribuit huic coronæ Chriſtianæ humilitatis; vt præ illa, coronas gloriæ, quibus hic mundus cingitur ad mortalium admirationem, nihili faciat; eámque ob cauſam Chriſtianos admonet, cohortaturque, vt inanes illos honoris radios fugiant, veros fulgoris ignes, qui nimirum ex humilitatis gemmis refulgent, conſectaturi: ὑπερίδωμεν τῆς κενῆς ταύτης δόξης, ἵνα τῆς ἀληθοῦς ἐκείνης καὶ βεβαίας ἀπολαύσωμεν. Deſpiciamus vanam hanc gloriam, vt vera illa & ſtabili fruamur. Vbi duplicem agnoſces humilitatis coronam, vnam iſtius vitæ, alteram æternæ: at neutra quiſpiam frui poteſt, niſi ſpreuerit inanis gloriæ coronam, qua quidem ſpreta, coronam humilitatis obtinet, de cuius ſemine oritur in alio vitæ ſtatu corona ſublimitatis, quam vera perenniſque gloria cohoneſtat. S. Ambroſius hac in parte mihi videtur triumphaſſe, cum de ſponſæ agit inſignibus,

Hom. 35. in c. 14. Geneſ.

non est oblitus humilitatis ornamenta. Laudatur quod cœlesti sibi, illuminante præcepto, iam speciosa, iam pulchra sit: quæ vultu præferat castitatis decorem, & redimicula ceruicis attollat, in qua sunt patientiæ, & humilitatis insignia. Inter capitis coronas, & inter colli monilia, tam monile, quàm corona humilitatis, recensetur. Et certè, meritò possumus dicere, humilitatem mentis, plus illustrare caput hominis, quàm regium opus diadematis: plusque exornare collum sponsæ Christi, quàm contexta è clarissimis margaritis & prægrandibus gemmis monilia. D. Basilius secundùm Isaiam præclarè dicit, omnem hominis gloriam esse velut fœni florem, ὡς ἄνθος χόρτου: idcirco humana natura ne se fœno coronet, quia citò fœnum arescit, & illius flos perit, ἐξηράνθη ὁ χόρτος, καὶ τὸ ἄνθος ἐξέπεσε. Coronet se corona gloriæ, quam vult à Domino petendam esse: & hæc est vera hominis altitudo, τοῦτο ὕψος ἀνθρώπου, verè cognoscere quod magnum est, ἀληθῶς γνῶναι τὸ μέγα, quam altitudinem in humilitatis corona collocamus. Qui gloriatur, in Domino glorietur, secundùm Apostolum: at ista gloriæ vis, in humilitatis corona splen-

Lib. de Isaac cap. 4.

Homil. περὶ ταπεινοφροσύνης.

descit, & velut coronæ toros illustrat suis fulgoribus, qui sunt eo clariores, quo maior est animi, vnde fluunt, demissio. Huius coronæ gemmæ maiori in pretio Regi Dauidi fuerunt, quàm regij diadematis margaritæ. Viuit Dominus, quia ludam, & vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis. Vbi B. Damianus, In quibus verbis veræ humilitatis forma proponitur, dum non minùs interior, quàm exterior humilitas demonstratur. Reuera duplex est in hac vita humilitatis corona, vna quæ videtur, alia minimè: quæ in sensus incurrit, facer vates aperuit, dicendo: Ludam, & vilior fiam, plusquam factus sum: quæ verò humanos declinat obtutus, ostendit, addendo: Et ero humilis in oculis meis: prima corona corpus afficit, secunda mentem exornat. Exterius humilitate coronari, bono est cæteris exemplo: interius, proprio studere est emolumento. Vna corona citra aliam, non perfectè coronat. Benè magnus ille Cardinalis: Nonnulli enim quo se deformius in exteriori compositione deiiciunt, eo de se intrinsecùs maiora decernunt. Qui profectò aliud optant se in superficie videri, aliud latenter intelligi; & vnde se humiliter in publi-

2. Regum c. 6. 1. Paralip. 15. Apologetico de contemptu mūdi c. 18.

Loco cit.

co deprimunt, inde in occulto elatiùs intumescunt. Prima corona humilitatis, quæ exterior est, citò defluit, si cum interioris radice planè non coniungatur cum ab illa suam trahat virtutem, vti originem. Hanc vtramque coronam in veris humilibus vnam & eandem esse non ignoramus. Vnum cauendũ est, ne eos sequamur, quibus satis est, si quadã humilitatis specie, quę omnibus patet, coronentur. Contra quam futilem coronam & gloriola tumentem inuecti sunt genuini reges humilitatis, sufficiat Diui Paulini monitio, qui cum scribat ad Celantiam ait: Veruntamen humilitatem sequere, non quæ ostenditur atque simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro affectu cordis exprimitur. Aliud est enim, virtutem habere, aliud, virtutis similitudinem: aliud est rerum vmbram sequi, aliud veritatẽ. Multò deformior illa est superbia, quæ sub quibusdã humilitatis signis latet. Nescio enim quo modo turpiora sunt vitia, cum virtutum specie celantur. Quàm multi sunt, qui quapiam exterioris humilitatis corona fastum capitis & mentis elationem tegunt? nunquam illorum coronæ, in sublimitatis coronas immutantur: quia post absolutum

Epist. 50. ad Celantiam.

huius vitæ decursum, non eriguntur eorum capita, sed deprimuntur. Hæc est Christi alumnorum gloria, hoc decus, hoc ornamentum; suas demissionis coronas, in celsitudinis commutant: stat æterna veritas, Qui se humiliat, exaltabitur. Audio B. Iustinianum: Nam quemadmodum ipsi humiles se deprimendo descendunt, ita virtutum eis scala tribuitur, vt ascendant. Ascendunt vtique postea, si tamen descendant priùs. Descensus primùm ad conualles fit, deinde ascensus ad montes. De conuallibus transit anima ad montes, & de cognitione sui proficit ad intelligentiam Dei: atque de virtutibus moralibus mediãtibus infusis ad notitiã trahitur diuinarum. Quã verum est, quod dicit, descensum fieri ad conualles, vbi animæ humiles cum humilibus myricis versãtur, vbi suas è violis, thymisque, quæ humi serpunt, texunt coronas humilitatis, vbi more apum flores delibãt, & serta componunt illi dedicanda, qui humiles animas extollit. Verum quoque, illas easdẽ demissas mentes ad sublimes ęternorũ colliũ vertices ascẽdere, vbi suas tenues violas in Andromedes stellas, & Ariadnes comas immutant, vbi magnitudinis & maiestatis diadematis capita coronantur, vbi

Luc. 14.

Lib. de humilitate.

quæ ſit humilitatis virtus, apertiſsimè declaratur. Tunc vident demiſſæ animæ, quàm bonum ſit hoc in mundi theatro humilium ſtemmata libentiſsimè geſtaſſe. Verè dicit B. Iuſtinianus de iis qui ſublimitatis coronam nacti ſunt opera humilitatis : Meritò quippe poſt perceptam indulgentiam criminum, poſt ſalutarem compunctionis mœrorem, poſt abolitam culpam tranſactę nequitiæ per confeſsionem humilem, & poſt deterſam fœditatem interioris hominis per lacrymarum affluentiam, humili redditur pax, donatur tranquillitas, fiducia præſtatur, corque illius exhilaratur, gaudet animus, gratias agit affectus. Tunc ponitur humilitatis diadema, & granditatis accedit corona: mutato ſtatu, mutantur σχήματα: mutata vita, mutantur ornamenta : non eſt amplius vallis locus, ſed montis : non deſcenſus, ſed aſcenſus : non depreſſionis, ſed erectionis: non humilitatis, ſed altitudinis. Coronantur merita ſublimi honorum gradu, & dicitur inuitato ad cœleſte conuiuium : Amice, aſcende ſuperius, daturque ſupremus locus. Poteſt Chriſti alumnus cum Diua Matre canere, Quia reſpexit humilitatem ſerui ſui, ecce enim ex

Libro de humilitate c. 17.

Luc. 14.

hoc beatum me dicent omnes generationes. Leniter hanc claudit coronam D.Paulinus, asserendo, nihil esse, quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quàm si vitæ merito magni, humilitate infimi simus. Ep. 50.

Corona πραέων.

Corona mansuetudinis, corona est regiæ maiestatis.



ORONARI mansuetudine, est coronari regio more: quamuis humana sit mansuetudinis corona, plus est tamen regia. Mixtam dicerem, si tantum in ea hominis, quantum regis, reperirem. Si satis esset hominem esse, satis esset hominem nasci, ad ius istius coronæ: at nec ipsa natiuitas, nec status naturæ, perfectam lenitatis virtutem tribuit, alioqui omnes homines hac miti virtute locupletarentur. Verum quem latet sub humana forma sæpe latere immanitatem? Nihilominus negare non ausim, primos huius coronæ flores naturæ

inferi humanæ gentis, qui omni ex parte regia natura efflorescunt, & optimo cultu adolescunt in vberrimos mansuetæ virtutis fructus. Hoc opus iuuat natura, promouet regalis educatio, & studio magnæ mentis, obtinetur præmium. Nemo facilè distinxerit magnum regem à viro mãsueto: non quoad animos, cum vtriusque sit humanissimus: hic ex natura virtutis, ille ex officio imperantis: non quoad mores, cum mansuetus lenissimos induerit, rex mansuetos reddiderit: non quoad congressum, cum vterque benignè agat: non quoad loquendi modum, cum vtriusque melle dulcior fluat oratio: non quoad insignia, nam si rex diademate coronetur aureo, mansuetus aurea clementiæ vitta frontem redimit. Quid prius miraberis, nescio? an regium diadema? an verò mansuetudinem? tam benè mansuetudo coronat, quàm diadema: imò meliùs. Nam diadema caput duntaxat cingit, mansuetudo animum: quantum autem præstat animus capiti, tantum mansuetudo diademati. Ornat caput diadema, fateor: sed maiori est ornamento menti lenitas. Regium vbique opus, siue rex incedat coronatus, siue vir mansuetus: princeps tamen passus datur animæ, secundus

dus principi. Neque si detur locus sanctis Ecclesiæ columinibus, primas partes regibus tribuent, sed lenibus animis, plurisque facient mansuetudinis coronam, quàm imperatoriam. In quo feliciores iudicant mites Christi Domini alumnos, quàm principes palatinos. De hac corona mansuetudinis, verè regia, pulchrè D.Chryso- *Hom.34.* stomus: οὐδὲν γὰρ ταύτης ἰσχυρότερον, οὐδὲν ταύτης δυνατώτερον, nihil enim illa fortius, nihil potentius: illa nostram animam in perpetua tranquillitate & quasi in portu constituit, & omnis quietis occasio est. Quapropter Christus diuinam illam doctrinam tradens, dicebat, Discite à me, *Matth.11.* quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Nihil enim ita quietam & tranquillam reddit animam, vti mansuetudo & modestia: τοῦτο παντὸς διαδήματος τιμιώτερον ἂν γένοιτο τῷ ταύτην κεκτημένῳ. Hæc omni diademate se possidenti est pretiosior. * Anteponit S. Ioannes Antiochenus hanc humanissimam virtutem omni regio diademati, ita vt anima mansuetudine coronata, sit longè gloriosior coronatis Imperatoribus: τοῦτο πάσης περιφανείας καὶ δόξης λυσιτελέστερον. hæc lenis virtus omni ce-

lebritate & gloria eſt commodior. Vult hanc coronam eſſe ipſamet claritudine (quam vocant) & fulgore gloriæ, potiorem. Et quod amplius eſt, ſi coronanda ſit ratio, conſulenda eſt manſuetudo: τοῦτο γὰρ μάλιστα γνώρισμα ἀνθρώπου τοῦ λόγῳ τετιμημένου, τὸ ἥμερον; Hoc certum eſt ſignum, quo dignoſcitur vir rationis compos, ſi manſuetus fuerit, ſi humilis, ſi quietus. Etiam D. Pater ex manſuetudine coronam plectit, qua benigniſſimum Moſem coronat: ἄκουε τοῦ μακαρίου Μωυσέως τὴν ἀνακήρυξιν ἐντεῦθεν γινομένην, καὶ στέφανον αὐτῷ ἐκ ταύτης οὕτω πλεκόμενον. Audi beatum Moſem hinc potiſſimùm prædicari, & ex hac ei coronam plecti. Et Moſes, inquit, erat mitiſſimus omnium hominum qui erant ſuper terram. Vidiſti elogij magnitudinem, quod omni eum humano generi parem pronuntiat, imò omni hominum generi præfert. Quantum deferat S. Chryſoſtomus manſuetudini, quicunque videt, videt omni purpura, omniue diademate hanc virtutem eſſe pretioſiorem. Mirabilis corona, ſiquidem ea Chriſtus coronari voluit, omnéſque Chriſtianæ fidei propugnatores, Eccleſiæ paſtores & antiſtites,

πάσης αὐτὸν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἰσοστάσιον ἀπέφηνε.

vniuersos sacræ suæ discipulos Academiæ, eadem mansuetudine exornari cupiit. Nec tanti fecit suum sceptrum Dauid, quanti suā mansuetudinem: sique iactura, vel diadematis, vel clementiæ fuisset facienda, maluisset regno, quàm mansuetudine priuari. Quando petit à Deo, vt sit sui memor, non interponit regni coronam, sed ipsam mansuetudinem, animæ suæ coronam. Erat in Dauide corona maiestatis, & corona mansuetudinis: sed plus erat fulgoris & gloriæ in mansuetudine, quàm in maiestate. Nec ipsa mansuetudo sua carebat maiestate, quæ prior erat regia, quia maximè diuina. Verissimum est naturalem quandam humanitatem plus splendoris imperanti afferre, quàm contextum ex auro, clarissimisque gemmis, diadema. Satiusque esset, nullam vnquam è suis ornamentis regiis sibi quærere gloriam, quàm illa natiua humanitate spoliari, magni viri, omni hominum memoria, tanto in pretio & honore habuerunt regalem clementiam, vt detractis quibuscunque aliis ornamentis, vnum hoc studiosissimè retinuerint, ad hoc vt regium caput conseruarent. Putabant hoc vno detracto, hanc supremam dignitatem corruere. Nemo dubitat, quin

sit eximia corona, virtus mansuetudinis. Tota est regia, nihil habet, quod non sit augustū, nihil quod cum maiestate non sit coniunctissimum. Qui coronat se mansuetudine, coronat sè maiestate: maiestate quidem, regia maiori, maiorique imperatoria. Nam regum maiestas & imperatorū, ex hoc quòd sit maiestas, non imperat animi motibus, non coërcet iram, non reprimit libidinem: at hęc, quia cum lenitate, eadem est, ad gyrum rationis omnes cupiditates, omnesque peruersos affectus reuocat: sua maiestate seditiones, tumultusq; mitigat. Recognita mansuetudinis tessera, visoque diademate, omnia quiescunt. Bellè os aureum. ὅπερ γὰρ ἐστι τῷ πυρὶ τὸ ὕδωρ, τοῦτο τῷ θυμῷ ἐπιείκεια καὶ πραότης: quod igni est aqua, hoc est iræ mansuetudo. Non tam pulchrè coronat terram aqua, quam animum mansuetudo: nec tàm leniter extinguit ignem, quàm lenitas furorem. Ferebant olim in conuiuiis coronas rosarum ad vini flammam temperandam, longè melius corona lenitatis ignes ebriæ mentis moderatur. Audiendus est S. Hilarius, Et quia per mansuetudinem mentis nostræ habitauerit Christus in nobis, nos quoque gloria clarificati eius corpo-

Hom 58. in Genes. D. Chrys.

Plutarch. in Symp.

In c. 5. Matth.

ris vestiemur ·*· cum beatorum ornamentis corporum, non deerit corona maiestatis, quæ tanto est splendidior, quanto suauior. Benè describebat coronam mansuetudinis, qui dicebat eam componi ex lacteis vnionibus, & niueis margaritis: in lacte quærebat dulcedinem, in niue refrigerationem, in vnione voluntatum coniunctionem, in margarita mentis candorem: cum pretio amabat pulchritudinem, cum candidis moribus coniungebat suauitatem: coronabat mansuetum iis gemmis, quibus gemmare mansuetudinem afferunt, eúmque ita coronando, naturam virtutis explicabat: qua nihil est nitidius, dulcius nihil. Gemmabat meliùs vite corona mansuetudinis, lactescebat dulciùs lacte, albescebat candidiùs niue, nitebat puriùs vnione; in puritate nitor, in candore nix, in lacte dulcedo, in concha vnio, in ostro gamma, clementiæ coronam commendabant. Hæc signa benignitatis, flores erant mansuetudinis, qui regale caput mansueti herois exornabant. Tam erant teneri florum amores, quàm erant lenes mansuetudinis labores. Hoc opus lenitatis, erat opus diadematis, non minus admirandum, quàm suaue. Ex hac

corona lac emanabat, vniones cadebant, nix defluebat, margaritæ labebantur, & hæc fiebant sine detrimento mansuetudinis. Qui hoc diademate coronabatur, mitis erat cum omnium admiratione. Affabilem agendi modum omnes desiderabant, amabant omnes, requirebant: quod symbolo coronæ tegebat, reapse demonstrabat: lenis erat sermo, lenis congressus, lenis actio, lenis familiaritas, lenis vsus, lenis consuetudo, lenes mores, lenes motus, supra modum affabilis animus, totus compositus ex humanitatis officiis totus agnus, sine felle, sine dolo, mitis vitæ & singularis innocentiæ. Talis profectò mansuetudinis diademate coronari promerebatur. Hæc imago non est alia, quàm Christi Academiæ discipuli, cuius coronam hîc videmus, & miramur. Quandiu hîc viuit vir mansuetissimus gerit coronam mansuetudinis, cuius natura accuratissimè considerata, regios habet characteres, qui huiusce mundi regiis characteribus nullo modo sunt inferiores, verùm in alterius beato vitæ statu, sunt infinitis partibus superiores, quòd maximè sustineant regios Christi Domini radios, qui sol mitium habetur: tùm corona mansuetudinis corona est cœlestis maie-

ſtatis : mutatur lenis corona in dignitate plenam, in ſplendoribus fulgurantem, in regiè decoram: cum qua Perſarum & Cęſarum coronæ, nihil gloriæ tenerent, comparatæ. Quicunque rex, qui daret ſe in aſpectum eiuſmodi animæ, clementiæ titulo in æternitate cohoneſtatæ, licet gemmea fulgeret cidari, & vndique vis adamantum & achatum collucerent, cum toto ſuo regali apparatu, illi contingeret, quod ait in re non diſſimili doctus Philo, ἀπορώτατος μὲν οὖν καὶ ὁ μέγας βασιλεὺς ἀναφαίνεται, κατὰ σύγκρισιν μιᾶς ἀρετῆς. Tanta eſt dignitas, vel vnius virtutis, qualis eſt manſuetudo, cuius nunquam apud mortales ſatis agnoſcitur nomen, quomodo maieſtas? quomodo gloria? præclarè agitur in cœlo cum virtutibus, neque quiſpiam in illo ſtadio fucum fecerit, quod eſt ſanctæ religionis, multo minus in ſacrario immortalitatis. Compenſatur manſuetudo regiæ corona maieſtatis, non hac in mortalium via, ſed in immortalium patria, quod regium fuerit, geſſiſſe ſe humaniſſimè cum quouis hominum genere, non habita ratione gentis, aut nationis, ætatis vel dignitatis, ſexus aut conditionis, ſummum ius humanitatis & clementiæ vbi-

Pauperrimus igitur magnus rex videtur, vel ſi cum vna virtute comparetur.

Lib. de charitate.

que retinuisse, considerando perfectam diuini numinis in homine imaginem. Hoc est intellexisse, quid sit in hoc vniuerso regiè viuere: se caput cuiusque corporis autumasse, & ita quemuis hominem, instar corporis, aut membri, tractasse, tanta cum lenitate quanta capita sui membra corporis assuescunt. Et quod amplius est, ita cum vnoquoque egisse, vti bona mater, cum charissimis liberis agere solet: cuius lenitatem quis explicuerit, nisi mater sit, aut summè affabilis & lenissimus? Tanta cum mansuetudine vixisse, aliis condoluisse, benignè in omnibus fauisse, personam regis sustinuisse, quid hoc postulat, nemo non videt. Datur à Deo sacra maiestatis regiæ corona, qua cœlestes reges, admodum humani coronantur, ad designandam æternam illam mansuetorum Regum dignitatem. Et in hac parte Christi Domini, omnium principum moderatoris, simillimi, quo nullus fuit mitior, nullus benignior. Egregius honoris titulus, quo beati illi mites Christum in hoc orbe imitati fuisse declarantur, & in cœlo imitationis insignia gestare. Cui non placeret imitatio, cui stem-

ma tam nobile accedit? Si fluit sudor, merces non negatur.

Corona πενθούντων:

Corona lacrymarum, corona est gemmarum.



ABET Mortalis gemmarum originem, cum tenet lacrymarum fontem. Natura dedit fontem, cum dedit oculorum lumen. Non fuiſſet paruus mundus ſuis numeris expletus, ſi defuiſſet aquæ elementum. Coronat aqua terram, oculorum aciem lacryma: hæc facit ad huius orbis decorem, iſta ad hominis ſtatum: frequens eſt vſus aquæ, frequentior vſus lacrymæ. Princeps omnium corona, quæ viget apud hominum genus, corona eſt lacrymarum. Illa eſt, qua pueri infantes, dum in lucem exeunt, illico coronantur. Quamuis naſcantur in purpura, non priùs regio diademate decorantur, quàm oculos

lacrymæ coronarint. Dantur prima stemmata naturæ, secunda dignitati. Hac in parte omnes sunt reges, quia æquales: ad hanc coronam, nascendo, ius habent, nec vllus huic iuri se opponit; quisque suo fruitur, nec inuidet alteri: nam placet æqualitas in dolore. Videas lacrymis vniuersam hominum prolem coronatam, adeò misera est huius vitæ conditio. Fluunt lacrymarum fontes, è quibus fiunt gemmæ, habiles ad vsum coronarum, dum ferrum impunè volitat, & igne martis omnia delentur, dum pestis longiùs & latiùs grassatur, vrbes & regna depopulando, dum fame gens humana enecatur, dum tot & tantis corpora morbis conflictantur, dum turbulentas calamitatum procellas subeunt populi, & ingemiscunt, dum animi grauissimis tumultuantium cupiditatum tempestatibus iactantur & obruuntur. Hæ sunt effectrices causæ multarum lacrymarum, quibus libenter flebile hominum genus coronatur. At hæc corona lacrymarum naturalis, tàm Christianos coronat, quàm Ethnicos, cum humano iure & calamitoso homines coronet. Datur alia verè Christiana, qua duntaxat fideles coronantur, illaque est quæ verè est gemmea, & in cœ-

lis, nouis non caret vnionibus & margaritis. Lacrymæ, quibus peccata deflentur, venustissimam componunt è pretiosis gemmis coronam, qua caput æterni sponsi illustratur. De his lacrymarum gemmis Sanctos Patres consulo: D. Paulinus ita canit,

De obitu Celsi pueri panegyrico ad Pneumatium & Fidelem parentes. Poemat. xv.

Vertite peruersas conuerso pectore curas,
Monstrat flere fides vtilibus lacrymis.
Peccato lugere iuuat, contractáque culpis
Vulnera profusis fletibus abluere.
Qualibus ille suum stratum omni nocte rigabat,
Multa gemens Dauid, corde potens humili.
Si cinerem rex ille Deo dilectus edebat,
Et sua miscebat pocula cum lacrymis:
Quid facere heu misero mihi competit? vnde piabor?
Vnde satisfaciam? quanam ope saluus ero?
Pumiceum cor eget lacrymis, cinis horret ad escam
Deliciæque iuuant esuriente anima.
Quis mihi suggeret ad lacrymarum flumina fontem,
Quo mea deflerem facta, meosque dies?

Bonus Paulinus amat coronari lacrymis.

Nam mihi pro meritis acta per crimina vitæ
Ingentes plagas flumina flere opus est.
Rumpe mei lapidem cordis, saluator Iesu,
Vt mollita pio viscera fonte fluant.
Tu precor, ô fons Christe meis innascere fibris,
Vt mihi viua tua vena resultet aquæ.

Et paulò post, cum tanto ardore lacrymarum coronæ flagraret, subiungit:

Da mihi nunc lugere Deus, fletuque salubri
Præserere æternæ semina lætitiæ.
Hoc precor, hoc potius maneat mihi luctus in æuo,
In quo quicquid adest per breue transit iter.
Ite procul læti, flentum consortia malo,
Vt breuibus lacrymis gaudia longa metam.

De perfectione monachorum c.12. de laud. lacrym.

Lacrymæ animam puram reddunt & feracem.

1. Gēma istius coronæ. Puritas & fœcunditas.

Huius coronæ lacrymarum, pulchra est gemmarum, quæ illam contexunt, series, quam B. Damianus enumerat. Lacrymarum quippe mador animam omni labe purificat, & ad proferenda virtutum germina nostri cordis arua fœcundat. Sæpe namque miserabilis anima velut sub pruinali glacie comas, & foliorum ornamenta deponit, & recedente gratia ipsa sibimet derelicta, tota remanet arida, & quasi decidentium florum videtur decore nuda-

ta. Sed mox vt lacrymæ ex munere intimi inspectoris eruperint, protinus hæc eadem anima reuirescit, torporis ignaui frigore soluitur, & tanquam arbor verna austri fomite recalescens, rediuiuo virtutum suarum flore vestitur. Hæc est prima huius coronæ gemma, ista sit secunda. Lacrymæ porrò quæ à Deo sunt, diuinæ exauditionis tribunal fiducialiter adeunt, & impetrantes præsto quod petunt, de peccatorum nostrorum certa remissione confidunt. Hæc est tertia: Lacrymæ sunt in fœderanda inter Deum & homines pace sequestres, & veraces sunt, atque doctissimæ in qualibet humanæ ignorantiæ dubietate magistræ. Nam dubitantes ex aliquo vtrùm Deo placeat, necne, nunquam meliùs certitudinem capimus, quàm cùm veraciter lacrymantes oramus. Tunc enim quicquid agendum mens nostra decreuerit, super hoc rursus ambigere necessarium non erit. Hæc quarta gemma: Lacrymæ porrò diluunt omne spurcitiarum in meretrice contagium, & immundis manibus tribuunt, vt non solum pedum, sed & dominici capitis mereantur attactum. Lacrymæ tribuunt, vt negator Apostolus non modò non pereat omninò post

2. Gemma impetratio gratiæ.

Lacrymæ impetrant gratiam.

3. Gemma fœderis & doctrina est.

Fœdus ineunt & docent.

4 Gemma vitiorum lituræ.

Peccata diluunt.

lapsum, sed vltro etiam vt super cæteros cœlestis curiæ Senatores obtineat principatum. Hæc est quinta gemma: hæc sexta. Lacrymis est concessum, vt morituro mox Ezechię tria annorum lustra ad vitam Deus omnipotens adderet: & insuper se, & vrbem Hierusalem de Regis Assyriorum manibus liberaret. Hæc, septima gemma est. Lacrymis impetrauit Esther, vt Israëliticum populum Deus de communi periculo perditionis eriperet, & in Aman, quod ipse parauerat, propositi suspendij sententiam retorqueret. Lacrymæ nihilominus contulere Iudith, vt & caput abscinderet Holofernis, & intra cubiculum luxuriantis illecebrę florem non amitteret pudicissimæ castitatis. Hæc sit octaua. Hæc nona. Quid de Centurione Cornelio referam, qui munere lacrymarum Apostolicæ meruit visitationis accessum, móxque deserens gentilitatis errorem, ad Christianæ regenerationis translatus est nouitatem? Hæc decima. Quid Susannam memorem? quæ mox vt ad lacrymarum patrocinium confugit, protinus de manibus ad mortem se trahentium rapitur, in falsorum caput testium damnationis sententia vertitur, & sic per spiritum iunioris

5. Gemma acquisitio principatus. *Dant principatum.* *6. Gemma vitæ productio.* *Vitam prorogant.* *7. Gemma liberatio populorum.* *Liberant gentes à publicis miseriis.* *8. Gemma conseruatio castitatis.* *Castitatem conseruant.* *9. Gemma.* *10. Gemma.*

pueri ſanguis innoxius liberatur. Tandem ita concludit B. Damianus: Porrò autem ſi cuncta lacrymarum percurrere dona voluero, priùs fortè dies claudetur, quàm exemplorum copia ſubtrahatur. Hæc ſunt enim, quæ & animam peccatorum labe purificant, & cor vagum in oratione confirmant. Hæc ſunt quæ de mœrore pariunt gaudium, & dum per oculos carnis erumpunt, ad ſpem nos ſupernæ beatitudinis erigunt. Non enim poſſunt in ſua petitione contemni, quæ & magnas voces habent in auribus creatoris. Ex iſtis & ſimilibus gemmis corona lacrymarum contexitur. S. Athanaſius alias producit gemmas & margaritas, quas cum iſtis inſerere non erit extra coronam. ὁμοίως τοῦ βαπτίσματος ἡ τῶν δακρύων πηγὴ καθαρίζει τὸν ἄνθρωπον. Pulchrè author ligni vitæ Philoſophatur in lacrymis, & multas earum gemmas ſuppeditat. Cum vocet lacrymam cibum animarum, gemmam intelligit vnione Cleopatræ pretioſiorem, quam anima non liquefacit aceto, ſed coronæ lacrymarum inſerit: cum vocet roborationem ſenſuum, gemmam tenet adamante fortiorem, ſiquidem gemmeas lacrymas hircinus ſanguis non diluerit: cum vocet

Reſponſ. 71. ad Antioch.

Gemma lacrymarum, gemma baptiſmatum.

Cap. 9. de Oratione.

abolitionem delictorum, & vitiorum exterminium, gemmam habet, quæ nequit sordes vllas sufferre: cum vocet virtutum præuiam, gemmam notat virtutum facem: cum gratiæ sociam, pretium notat, & dignitatem: cum refectionem mentium, aduertit lacrymis non tam coronari, quàm ali immortales animas: cum lauacrum culparum, statum obseruat, antequam mentes coronent: cum odorem vitæ, tribuit rosæ mysticæ virtutem, & inter coronarios flores lacrymas reponit: cum saporem spiritus, & gustum indulgentiæ, arcanum tangit lacrymarum: cum sanitatem redeuntis innocentiæ, meritò coronat innocentiam: cum reconciliationis iucunditatem, lætitiæ stemmate cordis sinum coronat: cum serenatæ conscientiæ suauitatem, aduocat præuias cœli delitias: cum electionis æternę spem validam, gemmas lacrymarum smaragdis anteponit. Ex his omnibus coniunctis margaritis, fit vna pulcherrima corona, quæ lacrymarum dicitur, qua coronatur anima, præsertim illa, quæ fugit vrbes & tumultus. Quotidie sacram abdita in palæstram, cum calamitosissimum huiusce vitæ statum attentiùs considerat, videt immensa lacrymarum argumenta:

argumenta: tot & tanta mala, quæ imperiorum ceruicibus imminent, quæ premunt vrbes, homines perdunt: videt conuulsas labefactatasque respublicas, infinitæ multitudinis salutem periclitari videt: intuetur animo grauissimas tempestates, quibus agitatur totus terrarum orbis: tot & tantas gentes ad inferos detrudi cernit: hinc fontes lacrymarum fluunt, fontes commiserationis, fontes pietatis: gemmant oculi corporis, vt gemment oculi mentis: voluuntur lacrymæ supra lacrymas, gemmæ supra gemmas: coronarum seges nascitur, crescit, colligitur. Quod si occurrat animæ, se apud mortales exulare, (quod semper occurrit) geminatur labor, geminatur dolor, amnis fluit copiosior squaloris. Sed tandem fiet lacrymis modus, & corona lacrymarum in coronam gemmarum mutabitur: dicetur animæ,

——desine mollium
Tandem querelarum, & potius noua *Hor. ode 9. lib. 2.*
Cantemus Augusti trophæa,
** Arcis in Olympiacæ Senatu.**

Non amplius in salicibus suspensa erunt organa, nec in ora Babylonis fluuij sedebitur, & plorabitur, nec lacrymarũ fontes in

flebilem amnem decurrent : donabitur anima corona gemmarum, quæ talis erit naturæ, vt omne mœroris vestigium deleat, & insuper perenni gaudio coronet. Risus æterni diei in hoc perennium margaritarum contextu gemmabit fulgendo, fulgebitque gemmando, totque producent radios, totque soles, quot iustæ fuerint in terris lacrymarum profusarum causæ. Radiabit, gemmabitque caput, ex quo pœnitentis cordis imbres fluxerunt affatim : splendescent oculorum fontes, vnde emanarunt lacrymæ, doloris æquissimi testes : refulgebunt genæ, aqua pœnitentiæ irrigatæ, suasque pellucidas opes ostentabunt assiduè : totus vultus, qui propter Christum fuit in luctu, totus erit in risu. Ad hanc gemmeam coronam bellissimæ duntaxat sponsæ contendunt & studiosissimè aspirant, & diu, noctuque, ad illam continuis suspiriis anhelant : nunquam sunt illis ignibus orbatæ, quæ roseæ virginitatis aquas, & sanctorum desideriorum flammas euocant : nam casti amores prouocant lacrymas, & lacrymæ temperant amores: ex vtrisque causis cœlestes oriuntur gemmæ. Tales margaritæ non oriuntur in hoc mundi freto, nec ab aeris rore progignun-

tur : sed in lacrymarum liquoribus semen est pretiosi lapidis : illum fouet ad tempus mortalis sedes, postea suam perfectionem nanciscetur in immortalium domicilio. Sic viui lapides in cœlo æternis lucent radiis, & gemmeo in opere cœlestem decorant Ierusalem. Beatæ igitur lacrymæ, quæ fiunt in cœlo gemmæ, beati fontes humani roris, qui speculorum funguntur officiis, in quibus agnus sine macula visitur & amatur.

Corona πεινώντων καὶ διψώντων τὴν δικαιοσύνην:

Corona iustitiæ efflorescit in coronam gloriæ.

HOMINIS est studere iustitię, vt faciat satis Deo, sibi, & proximo. Si sit iustus in Deum, dabit corona cœlum : si in se, à microcosmo coronabitur : si in proximum, non erit parca æquitas. Hac in vita, studiosus retinendæ iustitiæ, triplici cohonestabitur dia-

demate. Primum erit Dei, ſecundum ſui, tertium proximi. Primum apertè declarabit, quàm placeat Deo diuinæ cultor æquitatis, cum illum regiis inſignibus exornet. Secundum non obſcurè patefaciet, in humanæ cultu iuſtitiæ regales elucere radios. Tertium demonſtrabit, ius in aliena cauſa ſeruatum, neſcio quid maieſtatis continere. Quæ felicitas hominis, quis ſplendor perſonæ, ſi ſciret ſuum cuiq; reddere? Ob tres titulos, & quidem præſtantiſſimos, rex haberetur, probatus à Deo, à ſe, & à proximo. Mirum, quomodo homines honoris auidiſſimi, tam præpoſterè agant. Honorem quærunt modis indecôris, decôris verò nec hilum proficiunt, quia nihil aggrediuntur. Triplex corona perfectæ iuſtitiæ proponitur, nihilominus tanta eſt paucitas eorum, qui velint deſcendere in glorioſum illud ſtadium iuris æterni, vt vel ipſe ſacri pulueris aſpectus eos terreat. Quamuis nihil habeat horroris, nihil formidinis, niſi quis ſit adeò iniquus, vt ſuamet ſibi vmbra terrori ſit. Malunt omnem exercere iniuſtitiam in authorem naturę, in ſuammet naturam, in alienam, cum maximo ſalutis detrimento, modo ſibi aliquo pacto dominari videantur, quàm humano & regio more ſe

gerere. Et ita à dominandi cupiditate decepti, triplici iustitiæ corona priuantur, & in tyrannionum classem ascribuntur. Quã bellè cum iis agitur, qui cœlestis libræ sunt amicissimi, qui gladium æquitatis non exhorrent, imò se illius mucrone, & capulo coronant, & in omnibus vitæ suæ actionibus stateram tenent, vt quod æquum est, iudicent. Hoc hominum genus sub triplici triplicis coronæ fastigio, viuit cum Deo feliciter, secum suauiter, & cum vicino tranquillè. Quantum sit bonum, hoc in vitæ curriculo, iustè cum Deo agere, pura non ignorat conscientia. Nonne est coronare se iustitia? Dei gloriam conseruare illibatam, illius ius non vsurpare, illi parere in omnibus, voluntatibus obsecundare, eum summè colere, reuereri, vnicè diligere. Nonne est æquitate coronari? nolle quidpiam facere, moliri ve, quod tantillùm de bono proximi detrahat: nonne est boni iuris? seruare ius animæ in corpus, & corporis in animam: hoc est, suum sapere regem, hoc est, esse dignum imperio. Floret, & florebit hoc triplex iustitiæ sertum, quandiu vigebit Christiani magnitudo animi. Dolebat ille meritò, qui conquerebatur, quòd tot homines essēt calamito-

fissimi, & humi serperent, cum possent viuere felicissimi, & erigere se, beneficio iustitiæ, ita vt etiam regalibus vittis ęquitatis sua capita cingere valerent. Quæ est ista magia, inquiebat, quæ homines ita de mente deturbat, vt suam durissimam, sub specie tyrannidis, seruitutem non videant? vnde fit, vt cœci sint ad diuini iuris libertatem? errant turpissimè, si violatis iustitiæ legibus, regnare sperent. Vbi nulla est æquitas, nullum est imperium: vbi nullum imperium, nulla habetur corona: vbi nulla corona, nemo coronatur. In diuino iure solum ius coronandi Christiani reperitur. Comparantur iusti cum montibus, admodum scitè, propter multas analogias, vna hîc sufficiat. Altissima montium iuga subiectarum vallium coronæ nominantur, quemadmodum etiam iustorum animæ perardui colles Christianæ Religionis appellantur, quorum vertices coronant sanctas Ecclesias. Opus naturæ in montibus agnoscitur, opus gratiæ in iustis mentibus: primum exornat mundum hunc aspectabilem, secundum microcosmon, & maximè in ea parte, qua humanos fugit obtutus. At videamus, quid de his coronarum ornatibus sancti Patres referant. S. Paulinus

tot assignat iustis coronas, quot sunt homines in hoc mundo peccatores, qui velint nolint, iustis subiacent, suasque derelictæ iustitiæ cedunt coronas. Nemini enim subiectus est, qui se soli Deo subiecit. At contrà omnibus infimis, vel spiritibus, vel aliis creaturis, vel suis vitiis, & cupiditatibus seruit, qui vult liber esse iustitiæ. Qui iustitiæ subiacet, nulli rei mortali subiacet, sed imperium tenet, & legitimè coronatur. De mente B. Iustiniani, iustitiæ non modò triplex est corona, sed est multiplex, totque continet in se coronas, quot virtutes coronat: at omnes complectitur, igitur omnes coronat. Ita diuinus ille philosophatur animus: Nam generalis iustitia comprehendit virtutes ordinantes ad proximum, ad seipsum, & ad Deum, propter quod iustitia dicitur circuire omnes virtutes, & quod non tantùm est virtus specialis, sed etiam generalis, comprehendens totius animæ rectitudinem, cum ipsa dicatur rectitudo voluntatis. Pulchra est corona, ipsamet iustitia, nam quatenus ipsam regit voluntatem, eandem coronat. Quî coronetur ab ipsa iustitia voluntas, idem præclarè explicat, ita pergendo: Per iustitiam com-

Epist. 21. ad Amandum.

Cap. 5. in ligno vitæ de iustitia.

Comprehensio, corona est.

prehenduntur virtutes ad proximum or-
Æquitas. dinantes, videlicet Æquitas, quæ cuilibet dat, quod ſuum eſt, quæ negligit propriam vtilitatem, vt ſeruet communem æquitatem. Iſthæc eſt corona: & hæc alia, quæ
Liberalitas. ſequitur: Et liberalitas, quæ eſt quidam animi motus faciens & approbans liberas largitiones ſine ſpe retributionis. In ipſa autem liberalitate modus adhibendus eſt rerum, & perſonarum: rerum, vt non omnia vni, ſed ſingulis quædam præſtentur, vt pluribus prodeſſe poſſint, iuxta illud Prophetæ, Diſperſit dedit pauperibus. Perſonarum, vt primùm iuſtis, deinde peccatoribus, quibus tantum prohibemur dare, non quia homines ſunt, ſed quia peccatores. Tam æquitas, quàm liberalitas ab ipſa coronatæ iuſtitia, ad proximum attinent. Comprehendit etiam virtutes, quę
Innocentia. ordinant ad ſeipſum, ſicut eſt innocentia, quæ eſt in anima, quæ eſt integra ſine peccato. Sicut enim paruulus non perſeuerat in iracundia, læſus non meminit, videns pulchram mulierem non delectatur, nec aliud cogitat, & aliud loquitur, ſic & nos niſi talem habuerimus innocentiam & puritatem, non poterimus habere veram iuſtitiam, quæ in regnum conducit cœ-

lorum. Et hæc innocentia coronatur à iustitia, vti & pœnitentia de qua dicit: Ordinat quoque ad seipsum pœnitentia, quæ est renouatio baptismatis, emptrix humilitatis, indesinens abdicatiò corporalis consolationis, filia spei, negatio desperationis, conscientiæ emendatio, voluntaria omniũ tribulantium patientia, & domini reconciliatio. Ad quam peragendam non sufficit mores in melius commutare, & à malefactis recedere, nisi & de iis quæ facta sunt, satisfiat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Nec eò stat corona iustitiæ, vlteriùs prorogatur. Nec solùm quæ ad proximum, & quæ ad seipsum, sed etiam quæ ad Deum virtùtes ordinant, comprehendit iustitia, scilicet latriam, pietatem & obedientiam. Latria enim est cultus Deo debitus & exhibitus, vel est voluntas impendendi Deo cultum debitum. Triplex verò est cultus Deo debitus, scilicet cordis, oris, & operis, &c. Quisquis ergo est, qui se, qui iustitiam, & Dei cultũ desiderat, Deum timeat & amet, vt ab eo ametur. Coronatur latria, à iustitia, pietas coronatur, & obedientia, reliquusque virtutum chorus.

Pænitentia.

Latria.

prehenduntur virtutes ad proximum ordinantes, videlicet Æquitas, quæ cuilibet dat, quod suum est, quæ negligit propriam vtilitatem, vt seruet communem æquitatem. Isthæc est corona: & hæc alia, quæ sequitur: Et liberalitas, quæ est quidam animi motus faciens & approbans liberas largitiones sine spe retributionis. In ipsa autem liberalitate modus adhibendus est rerum, & personarum: rerum, vt non omnia vni, sed singulis quædam præstentur, vt pluribus prodesse possint, iuxta illud Prophetæ, Dispersit dedit pauperibus. Personarum, vt primùm iustis, deinde peccatoribus, quibus tantum prohibemur dare, non quia homines sunt, sed quia peccatores. Tam æquitas, quàm liberalitas ab ipsa coronatæ iustitia, ad proximum attinent. Comprehendit etiam virtutes, quę ordinant ad seipsum, sicut est innocentia, quæ est in anima, quæ est integra sine peccato. Sicut enim paruulus non perseuerat in iracundia, læsus non meminit, videns pulchram mulierem non delectatur, nec aliud cogitat, & aliud loquitur, sic & nos nisi talem habuerimus innocentiam & puritatem, non poterimus habere veram iustitiam, quæ in regnum conducit cœ-

Æquitas.

Liberalitas.

Innocentia.

lorum. Et hæc innocentia coronatur à iustitia, vti & pœnitentia de qua dicit: Ordinat quoque ad seipsum pœnitentia, 'quæ est renouatio baptismatis, emptrix humilitatis, indesinens abdicatio corporalis consolationis, filia spei, negatio desperationis, conscientiæ emendatio, voluntaria omniũ tribulantium patientia, & domini reconciliatio. Ad quam peragendam non sufficit mores in melius commutare, & à malefactis recedere, nisi & de iis quæ facta sunt, satisfiat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Nec eò stat corona iustitiæ, vlteriùs prorogatur. Nec solùm quæ ad proximum, & quæ ad seipsum, sed etiam quæ ad Deum virtutes ordinant, comprehendit iustitia, scilicet latriam, pietatem & obedientiam. Latria enim est cultus Deo debitus & exhibitus, vel est voluntas impendendi Deo cultum debitum. Triplex verò est cultus Deo debitus, scilicet cordis, oris, & operis, &c. Quisquis ergo est, qui se, qui iustitiam, & Dei cultũ desiderat, Deum timeat & amet, vt ab eo ametur. Coronatur latria, à iustitia, pietas coronatur, & obedientia, reliquusque virtutum chorus.

Pœnitentia.

Latria.

In Genes. hom. 42. D. Chrysostomus, agnoscit iustitiæ coronas, cum eam μεγίστην ἀρετὴν appellet: quæ est omnium maxima, reliquas alias superat, & coronat. Sciunt rerum naturalium indagatores ignem elementorum tenere principatum, eorúmque regem coronari. Ad hoc regium alludit elementum *Lib. 1. Epist. 108.* S. Isidorus Pelusiota, scribendo ad Donatum, fauetque iustitiæ: καὶ τότε λαμπρὸν ἐξάψεις πυρσὸν τῆς εὐνομίας ὑπέκκαυμα γὰρ ἐστι δικαιοσύνη τοῦ φωστῆρος τῆς εὐαρχίας. Ac tum præclarum æquitatis & iustitiæ ignem accende, siquidem prælucentis astri iustitia probi imperij igniculus est. Tandem corona iustitiæ compensatur corona gloriæ, non quandiu hîc viuitur, sed postquam labores fuerint circumscripti, tunc iustus iudex Christianis militibus & athletis soluet præmia. Mutabit mortalem statum in immortalem, vt mutet labores æquitatis, in gloriç quietem & splen- *2. Timot. 4.* dorem. Certus erat D. Paulus huius præmij, cum dicebat, Reposita est mihi corona iustitiæ: nam hæc corona iustitiæ, est corona gloriæ, quam expectabat post huiusce vitæ decursum in æterna patria De qua corona loquitur S. Mater Ecclesia, cum ait in officio Martyris, Gloriam &

magnum decorem impones super eum. Iustitiæ fructus est perennis gloria, perennis decor, qui iustitiæ amatoribus, instar coronę datur: quandiu durabit iustitiæ meritum, tandiu durabit iustitiæ præmium: at durabit in cœlo præmiũ, quia iustus in æterna manebit iustitia. Idcirco in memoria æterna erit iustus, & apud omnes superos ęternũ benè audiet. Clamat Dauid de Dei loquens iustitia, Iustitia tua iustitia in æternum: quam iustitiam coronat æternitas, coronat immortalitas glorię. Ad hanc iustitiam conformauit se hominis, qui apprimè virtuti studuit, æquitas, eámque ob causam corona iusti erit similis coronę diuini numinis, quantóque ferent altiùs iustitiam, tanto ferent altiùs coronam. Benè & acutè D. Athanasius: ἐγείρεσθε, ἦλθεν ὁ νυμφίος, τότε καταβήσεται ἀπ' οὐρανοῦ. Surgite, venit enim sponsus, tunc de cœlo descendet: & primùm resurgent mortui, deinde autem ij qui tunc viuent, immutabuntur, & fient corruptioni minimè obnoxij: & post hęc omnes sancti, & digni rapientur in nubibus, & Dominum nostrum de cœlis venientem excipient, quemadmodum ait, & nos rapiemur in nubibus, in occursum Domini in aëra:

Psal. 111.

Psal. 118.

Resp. 118. dictor & interp. parab. s. Script.

τοῦτο γάρ ἡ δόξα καὶ ὁ στέφανός ἐστι τῶν δικαίων: nam hæc eſt gloria & corona iuſtorum. Si de ſententia D. Athanaſij gloria iuſtorum & corona, eſt aſcenſus ad cælum, dum iuſti Chriſto ibunt obuiam è cœlo venienti ad iudicium, ſi ille ad ſuperiorem locum volatus eſt corona iuſtitiæ, quænam erit illa, cum Chriſtum poſſidebunt, Chriſto fruentur, cum Deo viuent, cœleſti iuſtitiæ pane veſcentur? Quæ coronæ felicitas, vbi nulla erit floris iactura, vbi iuſtus inſtar palmę effloreſcit, vbi palmę ramis coronatur, quæ glorię triumphum, & immortalitatem gratiæ ſignificant? In immortalitate gratiæ adoleuit iuſtitia, vt in triumpho gloriæ vigeret: dedit vmbram palma, dabit & fructum iuſtitia: vmbra fuit in via, fructus colligetur in patria: vtrumque ſuaue eſt, tàm in via, quàm in patria: nam corona iuſtitiæ habet hoc, quod hîc tegat, illic detegat, hoc ad ſalutem, iſtud ad gloriam.

Corona ἐλεημόνων:

Corona misericordiæ mutatur in oliuæ coronam.



VLLVS est tám barbarus, si sui nominis recordetur, qui coronam misericordiæ non concupiscat: ipsamet barbaries ad pietatis arborem accedit, vt immanitatis suæ vultum, illius ramis cõtegat. Volunt omnes haberi pij, etsi sint impiissimi: multi sunt piè personati, nec ij omnes, qui misericordiam in ore habent, habent in pectore. Vera paucorum est misericordia, multorum laruata. Neque donum est quoddam humanum, neque humanis viribus, aut industrię, tribuendum: (licet homo sua natura, ad commiserationem propensus sit:) sed est è cœlo delapsum, & à Deo opt. Max. humano generi, virtutis studioso, cõmunicatũ. Testatur vates regius, cum suauem illã & peramœnã misericordię coronam, opus Dei, munusq; celebrandũ suscipit: Qui redimit de interitu vitam

Psal. 102. tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus. Omnis corona misericordię à Deo est, & cui dederit, illa coronabitur: cui meritò propter culpas, denegarit, illa priuabitur. Tanta est bonitas supremi numinis, vt maximè velit omnes homines suis commiserationibus coronari: at tanta est mortalium improbitas, vt malint coronari vindictę flammis. Nihilominus non desunt, qui sacram Christi secuti Academiam, misericordię coronam studiosè ambiunt. Vident vbique expressam diuinarum miserationum coronam, quę mirè afficit quemcunque Christi alumnum. Quod concessum est cœlo, quod elementis, quod soli, quod stellis, quod totius naturæ operibus, quę misericordia coronantur, hoc Christi Academici sibi concedi postulant. Nec ignorant idcircò diuinis crucem commiserationibus coronari, vt Christianæ gentis fortissimi athletę iisdem coronentur. Sciunt neminem oliua coronari apud mortales, nisi priùs tranquillæ pacis author extiterit:

Pacis habes oleæ vellus, ramosque feraces
Dilectæ menti Alcyonis.

Multo minùs apud Deum coronabitur

oliua gratiæ, nisi libenter albam cœli columbam in arca pectoris receperit. Non potest dici, quid agant Christi discipuli, vt hac misericordiæ corona exornentur. In omnes benignos se præstant, & misericordiæ munia diligenter obeunt: neminem vel asperiori, vel rudiori verbo compellant, tantum abest, vt facto lædant, vt potius omni pio colant officio. Continuò fluit oleum misericordiæ, continuò nouus exsurgit labor oliuæ, quo crescit ingens arbor, ex qua rami ad miserationum vsus & coronas erumpunt. Quid de hac corona misericordiæ dixerint, ipsæmet S. Matris Ecclesiæ oliuæ, videndum est. S. Paulinus docet homines, quomodo hanc misericordiæ coronam contexere debeant. Ita ille aureum omninò dat contextum: *Accipit à te Christus libens salutis tuæ pretium, quia mauult misericordiam, quàm sacrificium. Sed forsitan quæris, vbi illum inuenies, & qua corrumpas via, quem non vides. Surge, inquit, qui dormis, & erigere à mortuis, & attinges Christum.* Et paulò post, *Operando præceptis ipsius videbis eum in omni paupere, & tanges eum in omni egeno, recipies eum in omni hospite: quoniam sibi fieri ipse testatur, quæ* *Epist. 11. ad Seuerum.*

in eius nomine minimis eius fiant, &c. Vides quia nulla nobis occasio est beneficentię vnquam procrastinandę, cum, si voluntas nostra non absit, pauper in promptu sit. Secundùm hanc D. Paulini mentem, tot adduntur coronæ misericordiæ flores, quot in homines pannosos & inopes conferuntur gratæ largitiones. Seminemus ergò illis carnalia, vt metamus ab illis spiritalia. Laboret nunc de terrenis manus, vt tunc de cœlestibus anima reficiatur. Spes pręsens ędificet rem futuram. Faciamus istic tecta, quę nos illic tegant. Pascatur istic pauper, vbi me diuite eget, vt me illic pascat, vbi me egente saturabitur. Videte commercium spiritale, & si potestis, negate nos auaros, qui terram vendimus & tributum, vt immunitatem regni cum ęternitate coëmamus. Fragilem arenam iacimus, vt domum fundemus ęternam, & de vilibus attingamus astra cęmentis. Ita D. Paulinus coronam misericordię sibi contexuit. Certum est omnes illos homines, qui pauperibus præsto sunt, coronare suas animas veritate & misericordia. Quod B. Damianus rectè animaduertit, dum inquit nobili in opere: Porrò autem dum indigentibus in necessitate succurrimus,

Opusc. de Eleemos. cap. 1.

veritatem

veritatem simul & misericordiam adimplemus. Misericordiam scilicet dum inopibus piè compatimur: veritatem verò, id est, iustitiam, dum non illis nostra, sed quæ sua sunt, ministramus. Hinc est, quod in Prouerbiorum libro Salomon ait: Misericordia & veritas non te deserant, circunda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam, & disciplinam bonam, coram Deo, & hominibus. Quāta sit misericordię corona, quàm nobile, & pretiosum stemma, idem Beatus vir declarat in laudibus eleemosynæ: O virtus eleemosynæ, quæ velut fluentum fontis irrigui, & peccatorum inquinamenta detergis, & æstuantium vitiorum flammas extinguis! O felix eleemosyna, quæ de gehennæ barathro tenebrarum filios extrahis, & adoptatos luci perpetuæ regnis cœlestibus introducis. Tu de manibus pauperum volas in cœlum, & illic tuis amatoribus paras hospitium. Si vinum es, non coacescis: si panis, non emittis mucorem: si caro, vel piscis, non verteris in putredinem: si vestis præterea, nullam contrahis vestutatem: recens iugiter seruaris & noua, & mox vt tuus oblator obierit, ad eum illicò multiplicata reuerteris.

Prouerb. 3.

In opusculo de eleemosyna cap. 8 de laude illius.

Tu de iacentibus sub criminum squalore, conspicuos: tu de damnabilibus, sanctos: tu facis de gentilibus, Christianos. Quod nimirum Cornelius probat, cuius eleemosynæ ad diuini conspectus culmen ascenderant O diues eleemosyna, quæ tuis amatoribus præbes hæreditatem immarcescibilem, & cœlestis curiæ dignitatem! Ex tot eleemosynarum floribus corona componitur, qua filij misericordes coronantur. Pergit in explicandis idem scriptor misericordiæ gemmis, exclamando sæpius: O miranda misericordiæ virtus, quæ peccatorum omnium rubiginem purgat, frementium vitiorum incitamenta mortificat, & splendore cœlestis gratiæ tenebrosas hominum mentes illustrat! Hæc Deum facit hominibus debitorem, vt regnum sibi cœlorum non iam quasi quod alienum est, quærant: sed veluti, quod sui iuris est, audacter inuadant. O felix misericordia, quę de miseria quidem nasceris, sed veram tuis executoribus beatitudinem paris! Ex his pulcherrimis gemmis, pulcherrima miserationum corona nascitur. Guerricus Abbas vir singulari pietate, sibi texebat quotidie coronam misericordię, & aliis author erat vt diuinis commiserationibus se coro-

Serm. 4. in Purificat. B. Mariæ.

narent: Denique vt teneris & delicatis geramus aliquatenus morem, si lacrymas nõ habent, si labores horrent, si nesciunt ferre tribulationẽ, nunquid & illud excusabunt, quod Salomon commendat, Per misericordiam, inquiens, & fidem purgantur peccata. Quid misericordia suauius? quid fide iucundius? hæc oleũ est membris, illa lumen oculis: hæc vngit affectus, illa sensus illuminat. Et paulò post: Benè autem dicitur, per misericordiã & fidem purgari peccata, quia misericordia de proprio impẽdens redimit debita: fides autẽ etiam gratis, sine operibus indulgentiã impetrat. Gemma fidei inseruit stemmati misericordiæ. Omnes illi pretiosas sibi coronas contexunt in cõmiserationũ palæstra, quibus Christus Dominus dicturus est, Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes fui, & suscepistis me: nudus, & cooperuistis me. Quibus hæc dicet? ait D. Iustinianus: Vniuersis vtique iustis, (respondet) qui misericordię opera perfecerunt. Atque vt sciremus cuncta hæc humanitatis officia Christũ suscepisse in se, concludit, dicens, Quãdiu vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. O largitas Dei ô diuina clemẽtiã ô immensa pietas, & cõpago indissolubilis ca- *In fasciculo amoris cap. 11.*

ritatis Cœlorũ fabricator, Angelorũ rex, Archangelorũ Dominus sanctorũ gloria, vniuersorũ cõditor, omniumq; beatorũ lętitia sempiterna dignatur in famelico saturari, in sitiẽte potari, suscipi in peregrino, in nudo vestiri, visitari in languido, in cõpedito consolari, sepeliri in mortuo. Septẽ hæc opera misericordiæ, septem cõponunt pretiosissimas coronas, quibus coronantur miserationum amatores. S. Chrysostomus sciebat quanti est pretij, misericordiæ corona, ideóque passim in suis scriptis magnopere commendat hominibus illius palæstram & nitorem: ita ille, ἂν μὲν γὰρ

Serm. 1. in Genes. ἀνθρώπῳ δανείσῃς, ἑκατοστὴν ἂν ἔλαβες. ἂν δὲ θεῷ δανείσῃς διὰ τοῦ πένητος, οὐχ ἑκατοστὴν, ἀλλ' ἑκατονταπλασίονα λήψῃ, &c. Nam si hominibus in fœnus dederis eam, centesimam tibi reddent: si verò Dei pauperibus fœneretur, centuplum restituet, insuper & æternam conferet vitam. Quid ergo mauis agere de pecunia tua? centesimam ab hominibus, an centuplum recipere à Deo? imò quod est super omnem pecuniam, καὶ ζωὴν αἰώνιον, καὶ ἀγήρω, καὶ ἀθάνατον ἀπολήψῃ, vitam æternam, & nulla vetustate confectam, & immortalem consequi. Vide ergò, vbi magis

velis congregare fructus tuos. Si in terra ſemines, quando feliciter, decuplum colliges: & hoc cum multo labore, cum multis moleſtiis: in cœlo autem ſeminanti, quia neque bobus, neque aratro, neque colonis, aut aliis huiuſmodi laboribus opus eſt: ibi non grando metuitur, non ſolis aduſtio, non rubigo conſumens, non locuſtarum exercitus formidandus eſt, non vicini prauitas, non potentis deprædatio, non exactoris iniuria: ſed ſeminum tuorum ſeges tuta & illæſa conſurget, afferens fructum immortalitatis & lætitiæ ſempiternæ, fructum quem oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Ex hoc ſemine largitionis oritur ramus miſericordiæ, quo caput miſericordis cingitur. Beatus ille eſt, qui totus eſt in operibus miſericordiæ, quia totus eſt in operibus oliuæ: dum pauperes coronat eleemoſynis, coronat ſe oliuis, è quibus exprimitur oleum, miſerorum ſolatium. Dum hîc viuit, multos inopes & mendicos, frequentibus largitionibus afficit, ſuamque exercendo liberalitatem, diuinis ſe adornat commiſerationum titulis: viuit inter ramos oliuarum, fructus excerpit, & communicat: viuit de

misericordiis Domini, & de iisdem, vt alij viuant, efficit: viuit inops, & diues: inops, habita ratione sui patrimonij: diues, consideratis Dei opibus, & miserationibus: coronatus viuit benignitate, & amoribus clementiæ: nihil est illo statu planè regio suauius, nihil dulcius. Oliuæ corona, quàm benigna sit, quàm misericors Christiani discipuli anima, non obscurè declarat: omnem arcet longiùs crudelitatis speciem, omnemque impiæ mentis procul expellit imaginem: filiam diuini numinis notat, æternę pietatis characteribus insignitam: reginam indicat misericordiarum diademate cohonestatam: cœlestis agni sponsam in lucem euocat: habet, quod celebrat, in humanitatis gloriam, in benignitatis nomen, in miserationis commendationẽ. At longè nobilior erit misericordis animæ status in cœlesti domicilio, longè suauior, longéque præstantior. Nam oliua misericordiæ coronabitur, quæ nihil habet cum humanis similitudinis, nihil affinitatis: alterius est naturæ, alterius ordinis, alterius dignitatis. Crescit hæc oliua in manibus Domini, sacro vulnerum cruore irrigata, radices agit pietatis, fundit frondes amicas misericordię, producit flo-

res clementiæ, generat baccas suauitatis, coronas parit eleemosynæ studiosis. Quàm dulcis est illius vmbra, quàm gratum vmbraculum, quàm amabiles rami, quàm fragrantes florum odores, quàm suaues fructus, quàm benignæ coronæ! Hę coronæ meliùs flauent nostris oleaginis, de quibus Poëta,

Flauaque caput nectentur oliua, 5. Æneid.

Melius lucent aureis pindari, Ode 4. Olymp.

Κόσμον ἐπὶ στεφάνοιο χρυσέας ἐλαίας

Ἁδυμελῆ κελαδήσω:

Meliùs tegunt, & leniùs opacant, quercus ramis. De quibus vates,

At qui vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.

Meliùs olent rosis Iericho, meliùs florent & virescunt oliuis speciosis in campis, meliùs stant palmis Cades, cypressis Sion, cedris Libani: coronæ sunt animatarum arborum, coronę æternitatis & misericordiæ cœlestis insignes vertices.

Corona καθαρῶν τῇ καρδίᾳ:

Corona puritatis, corona sanctitatis.



OMNIVM coronarum pulcherrima, ea est, quæ dicitur Angelica: quam alio nomine puritatis vocamus, alij sanctitatis. Corona est qua mentis cingitur innocentia, qua cordis integritas ambitur. Hac nemo coronatur, quin sit Angelus, aut Angelicæ naturæ simillimus: tantùm integritati conceditur, non alterius rei dignitati. Quapropter, cum Angelus natura sua sit nobilissimus, & integerrimus spiritus, confirmatus in gratia deinde donatus perennitate cœlestis gloriæ, corona puritatis & sanctitatis perfruitur, vti ij omnes, qui cum in ipso, sempiterno felicitatis æuo fruuntur. Idque gloriosum integritatis donum cuicunque obtigerit, quamuis homo sit ex argilla fictus, secum feret suum præmium, capitis ornamentum, cordis moni-

mentum, mentis candidæ symbolum. Verum est animæ bonum, cor purum: vera est cordis felicitas, animæ puritas: qui ista negligit, nihil possidet: qui ista possidet, nihil negligit. Nonne hoc est omninò regium, regio more se gerere? quid magis regium, quàm integritati mentis & corporis vacare, nihil turpe admittere, integerrimas cogitationes suscipere, castissimos sermones instituere, rationi consentanea moliri, seruare leges, tueri ius, innocenter viuere, nemini nocere, blandè & sincerè cum omnibus congredi? Hæc qui faciat, sortitus est animam bonam, & vitam ducit Angelicam. Nec qui viuit ita regiè, peccatorum sordes fugiendo, in quorum fuga sita est maxima nobilitas, suis regiis priuatur ornamentis. Tantam & tam singularem animi, corporisve puritatem, cingit illicò nobilissima corona, quæ mentis, & cordis imperium exornat. Diademate sanctissimæ puritatis animus coronatur, stupescentibus voluptatis & carnis motibus. Coronatur & cordis sinus, qui plenus est amore innocentiæ, fremente cupiditatis æstu. Decorum est videre animam castimoniæ perstudiosam, instar reginę, regali modó exornatam: hoc reficit puritatis

candidatos, vbi vident integritatem iis honoribus & ornamentis affici, quibus par eſt. Excitantur ad honeſtè ambiendum decus puræ conſcientiæ, cum tanta ſit illius maieſtas, vt ei ſplendidiſſimus coronæ radius non denegetur. Pulcher eſt profectò puritatis & caſtitatis ſtatus, cum ſanctitatis præmium ei concedatur. Nam puritatis ſingulare donum, ſingulare donum ſanctitatis comitatur. Audiamus ſanctos de corona puritatis. Intelligebat ille ſapiens huius coronæ pretium, qui monebat iuſtos, *πάσῃ φυλακῇ τηρεῖν τὴν καρδίαν*, omni cautione cor ſeruare. Et cum diceret, quòd eſſet *κτῆμα τίμιον ἀνὴρ καθαρὸς* huic coronæ pretium addebat. Verebatur patientiſſimus athleta, vnáque fortiſſimus, ne huius coronæ iacturam faceret, cum ait: Non loquentur labia mea legi aduerſa, nec anima iniuſta meditabitur. Ad coronam labrorum & mentis attendebat, quam retinet puritas. Vult ſapiens cogitationes iuſtorum eſſe iudicia: quæ ſanè iudicia ſunt, *στεφανώματα* puræ mentis & integri cordis. D. Paulus hunc coronæ fulgorem patefacit, vbi dicit: Gloriatio noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſanctitate & ſinceritate Dei, non in ſapien-

Salomon.

Iob.27.

λογισμοὶ δικαίων κρίματα.

2.Cor.1.

tia carnali, ſed in gratia Dei in mundo verſati ſumus. Τὸ *μαρτύριον τῆς συνειδήσεως*, eſt glorioſa præſtabilis integritatis corona. Si de ſententia viri clariſſimi, Læti cordis os floreſcit, quanto magis Angelicæ mentis cogitatio effloreſcit, quæ aptiſſima eſt ad integritatis ſertum componendum? Nemo neſcit lucis filios & diei eos omnes vocari, qui puram agunt vitam, multo minus ignoratur lucis filios coronari luce ſpiritus & igne cordis. Audio libentiſſimè pium Abbatem Guerricum, qui magnopere commendat integritatis coronam. Venter eius eburneus diſtinctus ſapphiris. Sub hoc ſymbolo tacitæ puritatis coronæ multa latent virginalis innocentiæ myſteria. Audiendus S. Abbas, Vt autem noueris, quia caſtitas aliarum virtutum, ſeu gratiarum ſit receptaculum, apothecæ aromaticæ, ſeu vnguentariæ noſtri Salomonis non niſi domus eburneæ ſunt, ſicut Dauid in illo epithalamiò cecinit, quod inſcriptio tituli Canticum pro dilecto, de ſponſo Eccleſiæ accipiendum oſtendit. Myrrha, inquit, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Corpora ſiquidem eburnea ſanctorum Chriſti

καρδίας εὐφραινομένης πρόσωπον θάλλει. Theolog.

Cantic. 5.

Pſal. 44.

ſunt, veſtimentum Chriſti ſunt, templum Spiritus ſancti ſunt. Ab his veſtimentis Chriſti, ab his domibus eburneis ſpirat, & omnis fragrantia virtutum, & chariſmatum, ex quibus delectant & honorant regem regum filiæ Apoſtolorum & Prophetarum. Probaſtis & ipſi fratres mei, ex quo cœpiſtis poſſidere vnuſquiſque vas ſuum in ſanctificatione & honore, non paſſione deſiderij ſicut & gentes quæ ignorant Deum, quid vnguentorum quid odoramentorum diuina largitate ſit infuſum; quomodo corpus quod erat ſentina ſordida, nunc Spiritus ſancti ſit venerabile ſacrarium, & quod erat vorago flagitiorum, nunc quædam ſit apotheca gratiarum. Ita puritatis corona, inſtar pixidis, aromata ſanctitatis coronat: inſtar benè olentis veſtimenti, corporis innocentiam coronando tegit: inſtar domus eburneæ, mentem ſepit, & coronat. Idem pius pater, de ſuis loquens religioſis, loquitur de coronatis ab ipſamet integritate: Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris. Quem nimirum odorem thuris ſponſo gratiſſimum pietas, ô fratres, veſtrorum ſpirabit cordium, ſi ita fragrans & deuota fuerit, vt dirigatur oratio veſtra ſicut incenſum in con-

1. Theſſ. 4.

Cant 4.

ſpectu Altiſſimi, & aſcendat coram eo ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris. Et quidem myrrha fragrat ei de corporibus veſtris, fragrat vtique & mihi, vtinam ita & thus fragret de cordibus veſtris, quatenus ſponſus probans vos ſicut caſtos, ſic etiam deuotos, frequentiùs vos ſua viſitatione dignetur, & dicat: Ibo mihi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Mons myrrhæ coronat corpus, collis thuris coronat cor: vtilis vtraque corona mentis puritati. Prima corpus ſtringit coronando, ſecunda cor expiat coronando: prima extinguit corporis flammas, ſecunda cordis ignes mitigat: prima quod nocet, interimit: ſecunda, quod prodeſt, acceſſit: in prima, bona mors: in ſecunda, bona vita: prima amara eſt corpori, ſecunda dulcis eſt cordi: tam myrrhina, quàm thurea, ſalubris eſt vitæ corona, quia fautrix eſt vtraque caſtitatis & innocentiæ. D. Gregorius Nyſſenus in ipſo nomine incorruptæ virginitatis, multas reperit coronas. Τὸ γὰρ ἄφθορον κατὰ τὴν συνήθειαν τῶν πολλῶν ἐπὶ τῆς παρθενίας λεγόμενον, σημαντικόν ἐστι τῆς ἐν αὐτῇ καθαρότητος. *Tract. de Virginit.* Nam incorruptum, quæ vox in virginitate de multorum conſuetudine dicitur, eius

integritatem ſignificat. Itaque ex eo nomine quod tantundem valeat, intelligere eſt huius doni præſtantiam. Siquidem cum multa ſint, quæ cum virtute gerantur, ſolum hoc incorrupti appellatione ornatum. Peculiaris eſt puritatis corona. Sin autem beneficium hoc Dei Opt. Max. etiam prędicandum eſt, ſufficiet ad eius commendationem diuinus Apoſtolus, qui paucis verbis omnem laudum amplificationem obſcuret, ἁγίαν καὶ ἄμωμον, eam appellans, quæ hoc munere ornata ſit. Quod ſi enim auguſtæ huius virginitatis ea eſt præclara actio, vt prorſus integer ac ſanctus efficiare: eæ autem voces propriè ac primò, ad incorrupti Dei gloriam vſurpantur: quænam maior poteſt eſſe laus virginalis integritatis, quàm oſtendi eam iis rebus caſtorum ſuorum arcanorum participes quaſi Deos efficere, vt ſocij quidam ſint gloriæ, ſolius verè ſancti & integerrimi Dei, neceſſitudine cum eo vi puritatis & integritatis contrahenda? Nemo ad tantam cum Deo affinitatem, integritatis opera accedit, quin glorioſa ſanctitatis corona illuſtretur. Hac corona puritatis donatos fuiſſe Magnum Eliam, & D. Ioannem Baptiſtam, præter infinitos alios, contendit ma-

gnus ille Nyssæ antistes: διὰ τοῦτό μοι δοκεῖ καὶ ὁ μέγας ἐν προφήταις Ηλίας, καὶ ὁ ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ηλίου μετ᾽ ἐκεῖνον ἐπιδημήσας τῷ βίῳ. Ob eam causam magnus in Prophetis mihi videtur Elias, & is qui postea in spiritu & virtute Eliæ in hanc vitam venit, quo sanè in natis mulierum nemo maior exortus est. Hi ambo ab adolescentia sese statim ab humanæ vitæ societate remouerunt: cùm enim potionis atque cibi, qui cæteris ad vitam tuendam datus est, contemptu, tùm vita, quam in solitudine egerunt, se quasi à naturæ instituto abalienarunt, vt & aures à strepitu, & oculos ab errore tuerentur, & vt simplici gustu essent, & ad nullam rem parato, cum nimirum facilis cuique cibi apparatus esset. Quamobrem ab externis perturbationibus remoti, in summa vitæ tranquillitate atque otio sese constituerunt, indéque ad tantam diuinarum gratiarum altitudinem promoti sunt, quantam hæc de vtroque cõmemorat oratio. Et paulò post, satis declarat, quã diuina sit & sublimis animæ puritas, & quã nobilis & excelsa respondeat corona. Hęc fortasse his duob. contigerũt, quoniam puram, omnisque affectionis, quę cum materia consortium habet, expertem, *Cap. 10. de Virg.*

Deo cupiditatem dedicarunt, neque liberûm amoribus, neque coniugum curis, neque cæteris vllis rebus humanis intenti, ne quotidiani quidem ac necessarij victus curam ad se pertinere censuerunt, vestiumque luxu abiecto, ex iis quæ offerebantur, facilè sibi necessaria parabant: vnus enim quidem caprinis pellibus, alter cameli pilis amictus erat: neque profectò, vt arbitror, ad eam magnitudinem peruenissent, si nuptiæ eos corporis oblectamentis delinitos molliuissent. Vterque sacer vates, summa cum puritate, tam corporis, quàm animi, hanc vitam traduxit: vterque etiam sanctitatis diademate, siquidem integerrimæ virtutis floribus, coronatus extitit. Ille qui potest securè cum propheta canere,
Psal. 100. Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus tuæ: coronã integritatis possidet, quæ est regia pulchrior, longéq; pretiosior. Et verum est, quod idem pro-
Psal. 83. pheta canit, Non fraudauit eos Deus bonis, qui ambulant in innocentia. Inter bona innocentis vitæ, corona puritatis recensetur. Benè quidem, & breuiter, D. Nolæ Episcopus, integritate coronati mores his
Epist. 50. ad Celantiam. verbis describit: Itaque malitiam, odium, atque inuidiam, quæ vel maxima, quæ vel sola

ſola ſemina ſunt nocendi, Chriſtiana a ſe propellat anima, neque manu tantùm, aut lingua, ſed corde quoque cuſtodiat innocentiam, ſed voto etiam nocere formidet. Quantum enim ad peccati rationem pertinet, nocuit & qui nocere diſpoſuit. Multi nomen illud abſolutè atque integrè definiunt, innocentem, qui ne in eo quidem vlli noceat, quo prodeſſe deſiſtat. Quot & quàm diuerſas hæc puritatis corona gemmas, vt perfecta ſit, complectitur? aliquas à manu repetit, multas à lingua, plures à corde, infinitas ab opere, à voto quamplurimas, à ſermonibus non paucas, à cogitationibus ſexcentas, à mente perfectas, à voluntate ſelectiſſimas, à conſcientia non numerandas. Si tam pulchra eſt, tam concinna, tam elegans, in hoc vitæ curriculo integerrimæ puritatis corona, ita vt ipſos Angelos, ipſumque Deum in amorem rapiat: quid dicendum erit de corona ſanctitatis, quæ coronat ipſammet integritatis coronam? Certum eſt, eo modo, quo puritas mentis progreditur, eodem modo progredi ſanctitatem quæ in vera charitate conſiſtit: at quo purior eſt anima, eo fit maior in charitate proceſſus, atque adeò in ſanctitate. Si igitur gemma

cœlestis addatur coronæ puritatis, additur & carbunculus diuinus coronæ charitatis, quæ sanctitatem coronat. Vnius gemmæ fulgor, fulgor est alterius stellæ, gemma est integri cordis, stella est diuinæ mentis. Felix anima, siue in hac vita, siue in alia, si viuat angelicè: regnat in via, regnat in patria: hîc sponsa Christi, ibi sponsa Dei: hîc viuit nutrita innocentiæ liliis, illic nutrita Deo: hîc quærit nouos puritatis dies, illic quiescit in sanctitatis ardore: hîc amore cor illustrat, linguam niue dealbat, manus castis operibus sacrat: illic tam solertis innocentiæ fructus legit. O niueos sacri pectoris olores, quàm ille est fortunatus, qui hoc in amne mortalitatis, vos alit, vos pascit, vos fouet, vos amat, vestri plumei apices, in candidissimam virginalis vmbræ coronam illi sponte cedent.

Corona εἰρηνοποιῶν:

Corona pacis, corona diuinæ mentis.



EMO mortalium est adeò Martis studiosus, qui saltem non amet pacis imperium, quod inter corpus & animam intercedit. Licet in rebus exteris coronari malit cuspide lanceæ, attamen in sua propria ditione mauult oliuæ ramis coronari. Si detur rationi locus, si naturæ genius audiatur, si bono tàm priuato, quàm publico consulatur, si rerum conseruationi, si vnitati studiosè vacetur, si Deum æmulari par est, si cura salutis habeatur, corona pacis quærenda est. Quid dicat ratio de hac corona pacis? Audienda est, vt intelligatur. Dicit rationis principiis conformius esse pacis regnum, quàm belli tumultum: se esse reginam humani status, verùm sine pacis otio, nullo modo stare dominatum; non audiri suum dictamen in turbulenta seditione. cupiditatum: vbi detracta

ſit corona pacis, à nemine dominam agnoſci: incredibilem tunc eſſe incompoſitorum animi motuum inſolentiam: interea multum laborare rationis ſolem in denſis illis nubibus ſuperandis, nihil tamen proficere. Contra, ſi pacis diademate coronetur, mirabiles ſuas agendi rationes ab omnibus haberi, profitetur, vis differendi effloreſcit, virtus iudicãdi corroboratur, meliùs decernit, agit ſolertiùs, perſpicacius videt, animoſiùs ſuas partes tuetur, ſuo regnat in imperio. Quid ſi naturæ ingenium conſulatur? affirmabit pacis coronam eſſe humanæ naturæ patrimonium, ſine quo homo viuere non poteſt, cum ſit illi magis neceſſarium, ad vitam animæ tuendam, quàm ſit humanus victus, ad corpus alendum. Patrimonium eſt antiquiſſimum, quod Deus rerum omnium moderator, in ſtatu innocentiæ principi mortalium communicauit, illique hanc pacis coronam donauit. Quod donum, ſi luculentum eſt patrimonium, non minus eſt humani generis ornamentum. Et ita huius coronæ vſus, naturam locupletat, & ſimul exornat: opes vehit, & gloriam: nec illas caducas, nec hanc inanem: hoc vtroque beneficio natura fruitur, quandiu pacis ſtatus retinetur. Si

defluat, natura languescit, & extinguitur, nec quidpiam illa calamitosius facilè assignabitur. Quantum emolumenti corona pacis afferat, tam bonum priuatum, quàm publicum testatur. Quod sine pacis corona microcosmos, qui homo est, non vigeat, liquet: nec magnus hic mundus, certum est: quod sine pacis corona vna non floreat familia, multo minùs vna Respublica, nullus dubitat. Quæ posset esse vtilitas, fremente bello in homine, tumultuante marte in familia, furente gladio in Republica? nullus est prouentus. vbi fremunt corporis motus contra mentem: vbi tumultuantur domestici contra dominum: vbi furunt arma contra patriam. Dicunt, vbi dominatur & impunè volitat ferrum, terræ solum incultum esse, & horridum: nec vnquam in eo solo feraces oliuas nasci, vnde pacis coronæ fiunt. Nihil sperandum est commodi, imò multum damni expectandum est, exulante oliua. Quid si rerum conseruatio attendatur? pacis diadema implorabit. Videmus sub illius auspiciis res omnes huius vniuersi nasci, florere, adolescere, corroborari, conseruari, persistere, perpetuari: contrà, videmus belli tempore, omnia labefactari, conuelli, dirui, funditus

euerti,penitus deleri. Ludus est belli in homine,bonam indolem corrumpere,deprauare præstabilem naturam,mores inficere, concentum illum animi & corporis modulatissimum destruere : res est Martis ludicra,diruere vrbes,arces euertere, vastare regiones,populari agros, ferro & flamma omnia delere. Construere, conseruare pacis est:destruere,perdere,furoris. Si respiciatur vnitas,pacis corona multùm amabitur:quid melius pace? quid melius vnitate? esse vnum,est esse εἰρηνοποιὸν: & esse εἰρηνοποιὸν, est esse vnum:vnũ in amore Dei, vnum in corde, vnum in lingua, vnum in mente,vnum in conscientia,vnũ in veritate,vnum in sciẽtia,vnum in voluntate,vnũ in pace,vnum in vno Deo. Ex vnione vnitas,ex vnitate pax,ex pace securitas, ex securitate beatitas. Quid felicius, quàm esse Deo in vnitate simillimũ? bona est in virtutis officina,omnis ęmulatio:sed nulla melior,nulláque suauior,ea quæ est inDeo,pacis æmulatione: cogitare pacem cum Deo, & instar Dei: loqui pacem cum Deo, & more diuino: coronari pace,instar Dei: dare pacem,more diuino: generare pacem, eamque inter omnes fouere, diuinum numen imitando: amare pacem, tueri, opus

est, non hominis, sed Angeli. Denique si cura æternæ salutis habeatur, corona pacis semel parta non est dimittenda. Quæ potest esse spes salutis in mediis bellorum procellis? inter motus concupiscentiæ, & irascendi vim? inter flabella seditionum, & signiferos tumultuum? non est salus in dæmonum incendiis, nec in tempestatibus ab iis excitatis: tota salus est in asylo tranquillitatis, vbi corona pacis accipitur, quæ tanti facienda est, quanti mentis incolumitas. Vult Christus Dominus pacis author, vt sui discipuli, quascunque domos intrarint, oliuę ramis coronent. In quamcunque domum ingressi fueritis, primū dicite εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ, pax huic domui, & si fuerit illic filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin secus, ad vos reuertetur, ἐφ' ὑμᾶς ἐπανακάμψει. Filius pacis, non alius, coronam pacis meretur: nec si detur inimico pacis, illa poterit vti, sed illicò redibit ad amicum illius. Talis virtus est huius oliuæ, vt nisi pacis amantissimos coronarę velit. Intelligebat Propheta, quinam essent oliua pacis coronandi, cum caneret: Pax multa diligentibus legem tuam: reuera ij maximè pacis coronam gerunt, qui parent diuinis legibus, & quod

Matth. 10.

Psal 118.

iubent, diligenter obeunt. D. Gregorius
εἰρηνικ. γ. Nazianzenus hanc appellat τὸ ἐμὸν μελέτημα καὶ καλλώπισμα, meam curam & ornamentum,
Corona pacis cultus Theolog. tanti faciebat pacis coronam, vt continuò sanctus ille vir de ea cogitaret, maiorique in studio habebat, quàm puellæ sua serta variis è floribus contexta, quàm reginæ suas coronas diuersis è gemmis & margaritis collucentes. S. Isidorus Pelusiota coronam pacis, iustitiæ & pietatis floribus cohonestat, dicitque si iis flosculis exornetur, diuinam esse rem. Ἡ εἰρήνη τῇ
Ep. lib. 3. Ep 248. δικαιοσύνῃ συγκεκραμένη, θεῖον ἐστι χρῆμα: εἰ δὲ θατέρα ἄνευ τῆς ἑτέρας εἴη, λυμαίνεται τῷ τῆς ἀρετῆς κάλλει. Pax si adnexam iustitiam habeat, diuina quædam res est. Si autem altera sine altera sit, virtutis pulchritudinem labefactat. Addit in fine illius Epistolæ, εἰρήνη γὰρ ὄντως ἐκείνη ἐστίν, ἡ τῇ δικαιοσύνῃ, καὶ τῇ εὐσεβείᾳ σεμνυνομένη. Pax enim verè ea est, quæ iustitia & pietate cohonestatur. Varios huius coronæ toros subiicit B. Protopatriarcha Venetus: dum ait esse securitatem mentis, benè, nam
In op. de ligno vitæ cap. 1. de patientia. anima pace coronata, nihil timet, secura est: quid timeret? vallata pacis Deo, & armata Dei clypeo. Non est pulchrior corona, nec tutior. Dum ait tranquillitatem

animi, benè, nam animus pace coronatus, nullo modo perturbatur: quid perturbaret? in tutiſſimo portu eſt Chriſtianorum, vbi nullus furit ventus, nullus intumeſcit fluctus, nulla bacchatur tempeſtas, omnia tranquilla ſunt & pacata. Dum ait eſſe ſimplicitatem cordis, benè, nam anima pace coronata admodum ſincera eſt, candidè agit, fraudes odit, dolos reſpuit, non amat verſutos agendi modos, nec cum veteratoribus congreditur, ſimplex eſt ſermo, nec fucata eſt cogitatio. Dum ait eſſe vinculum amoris, benè, nam animus pace coronatus, diuinum amorem arctiſſimè religat, neque poteſt ſine illo viuere, multo minus conſiſtere. Dum ait eſſe conſortium caritatis, benè, nam anima pace coronata, caritati adiuncta eſt, veluti arbor radici. Quàm nobilis ſit corona pacis, quàm pretioſa ex hoc cognoſcitur, quod ait illuſtris Nyſſenus antiſtes, cum dicat, Quocunque bono coronatus ſis, ſi tibi pacis diadema non adſit, bonum non eſt iucundum. Ita ille, ὅπερ ἂν εἴπῃς τῶν ἡδέων, τῶν κατὰ τὴν ζωὴν, εἰρήνης χρήζει τὸ εἶναι ἡδύ. Quodcunque nominaueris ex iis rebus, quæ in vita ſuaues ſunt & iucundæ, pace eſt ad hoc opus, vt gratum ſit. Nam ſi omnia ſuppetant,

De beatitud. orat. 7.

Deo cupiditatem dedicarunt, neque liberûm amoribus, neque coniugum curis, neque cæteris vllis rebus humanis intenti, ne quotidiani quidem ac necessarij victus curam ad se pertinere censuerunt, vestiumque luxu abiecto, ex iis quæ offerebantur, facilè sibi necessaria parabant: vnus enim quidem caprinis pellibus, alter cameli pilis amictus erat: neque profectò, vt arbitror, ad eam magnitudinem peruenissent, si nuptiæ eos corporis oblectamentis delinitos molliuissent. Vterque sacer vates, summa cum puritate, tam corporis, quàm animi, hanc vitam traduxit: vterque etiam sanctitatis diademate, siquidem integerrimæ virtutis floribus, coronatus extitit. Ille qui potest securè cum propheta canere, Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus tuæ: coronã integritatis possidet, quæ est regia pulchrior, longéq; pretiosior. Et verum est, quod idem propheta canit, Non fraudauit eos Deus bonis, qui ambulant in innocentia. Inter bona innocentis vitæ, corona puritatis recensetur. Benè quidem, & breuiter, D. Nolæ Episcopus, integritate coronati mores his verbis describit: Itaque malitiam, odium, atque inuidiam, quæ vel maxima, quæ vel sola

Psal. 100.

Psal. 83.

Epist. 50. ad Celantiam.

sola semina sunt nocendi, Christiana a se propellat anima, neque manu tantùm, aut lingua, sed corde quoque custodiat innocentiam, sed voto etiam nocere formidet. Quantum enim ad peccati rationem pertinet, nocuit & qui nocere disposuit. Multi nomen illud absolutè atque integrè definiunt, innocentem, qui ne in eo quidem vlli noceat, quo prodesse desistat. Quot & quàm diuersas hæc puritatis corona gemmas, vt perfecta sit, complectitur? aliquas à manu reperit, multas à lingua, plures à corde, infinitas ab opere, à voto quamplurimas, à sermonibus non paucas, à cogitationibus sexcentas, à mente perfectas, à voluntate selectissimas, à conscientia non numerandas. Si tam pulchra est, tam concinna, tam elegans, in hoc vitæ curriculo integerrimæ puritatis corona, ita vt ipsos Angelos, ipsumque Deum in amorem rapiat: quid dicendum erit de corona sanctitatis, quæ coronat ipsammet integritatis coronam? Certum est, eo modo, quo puritas mentis progreditur, eodem modo progredi sanctitatem quæ in vera charitate consistit: at quo purior est anima, eo fit maior in charitate processus, atque adeò in sanctitate. Si igitur gemma

cœlestis addatur coronæ puritatis, additur & carbunculus diuinus coronæ charitatis, quæ sanctitatem coronat. Vnius gemmæ fulgor, fulgor est alterius stellæ, gemma est integri cordis, stella est diuinæ mentis. Felix anima, siue in hac vita, siue in alia, si viuat angelicè: regnat in via, regnat in patria: hîc sponsa Christi, ibi sponsa Dei: hîc viuit nutrita innocentiæ liliis, illic nutrita Deo: hîc quærit nouos puritatis dies, illic quiescit in sanctitatis ardore: hîc amore cor illustrat, linguam niue dealbat, manus castis operibus sacrat: illic tam solertis innocentiæ fructus legit. O niueos sacri pectoris olores, quàm ille est fortunatus, qui hoc in amne mortalitatis, vos alit, vos pascit, vos fouet, vos amat, vestri plumei apices, in candidissimam virginalis vmbræ coronam illi sponte cedent.

Corona εἰρηνοποιῶν :

Corona pacis, corona diuinæ mentis.



NEMO mortalium est adeò Martis studiosus, qui saltem non amet pacis imperium, quod inter corpus & animam intercedit. Licet in rebus exteris coronari malit cuspide lanceæ, attamen in sua propria ditione mauult oliuæ ramis coronari. Si detur rationi locus, si naturæ genius audiatur, si bono tàm priuato, quàm publico consulatur, si rerum conseruationi, si vnitati studiosè vacetur, si Deum æmulari par est, si cura salutis habeatur, corona pacis quęrenda est. Quid dicat ratio de hac corona pacis? Audienda est, vt intelligatur. Dicit rationis principiis conformius esse pacis regnum, quàm belli tumultum: se esse reginam humani status, verùm sine pacis otio, nullo modo stare dominatum; non audiri suum dictamen in turbulenta seditione. cupiditatum: vbi detracta

ſit corona pacis, à nemine dominam agnoſci: incredibilem tunc eſſe incompoſitorum animi motuum inſolentiam: interea multum laborare rationis ſolem in denſis illis nubibus ſuperandis, nihil tamen proficere. Contra, ſi pacis diademate coronetur, mirabiles ſuas agendi rationes ab omnibus haberi, profitetur, vis diſſerendi efflorefcit, virtus iudicãdi corroboratur, meliùs decernit, agit ſolertiùs, perſpicacius videt, animoſiùs ſuas partes tuetur, ſuo regnat in imperio. Quid ſi naturæ ingenium conſulatur? affirmabit pacis coronam eſſe humanæ naturæ patrimonium, ſine quo homo viuere non poteſt, cum ſit illi magis neceſſarium, ad vitam animæ tuendam, quàm ſit humanus victus, ad corpus alendum. Patrimonium eſt antiquiſſimum, quod Deus rerum omnium moderator, in ſtatu innocentiæ principi mortalium communicauit, illique hanc pacis coronam donauit. Quod donum, ſi luculentum eſt patrimonium, non minus eſt humani generis ornamentum. Et ita huius coronæ vſus, naturam locupletat, & ſimul exornat: opes vehit, & gloriam: nec illas caducas, nec hanc inanem: hoc vtroque beneficio natura fruitur, quandiu pacis ſtatus retinetur. Si

defluat, natura languescit, & extinguitur, nec quidpiam illa calamitosius facilè assignabitur. Quantum emolumenti corona pacis afferat, tam bonum priuatum, quàm publicum testatur. Quod sine pacis corona microcosmos, qui homo est, non vigeat, liquet: nec magnus hic mundus, certum est: quod sine pacis corona vna non floreat familia, multo minùs vna Respublica, nullus dubitat. Quæ posset esse vtilitas, fremente bello in homine, tumultuante marte in familia, furente gladio in Republica? nullus est prouentus, vbi fremunt corporis motus contra mentem: vbi tumultuantur domestici contra dominum: vbi furunt arma contra patriam. Dicunt, vbi dominatur & impunè volitat ferrum, terræ solum incultum esse, & horridum: nec vnquam in eo solo feraces oliuas nasci, vnde pacis coronæ fiunt. Nihil sperandum est commodi, imò multum damni expectandum est, exulante oliua. Quid si rerum conseruatio attendatur? pacis diadema implorabit. Videmus sub illius auspiciis res omnes huius vniuersi nasci, florere, adolescere, corroborari, conseruari, persistere, perpetuari: contrà, videmus belli tempore, omnia labefactari, conuelli, dirui, funditus

euerti,penitus deleri. Ludus est belli in homine,bonam indolem corrumpere,deprauare præstabilem naturam,mores inficere, concentum illum animi & corporis modulatissimum destruere: res est Martis ludicra,diruere vrbes,arces euertere, vastare regiones,populari agros, ferro & flamma omnia delere. Construere, conseruare pacis est:destruere,perdere,furoris. Si respiciatur vnitas,pacis corona multùm amabitur:quid melius pace? quid melius vnitate? esse vnum,est esse εἰρηνοποιόν: & esse εἰρηνοποιὸν, est esse vnum:vnũ in amore Dei, vnum in corde, vnum in lingua, vnum in mente,vnum in conscientia,vnũ in veritate,vnum in sciẽtia,vnum in voluntate,vnũ in pace,vnum in vno Deo. Ex vnione vnitas,ex vnitate pax,ex pace securitas, ex securitate beatitas. Quid felicius, quàm esse Deo in vnitate simillimũ? bona est in virtutis officina,omnis ęmulatio:sed nulla melior,nulláque suauior,ea quæ est in Deo,pacis æmulatione: cogitare pacem cum Deo, & instar Dei: loqui pacem cum Deo, & more diuino: coronari pace,instar Dei: dare pacem,more diuino: generare pacem, eamque inter omnes fouere, diuinum numen imitando: amare pacem, tueri, opus

est, non hominis, sed Angeli. Denique si cura æternæ salutis habeatur, corona pacis semel parta non est dimittenda. Quæ potest esse spes salutis in mediis bellorum procellis? inter motus concupiscentiæ, & irascendi vim? inter flabella seditionum, & signiferos tumultuum? non est salus in dæmonum incendiis, nec in tempestatibus ab iis excitatis: tota salus est in asylo tranquillitatis, vbi corona pacis accipitur, quæ tanti facienda est, quanti mentis incolumitas. Vult Christus Dominus pacis author, vt sui discipuli, quascunque domos intrarint, oliuę ramis coronent. In quamcunque domum ingressi fueritis, primū dicite εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ, pax huic domui, & si fuerit illic filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin secus, ad vos reuertetur, ἐφ' ὑμᾶς ἐπανακάμψει. Filius pacis, non alius, coronam pacis meretur: nec si detur inimico pacis, illa poterit vti, sed illicò redibit ad amicum illius. Talis virtus est huius oliuæ, vt nisi pacis amantissimos coronare velit. Intelligebat Propheta, quinam essent oliua pacis coronandi, cum caneret: Pax multa diligentibus legem tuam: reuera ij maximè pacis coronam gerunt, qui parent diuinis legibus, & quod

Matth. 10.

Psal 118.

animi, benè, nam animus pace coronatus, nullo modo perturbatur: quid perturbaret? in tutissimo portu est Christianorum, vbi nullus furit ventus, nullus intumescit fluctus, nulla bacchatur tempestas, omnia tranquilla sunt & pacata. Dum ait esse simplicitatem cordis, benè, nam anima pace coronata admodum sincera est, candidè agit, fraudes odit, dolos respuit, non amat versutos agendi modos, nec cum veteratoribus congreditur, simplex est sermo, nec fucata est cogitatio. Dum ait esse vinculum amoris, benè, nam animus pace coronatus, diuinum amorem arctissimè religat, neque potest sine illo viuere, multo minus consistere. Dum ait esse consortium caritatis, benè, nam anima pace coronata, caritati adiuncta est, veluti arbor radici. Quàm nobilis sit corona pacis, quàm pretiosa ex hoc cognoscitur, quod ait illustris Nyssenus antistes, cum dicat, Quocunque bono coronatus sis, si tibi pacis diadema non adsit, bonum non est iucundum. Ita ille, ὅπερ ἂν εἴπῃς τῶν ἡδέων, τῶν κατὰ τὴν ζωὴν, εἰρήνης χρήζει τὸ εἶναι ἡδύ. Quodcunque nominaueris ex iis rebus, quæ in vita suaues sunt & iucundæ, pace est ad hoc opus, vt gratum sit. Nam si omnia suppetant,

De beatitud. orat. 7.

quæcunque in vita magni fiunt, diuitiæ, bona valetudo, vxor, liberi, domus, parentes, serui, amici; terra, mare, propriis prouentibus, & hoc, & illa locupletans: amœnissimi horti, venationes, balnea, palæstræ, gymnasia, loca deliciis, & voluptatibus capiendis, exercendæque iuuentuti destinata, eaque vniuersa, quæ indulgendi genio causa, inuenta sunt: his adiiciantur gratissima spectacula, musicáque acroamata, ac si quid est aliud, per quod delicias consectantibus vita suauis existit. Si hæc quidem adsint, pacis verò bonum non adsit, quod illarum rerum lucrum est? Certum est his omnibus bonis posse quempiam coronari, at sine corona pacis nihil est. Tanto in pretio hanc pacis coronam habuit B. P. Damianus, vt Epistolã ad vniuersos suæ congregationis Eremitas dederit, qua iis summopere commendat. ita ille: Nostis, dilectissimi, quia loca ista nobis commissa, me viuente, quasi vnum sunt, & res quęcunque sunt necessariæ, hinc ad vos indifferenter transeunt: à vobis etiam huc, prout fraterna exigit vnanimitas, proferuntur. Et oro Spiritum sanctum, vt eadem, me defuncto, inter vos concordia vigeat, quæ nunc in vobis cor vnum, & animam vnam

Lib. 6. epist. ad Abb. & Monach. Ep. 35.

per charitatis glutinum conflat. Hæc corona pacis æterno testamento leganda fuit, cum regiis sit maioris momenti, & pretiosioris materiæ. Hæc corona pacis, dum viros humiles & mansuetos coronat, efficit, vt multas virtutes sibi comparent, quæ suis omnes exornantur sertis. Nam vt rectè dicit Cardinalis Damianus, Virtus in pace acquiritur, in persecutione probatur, in victoria approbatur. Cum igitur videmus oliuæ ramis coronatum, pacis videmus symbolum, quod concordiæ vinculo astringitur. Quamuis corona pacis sit admodum amabilis, nihilominus cum desinat in diuinæ mentis coronam, illa duntaxat in hoc vitæ stadio diligitur, quæ est propter aliam; idcirco diadema pacis ambitur, vt diuinæ mentis possideatur diadema in cœlo. Bonũ est coronari cœlestis cogitationis iride, quæ est pacis æternę origo. Coronatur in Apocalypsi Magister pacis cœlesti arcu, quo coronandi sunt Christi omnes discipuli, quòd tranquillos affectus & lenissimos animos quietis induerint in terris. Felices alumni, qui cum omni hominum genere tranquillissimè vixerint, nihil vnquam tumultus excitarint, pacem in omni cœtu prædicarint, illius surculos vbique

Serm. 40. in Assumpt. B. V.

feuerint, leniter cū amicis & inimicis egerint, se veros Dei filios præstiterint. Felices qui sine vllo fastu, Salomonis æmulos se gesserint, in Regio Christianæ pacis imperio. Fuerunt admirationi populis, delitiis virtutum amatoribus, magno religiosis consessibus ornamento, bono rebuspublicis & regnis exemplo. Euolarunt ab optimo tranquillitatis statu ad tranquillissimum cœlestis imperij domicilium, vbi mutarunt mortalem caducæ pacis statum in immortalem perennis quietis ordinem, quem diuinæ mentis sublimitas comitatur. In hoc non modò reges, sed etiam Dij, qui (vt loquar cum sacris codicibus) cogitant æternùm cogitationes pacis: loquuntur perenniter sermones pacis: agunt perpetuò actiones pacis: verè filij excelsi patris, qui viuunt in supremo felicium oliuarum sacrario, qui instar viginti quatuor Senum Apocalypseos suas coronas aureæ tranquillitatis ad sacrosancta Christi Domini, cœlestis agni vestigia deponunt, quique acclamant immortali Salomoni æternam pacem, suauissimum diuinæ mentis fructum.

Corona δεδιωγμένων ἕνεκεν δικαιοσύνης:

Corona patientiæ, corona æternæ vitæ.



SI Christianus hac corona patientię non potiatur, non debet conqueri, quòd nulla sit illius seges, sed suam accusare debet incuriam, quod illam colligere noluerit. Tota vita humana nihil aliud suppeditat, quàm argumenta patientiæ. Omnis ætas non caret illius fructu, si attendat, quia non caret eius labore. Ipsa hominis natura tam multis obnoxia est miseriis, vt nemo possit diu viuere sine corona patientiæ. Oppugnant hominem, aut mala insita naturæ, aut extrinsecus aduenientia, & in his, & in istis fortiter tolerandis, opus est patientiæ corona. Et certè nullus ad hanc vsque diem fuit sui compos & rex animæ suæ, sine æquanimitatis labore. Verissimum est oraculi cœlestis effatum, In patientia vestra *Luc. 21.*

possidebitis animas vestras. Hæc possessio cum patientiæ corona coniungitur. Neque vllus est sui moderator, multo minus victor, si tolerantiæ sertum negligat. D. Paulus sciebat, quanti erat pretij corona patientiæ & quàm necessaria homini: ait, Omne gaudium existimate, fratres mei dilecti, si in tentationes varias incideritis, illud non ignorantes, probationem fidei vestræ, patientiæ effectricem esse: patientia autem perfectum habeat opus, vt perfecti sitis, & integri, nulla re indigentes. Cùm dicat ὑπομονὴ ἔργον τέλειον ἐχέτω, per illud perfectum opus, corona patientiæ intelligitur, quę in æternę vitæ coronam, quę est omnibus suis partibus absolutissima, commutatur. D. Iacobus hac coronatos

Iacob. 5.

virtutę per beatos renuntiat: ἰδοὺ μακαρίζομεν τοὺς ὑπομένοντας. Volo audire S. Athanasium, qui mira dicit de coronatis patientia, quorum non fuit vltimus: nam vbi multa, & grauis persecutio, ibi multæ patientiæ coronæ. Ποῖος τοίνυν τόπος οὐκ ἔχει τῆς κακίας αὐτῶν ὑπόμνημα, &c. Quis igitur locus reliquus, qui non ipsorum improbitatis monimenta possidet? cuinam illorum sententiæ aduersanti, confictis, more Iesabelis, criminibus laqueos

Ad Imp. Constant. Apolog.

non pararunt? quæ Ecclesia non luget stru-
ctas ab illis, suis antistibus insidias? Hi om-
nes præsules patientiæ coronis exornati
fuerunt. Nonne Antiochia dolet ob Eusta-
thium confessorem, & orthodum? Bala-
neæ, ob admirandum Euphrationem?
Paltus & Antaradus, ob Cymatium &
Carterium? Adrianopolis ob Eutropium
Christi amantissimum? Deinde ob Lu-
cium, qui ipsorum opera sæpius vinctus
fuit, & in catenis mortem obiit? Nonne
Ancyra ob Marcellum luget? Berrœa ob
Cyrum? Gaza ob Asclepam? quos sæpius
antea contumeliosè habitos, tandem suis
dolis in exilium amandarunt. Nonne iti-
dem Theodulum & Olympium Episco-
pos Thraciæ? Quid autem de nobis ipsis,
nostrisque Presbyteris dicam? quorum la-
tebras eo studio inquisierunt, vt inuen-
tis nihil prętер mortem expectandum fuis-
set, quod de nobis quoque futurum erat, ni-
si feliciter elapsi essemus. Paulò post,
multas multis numeratis calamitatibus,
patientiæ coronas euulgat: Pacata ha-
ctenus Ecclesia, populoque in sacris
conuentibus orante, Liberius Roma-
nus Episcopus, Paulinus Galliarum
Metropolitanus, Dionysius Italiæ,

Lucifer Metropolitanus insularum Sardiniæ, Eusebius item Italiæ, omnes boni & præclari Episcopi, veritatis præcones, aguntur, rapiuntur, & in exilium mittuntur, nulla prorsus de causa, nisi quod Arianorum hæresi non essent suffragati. Quæritur vtrùm tiaræ horum antistitum, iis tantum honoris & gloriæ attulerint, quantum non vulgaris patientiæ stemmata & coronæ. Certum est gemmas patientiæ, gemmis mitræ esse splendidiores & nobiliores. S. Isidorus luculentam patienti coronam assignat: Qui autem, cùm iniuria affici nollet, illatam tamen tulit, nec quicquam eorum, per quæ eum, à quo læsus fuerat, vlcisci poterat, fecit: huic vtique, vt qui extremæ cuiusdam patientiæ documentum dederit, luculentior corona haud immeritò texi queat, *λαμπρότερος πλακείη στέφανος*. Idem alibi satis ostendit, quanto sit in honore habenda corona patientiæ, cùm quendam Serenum inuitat, vt non tantùm floribus Martyrum sepulchra exornet, sed vt eos imitetur, nimirum vt se eorum virtutibus & patientia coronet. *Καλὸν μὲν τὸ τιμᾶν τοὺς μάρτυρας τῆς εὐσεβείας τοῖς ἀνθήμασι*, &c. Pulchrum quidem est Martyres pietatis floribus & votiuis

Epist. l. 3. Ep. 225 Stratech. monach.

Epist. l. 1. Ep. 189.

uis donis ornare, vti facis. Pulch ius autem fuerit, eos per ea quæ cum virtute ac laude gesserunt, colere. Quamobrem quibus ornamenta obtulisti, fac iisdem quoque mores offeras. Quis Martyrum victorias enumerabit? quis laborum præmia? quis certaminum palmas? quis supra omnia insignis patientiæ coronas? licet quis nihil aliud pensi habeat, quàm vt duntaxat nominet, labor erit infinitus. Numerentur coronæ patientiæ, quas sunt promeriti Veteris patres testamenti, numerentur status gratiæ, celeberrimus suas in medium proferat Apostolorum Senatus, syluam videbimus. Quot syluas patientiæ, si omnes Martyres, Christique pugiles, suas ponant, spectabimus? Est necesse vt aliquas videamus, vt ipsam virtutem magni faciamus. Idcircò, vt notat B. Iustinianus, In Ecclesia quotidie Martyrum, Sanctorúmque recitantur agones, quatenus ipsorum animati exemplis, scutum arripiamus fidei, gladium sumamus spiritus, & spei galea, ac patientiæ lorica protecti nullatenus hostibus terga vertamus, quin potius viriliter reluctemur, eosque orationum iacu-

Opuscul. de contemptu mundi c. 18.

lis insequamur intrepidè, quoadusque propulsati dispereant, & pacatum sentiamus nostræ mentis habitaculum, atque ad susceptionem ęterni Regis decenter ornatum. S. Basilius in elogio quadraginta Martyrum, quadraginta patientiæ & constantiæ coronas bellè repræsentat: πάντες παραπλήσιοι ἀλλήλοις, ἴσοι τὴν γνώμην ἴσοι τὴν ἄθλησιν, διὸ καὶ ὁμοτίμων τῶν στεφάνων τῆς δόξης κατηξιώθησαν: omnes inter se mutuò similes, mente æquales, æquales certamine, idcircò & pacis gloriæ coronis donati sunt. Qualis patientia Martyrum? quanta fortitudo? quod animi robur? quæ constantia? erant corpora frigidissimis coronata aquis, sed erant animi mirifica coronati constantia: erant glacie vallata membra, sed amore cor septum erat diuini numinis & cœlestis ardoris: sanguis in venis gelabat, at in animo patientia non contrahebatur: ossium medullæ exarescebant frigore, at æquanimitas mentis reuirescebat: nerui constringebantur, at soluebatur charitas: dum destruitur fabrica corporis, construitur fabrica mentis: dum tyrannus vult priuare vita, coronat immortali

patientia, & vna donat patientiæ corona, quæ cryſtallum aquæ ſuperat, & gemmas cœli offert, & gemmas fortitudinis & inuictæ magnitudinis. Quàm benè ſapiens ait, Iuſtorum animę in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, & quod à nobis eſt iter exterminium, illi autem ſunt in pace. Et ſi coram hominibus tormenta paſsi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt: in paucis vexati, in multis benè diſponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. In his omnibus elucet corona patientiæ, qua Deus tanquam generoſos reges & patientes filios exornat. Hæc corona eſt in manu Dei, & in capite patientis, nec impiorum turma poteſt eam rapere: dum putat aridam impius coronam, tum maximè vireſcit: & quamuis iudicio ſceleratorum hominum, probi viri maiori pretio, quàm par eſt, coronam vitæ emere videantur, mul- *Sap. 1.*

tum errant, cum ea omnia, quæ fortissimi athletæ Christi in variis Martyriis passi sint, habita ratione præmij, nihil sit. *Ad Rom. 8.* Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quę reuelabitur in nobis, clamat Apostolus. Corona patientię tandem mutabitur in coronam vitæ æternæ, quam omnes iusti, & virtutis perstudiosi expectant. De hac corona vitę immortalis, bellè D. D. Chrysostomi discipulus in aurea epistola quam ad Episcopum Asclepium dedit. *Lib. 3. epist. Epist. 207.* Hoc in loco totam exscribere non grauabor: *Ἡ ὑπερκόσμιος λῆξις, &c.* Cœlestis illa sedes, illa, inquam, bonis omnibus perfusa, molestiisque omnibus inuia, *Ἀθυμίας ἄγονος, γλῶτταν καὶ ἀκοὴν καὶ νοῦν ὑπερβαίνουσα.* illa mœroris expers, & lætitię omnis parens, illa linguam & aures, ac mentem excedens, iis videlicet, qui præsens vitæ certamen legitimè confecerint, præparata, acerbitatum huiusce vitæ ne sensum quidem habere patitur. Eaque de causa, ipsorum antesignanus clamabat, non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Nam cum certaminis Arbiter, pręmiorum quæ rependit magnitudine, labores longo in-

interuallo superet, tantamque voluptatem immittat, quantam eos, qui hæreditate cœlesti fruuntur, habere par est, minimè mirum videri debet, si mundi molestias ipsi nullo loco ac numero ponant. Idem S. scripsit aliam epistolam ad Ischy- *Lib.4.Epist.* rionem presbyterum, in qua ostendit coronam vitę æternæ non posse hac in vita rectè ab hominibus comprehendi. Et in *L.2.Epist.* Epistola ad Olympium Diaconum, di- *Ep.24.* uina eloquitur, Δῆλον μὲν γὰρ, ὅτι τῶν μὲν ἀγώνων καὶ τῶν ἄθλων στάδιόν ἐστιν ὁ παρὼν βίος, τῶν δὲ στεφάνων καὶ τῶν ἐπάθλων, ὁ μέλλων. Perspicuum enim est, certaminum ac laborum studium hanc vitam esse; coronarum autem & præmiorum, futuram. Et in epistola ad Timotheum lectorem: Ex iis certami- *L.Epist.* nibus, quæ abs te obeuntur, vir eximie, *Ep.4.* hoc persuasum habe, res præsentes velut stadium quoddam, quod in aspectum minimè cadat, proponi: in quo, nobis non cum sensibilibus feris, sed cum perturbationibus, quæ animo & ratione intelliguntur, certamen est. Quę quidem si robur illud, quo prędití sumus, superent, non corpori duntaxat periculum creant,

verum ipsi animę mortem accersunt: sin autem superentur atque in fugam se conuertant, ingentes coronas ac prędicationes consequemur. Et quidem hîc quoque persæpe, post autem, omninò. Quandoquidem futuro æuo præmia concredita sunt, quemadmodum huic stadia & arenæ. Quis iam non colligat, resumatve animos in hoc mortali stadio, cum sciat vnicuique Christiano pugili, si fortiter se gesserit in certamine, fore vt æterno coronetur sanctæ beatitudinis diademate. Quid languescunt athletæ ad perennis vitæ cidarim? tam multa, tamque grauia subierunt olympici pulueris victores vt caducam è frondibus arborum coronam perciperent, Christiani verò pugiles, ne quidem mouere digitum curabunt, vt sempiterna laurea donentur? Propter brauia, vel ex auro, vel ex argento, vel nonnullis distincta gemmis, centies in stadium, vel cum discrimine capitis, descenderunt: Christiani athletæ non descendent in arenam virtutis, vbi nullum est salutis periculum, imò vbi est vitæ securitas, & quidem propter æternæ felicitatis patrimonium. Habe-

bit, quod ad se pelliciat è floribus sertum, è metallis corona? non habebit, quod inuitet perennis vitæ diadema? Felix qui vitam quæret in corona sanctitatis, calamitosus qui mortem reperiet in auro fraudis. Primus viuet sub Christo capite in cœlis, secundus morietur sub erroris vmbra, in exilio mortis.

Felix, qui his octo beatitudinum coronis exornatur; nam nona debetur illi æternæ felicitatis corona.



OT, & tantis, Christi pugil, & Academicus, coronis nobilitatus, ex humano victor stadio discedit in cœlum. Excipitur à magno SuperûmAgonotheta, ea humanitate, eaque beneuolentia, qua Pater æternus triumphantes filios suscipere solet. Accinitur coronato pugili à beatis mentibus epinicion, quod laudes octo diuersorum certaminum facilè complectitur. Triumphat Christi alumnus in cœlesti Olympia, de octo monstris sua

virtute domitis: Vi paupertatis spiritus, de mentis elatione, nimioque fastu: titulo mansuetudinis, de furoris æstu, & barbarie: cursu piarum lacrymarum de insolenti profusi risus genio: fame, sitique veræ iustitiæ, de iniquissimorum iudicum tyrannide: beneficio misericordiæ, de ferrea inhumanitate: purissimi cordis integritate, de infami libidinis dominatu: pacis opera, de Martis immanitate; armis patientiæ, de impotentis animi seditione. Hæc sunt trophæa Christiani militis, quæ nomen scriptum in libro vitæ, immortalitati consecrant. Hæ sunt palmæ generosi pugilis, quæ in manibus perpetuò virent. Hæ sunt Christi Academici coronæ, quibus caput ad omnem æternitatem cohonestabitur. Hæc sunt præmia laborum & vigiliarum. Sed quæ est Domini Iesu benignitas & magnificentia, non illi satis est, suum triumphantem alumnum octo beatitudinum coronis exornare: sed quod amplius est, illas octo coronas admirabili quadam corona, quæ his omnibus est longè nobilior, & pretiosior, claudit & illustrat. Perennis beatitudinis corona

eſt, quæ omnium virtutum, earúmque actionum metà dicitur: hac Chriſtianæ gentis pulcherrima quæque facinora terminantur, ſi cœlum attingant: hac ſancti Reges, abiectis in terræ ſolo diadematis, coronantur: hac filij Dei inſigniuntur: ob hanc vnam, tot & tanti labores exantlantur, difficultates abſorbentur, aſperrima tolerantur, ferrea deuorantur: ob hanc vnam piè viuitur & æquiſſimè. Hæc æternæ felicitatis corona, corona eſt coronarum, diadema diadematum. Hac exornatus noſter Academicus, gerit in capite trium *ἱεραρχιῶν* inſignia, quæ in nouem choros Angelorum facilè diſtribuuntur. Quàm glorioſum caput, quod nouem coronis inſignitur: quod gemmis paradiſi nitet, quod cœli radiis refulget, quod Dei fulguribus mirificè radiat. Verè beatus Chriſti diſcipulus, nouem ob titulos rex eſt dicendus: verè imperat in Deo, & Deus in illo: verè bonum eſt vitæ corona frui, quæ Chriſti eſt: Benè S. Petrus, *κομιεῖσθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον*, referetis coronam gloriæ quæ nunquam emarceſcet. Tandiu durabi *Epiſt.1.c.5.*

corona, quandiu caput, at immortale, contra vetustatem senilis temporis, coronabit immortalis: in æterna vita rerum omnium beatarum stat immortalitas.

De Coronide Beatitudinum pius sequitur labor.



CORONIS

BEATITVDINVM sacræ Christi Academiæ:

Vbi cœlestium Academicorum Laureæ, expensis æternæ felicitatis bonis, explicantur.



IMMORTALIS SACRÆ CHRISTI ACAdemiæ Laurea.



CADEMICVS labor apud prophanos, ſuo non caruit premio. Multò minus apud Christianos, negata eſt laboranti merces. Humanæ ſatis commodè ſolutum eſt præmium induſtriæ: at diuinis Chriſti laboribus, qui hac in noſtra docuit Academia, quis faciet ſatis? Nemo mortalium, Angelorum nemo. Sibi ipſemet ad voluntatem ſatisfaciat, & immortali Magiſterij laurea ſuam ſacroſanctam coronet humanitatem. Dum iſtius cœleſtis palæſtræ diſcipulos,

Nullus labor ſine mercede.

Chriſtus ſuam coronauit humanitatem.

Æterna laurea. laboreſque intueor, æternùm vireſcentes laureas, quibus ab æterno coronantur Magiſtro, demiror. Fortunatiſſima ſanctorum alumnorum corona, quæ tam feliciter *Benè poſita opera floret. Neminem pœnitet Deo ſeruiiſſe.* tuam hoc in Chriſti lyceo poſuiſti operam: ſemel, & iterum, & ſępius beata, quę tantum, tamque nobilem doctorem audiiſti. Nunquam tui laboris pœnitebit, nec tuæ in ſtudiis aſſiduitatis. Iam pacto frueris *Partus fructus dulcis eſt.* & fructu, & gaudio: immortalem tenes coronam & lauream, quę nunquam ſuæ dignitatis formam amittet, quia nunquam defluet, nec areſcet. Glorioſi au-*Nobilior labor Chriſti alumnorum, quàm antiquæ memoriæ Academicorum.* ditores Domini mei, habetis quod veſtris ſortibus gratulemini: habetis, quod vos Chriſti alumnos prædicetis, quod vos cæteris Academicis anteponatis, quorum fructus, vel nulli fuerunt, vel certè fu-*Minutus labor, aut nullus philoſophi ethnicorum.* tiliſſimi. Quid profuit Ariſtoteli, Platonis, quem diuinum vocauit antiquitas fuiſſe diſcipulum? quid Theophraſto, Ariſtotelis, quem alium naturæ genium Senatus Philoſophorum, honoris cauſa, nominauit? quid Porphyrio, Plotini, quem ſuſpe-*Inanes ſcholæ. Vana omnia vbi de ſalute animæ non agitur.* xit Alexandria? quid Iuliano, Libanij, alterius apis Atticæ? nihil ad ſalutem, nihil ad ſempiternum decus animorum, nihil ad heroicæ virtutis momentum, nihil ad glo-

riosum insignis gloriæ theatrum. At vos felices, qui Magistrum in terris audiistis Angelorum, quem iam in cœlis hominum coronantem genus videtis, & amatis. Felices, quos diuina erudiit Sapientia, non ad tempus, sed ad æternitatem: non ad sensum, sed animum: non ad futilem oblectationem, sed ad vtilissimam honestatem: non ad mundi vanitatem, sed ad cœlorum hęreditatem. Iam experimini nobiles alumni Christi mei, quàm bonum sit in terræ domicilio, tanti Doctoris esse discipulum, cuius est docere virtutis viam, & eandem coronare. Laureatis laboribus laureatum repensum est præmium. Quamuis iusta fuisset plurimorum laborum merces, docentem audire Christum, eiusque diuina excipere oracula: nihilominus præter traditam vobis doctrinam, illius quoque fructus suauissimos communicauit. Longè meliores vestrę sunt sortes, quàm reliquorum Academicorum, quorum, vt plurimùm, inania sunt studia, vanus labor, nullus fructus. De vobis, déque vestrę felicitatis laureis, vaticinatus est regius vates, quę oracula verto in coronas, iisque in beatitudinum meta, mihi vestra capita coronare liceat. Decet octo

Felices discipuli.

Alumnus sapientia beatus.

Docere virtutem, diuinum est.

Laureato labori datur laureatum præmium.

Felices sortes.

Metamorphosis sacra.

beatitudinum discipulos ad nonam quandam beatitudinem deducere, vt cum nono beatarum mentium choro, sempiterno beatitudinis æuo perfruantur.

Nona beatitudo.

Coronis Beatitudinum,

Cœlestis Beatitudo.

Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Psal. 83.



ERTVM est, beatos esse, qui de se humiliter sapiunt, qui mansuetudinem alunt, qui piis in lacrymis versantur, qui fame sitique iustitiæ premuntur, qui commiserationum opera in alios exercent, qui cordis integritati summè vacant, qui pacis munia obeunt, qui difficillima quæque, propter vnam æquitatem, generosè subeunt: at quandiu adhuc inter mortales viuunt, nondum omnibus suis partibus absolutam beatitudinem attigerunt. Sunt in via, sed nondum in patria: sancti dubio procul viatores,

Octo beatitudinum chorus.

In terris nulla beatitudo perfecta.

Sancti viatores, beatitudinum amatores.

viatores, sed nondum ciues, reapse cœlestem incolentes Hierusalem: cum bona spe ad ciuitatem Dei, magnis meritorum passibus accedunt, & nihil aliud boni discipuli anhelant, quàm Christi Iesu, sui Magistri iucundissimum aspectum. Verè iam omninò beati, cum octo gradus Beatitudinum superarunt, & exuti suis corporibus in nono gradu conquiescunt. Verè beati alumni cum nec ampliùs in ænigmate, nec opera speculi, supremum numen vident, sed facie ad faciem, vt ait D. Paulus. Beati, vbi sacratissimam & augustissimam Triadem intuentur, vbi supremum genitorem, æternum Filium, sanctum Spiritum, vnicum Deum possident: vbi hypostaseon varietatem, vbi generationem Filij, vbi emanationem Spiritus sancti, vbi bonitatis fontem, sapientiæ originem, potestatis arcem, vbi veritatis, vbi immensitatis, vbi iustitiæ, vbi immortalitatis, vbi misericordiæ, vbi pietatis, vbi religionis, vbi virtutis, vbi gratię, vbi glorię, vbi æternitatis, vbi famæ, vbi nominis, vbi sanctitatis, vbi omnium bonorum caput & radicem tenent. Beati discipuli, qui in vno Verbo perfectissimè vident, quod terreni dis-

Spes alit discipulos Christi.
Passus meritorum.

Verè beati qui octo gradus beatitudinum superarunt.

Verè beati, qui Deum vident.

Possessio sanctæ Trinitatis, vera beatitudo.

Possessio æterni boni.

Bonorum omnium caput Deus.

Videntur in Verbo, quæ non videntur in libris.

cipuli nunquam viderunt in terrenorum Magiſtrorum libris, vident in libro vitæ omnes res creatas, earum cauſas, effe-ctus, aliáque adiuncta. Vident, quod non cernunt Poëtæ in metris: & in hoc beati. Vident quod non aduertunt Rhe-tores in orationibus: & in hoc felices. Vident quod non intuentur Dialectici in ſyllogiſmis: & in hoc beati. Vident quod non obſeruant Phyſiologi in natu-ra: & in hoc felices: vident quod Ma-thematicis ignotum eſt, quod Theologis obſcuriſſimum, quod iuriſperitiſſimis tectum, quod hiſtoricis caliginoſum, quod ab omnibus literatis, & ingenio-ſiſſimis hominibus intelligi nequit: & in hoc omnium fortunatiſſimi. Vident in Deo, quod acutiſſima mens Ariſtotelis ne quidem leui cogitatione potuit attin-gere, nec Marcus Tullius ſomniare, nec in terris verſans D. Auguſtinus tan-tillum delibauit, nec S. Thomas leuiter eſt aſſequutus: quamuis mira, hæc duo ſacrarum literarum columina, de regno Dei, dixerint, ſcripſerintque. Ita me Deus amet, niſi ea omnia, quæ de æter-na beatitudine memoriæ tradita ſunt,

Liber vitæ. *Terrenæ viſiones variæ, ſed exiguæ; at æternæ infinita.* *Poëtæ.* *Rhetores.* *Dialectici.* *Phiſiologi.* *Mathematici.* *Theologi.* *Iuriſperiti.* *Hiſtorici.* *Mens Ariſtotelis.* *Tullius.* *D. Auguſtinus.* *S. Thomas.* *Duo Eccleſiæ lumina.*

ſint inſtar picturæ , quæ vmbra eſt , cum rei veritate comparata. Quomodo non proclamarentur beati illi diſcipuli , qui poſtquam in terris beati dicti ſunt , propter varias ſingularium virtutum exercitationes & ornamenta , & quòd eſſent Chriſti Domini auditores , tantos habuerunt proceſſus in ſacra Doctoris hominum & Angelorum Academia, vt ad cœlos euecti , æternis magiſterij laureis donati ſint ? Beati diſcipuli , quorum intellectus eſt Deo plenus , plenus ſcientia Sanctorum , plenus admiranda luce, plenus lumine gloriæ , plenus ſole iuſtitiæ, plenus veritate.

Nemo attinget beatitudinis bona quandiu hic viuet.

Intellectus plenus lumine.

Scientia Sanctorum.

Beatitudo Intelléctus, prima veritas.

Primus discipulorum Christi fructus, in hac laurea Beatitudinum.



Es est valde nobilis, hominis intellectus. Hoc probat intelligens illius natura, illius in agendo celeritas, sagacitas, inuentiones, artificia, actiones, monimenta, immortalitas. Ista non attingo, mihi satis est illius, quod Philosophi vocant, obiectum, modò intueri, & accuratiùs considerare. Veritatem appellant, & meritò, nam reuera dignum est tanta mente ornamentum. Illud vnum est, ad quod humana mens fertur, vti acus magnete tacta, ad clarissimum septentrionem. Tanta est cum veritate mentis agnatio, vt non tam sibi nata videatur, quàm veritati. Non potest quiescere, sed continuò mouetur, & veluti naturali fluctu agitatur, donec ipsam repererit veritatem,

Hominis intellectus nobilis.

Virtutes intellectus. Insignia.

Obiectum intellectus veritas.

Magnetis vis.

Mens nata veritati.

in cuius sinu non alio modo quiescit, quàm infans in gremio matris, aut in elemento maris delphis. Mirum est intelligentis facultatis pondus, singulare momentum: cum semper eò vergat, nisi deprauetur, quò veritas inclinat. Est de natura argenti viui, amat aurum veritatis, & cum eo coniuncta, hæret tranquillissima. Non malè vocabis mentem hominis, aureum annulum: veritatem, gemmam: quas partes magnus ille naturæ opifex ita concinnauit, vt coniungi velit. Amat in sua imagine insculptam intueri veritatem, vtpote paruam sempiternæ veritatis effigiem. Quid pulchrius hoc insigni naturæ annulo, sua pretiosissima distincto gemma? res est vna è pulcherrimis, intueri hominem in omnibus veritatem inquirentem: eam præsertim, quæ non est tantùm contemplationis, verùm etiam exercitationis. Mirum, quantum, laborandum sit in vno vero inuestigando, eò quod sit, à peccato originis, tanta rebus offusa caligo, vt infinita falsitatis & mendacij plena illud circumsepiant, & sæpius inuoluant. Quantus sit labor in ramentis ex auri vena, vel argenti, eruendis, fossores metallici sciunt. At longè maior est in eruenda è naturis rerum veritate.

Quies mentis in sinu veritatis.

Pondus mentis, veritas.

Argento viuo similis veritas.

Aureus annulus cum gemma.

In Dei imagine sculpta veritas.

Res pulcherrima, veritatis inuestigatio.

Veritas θεωρητικὴ, & πρακτική.

Ingens labor in quærenda veritate.

Ardua est auri inuentio.

Reperto aliquo veritatis signo, homo non est sui compos.

Non etiam mirandum est, si reperto aliquo illius in liberalioribus artibus signo, homines vix sui sint compotes. Deus immortalis, quis aperiet intellectus humani beatitudinem? quis illius lætitiam oratione complectetur? quis illius voluptatem assequetur? vbi steterit in cœli domicilio, vbi veritatis accensas faces, numero immensas viderit: vbi tot stellas, tot ignes, tot flãmas germanæ scientiæ aspexerit, vbi principem veritatem, beatarum mentium solẽ,

Sol intelligens. Quanta vis radiorum in cælo mentem illustrat.

Intelligentiarum æternum lumen, omnis sapientiæ fontem intuitus fuerit: vbi velum fidei amotum, vbi solutum ænigma, vbi fractum crystalli speculum, vbi cum obscuritate falsitas, cum vmbra opinio, cũ tenebris mendacium exularit: vbi quod tandiu quæsiuit, inuenerit. (Mi Deus, ad hanc cogitationem tota mea mens gestit & exilit:) tunc hominis mens, lumine gloriæ instructa & mirabiliter exornata, admiratione

Primæ veritatis solutus rapit mentem & absorbet. Tunc aperientur thesauri perennis sapientia. Quis pastus mentis veritas?

defixa obstupescet, & in primæ Veritatis obtutu hærens, ad omnem æternitatem, à tam amabili & admirabili spectaculo non auocabitur. Tota cum glorioso stupore adhærescet æternùm vero, & mirabitur thesauros sapientiæ & scientiæ reconditos: pascet se Dei lumine, & veritate: vigilabit

verbo, & vigilando leniter quiescet: nunquam molesta erit Diuini numinis contemplatio, semper gratissima, semper omni dulcedine referta: absorbebitur humana vis intelligendi à tot, & tantis, tamque egregiis notionibus: cœlestis aquila euadet, & in solem iustitiæ intuens, ea videbit, quorum nulla sunt apud mortales vestigia. Æternas veritates, altas, sublimes, diuinissimas, recognoscet: distinguet vera à falsis, clara ab obscuris, Dei oracula ab hominum mendaciis: vno intuitu omnes artes, & disciplinas, tam inferioris, quàm superioris ordinis cernet, & humanos errores, humanasq; omnium literatorum ignorantias obseruabit: veras rerum causas, & effectus, motus, qualitates, actiones, & alia id genus, perfectè tenebit: quoad statum huius mundi, & operum ordinem, nihil illius obtutũ effugiet: vndiq; beatã illam mẽtem radij veritatis & fulgores cõmeabunt: vndiq, fulgebit intellectus. Videbit nunquã melius, quã in eo beato statu, cur mẽtis obiectũ sit vna veritas. Videbit quomodo prius in vita fragili ac caduca vult supremus naturæ author, vt ponatur tyrociniũ, in inquirẽda prima veritate, accensa face fidei, & in aliis cęterarũ rerũ homini perutiliũ inquisi-

Cœlestis aquila.

Sol iustitia.

Veritas triumphabit de omni falsitate.

Quàm multæ artes aperientur.

Nunquam mens tam lyncea fuit.

Ibi veritatis regnum est.

Singulari providentia in motionum ordine.

tionib. excitata rationis vi & lumine. Videbit singularē in hoc ordine prouidētiā. Sed quid in reliquis hæreo veritatibus, quæ licet humanam mentem recreent & detineant, nihilominus satisfacere nequeunt. Ad vnam, quotquot sunt, veritatem deducunt, qui Deus est. Hic est finis, hæc meta omnium animorum. Hæc est princeps veritas, verum obiectum, vera quies, vera beatitudo vis intelligentis: qua quidem obtenta nihil amplius appetit, qua desiderata, non quiescit. Acquiescit igitur primæ veritati beata mens, & lac sugit de Matris vbere sapientiæ, quo irrigata ad Cherubinorum morem fit πολυόμματος, cernitque ea, quæ hominum in sensus non incurrunt, cernit Deum, & omnia in Deo vera. Quid dico, quando dico Deum cerni à mente perbeata? non dico, per rerum creatarum specula, non per conditas species, non per imagines temporum, non per sensibus obnoxias figuras, sed dico ipsummet supremum numen ab humano intellectu lumine gloriæ illustrato, nulla re alia interposita, planè videri. Quæ voluptas? quæ gloria? quæ dignitas potentiæ? tanto, tam felici, tam perfecto, tam augusto cum obiecto, arctissimè coniungi. Fa-

Princeps veritas, Deus

Princeps mentium obiectum.

Beatitudo intellectus.

νοῦς μακάριος.

Mira videt mens beata.

Deum videre, ô quantum bonum.

Felix & perfecta visio.

teor omnium facultatum cum suis obiectis suauissimam esse coniunctionem. Quem fugit mirum in modum oblectari oculum, cum tabulam eleganter pictam intueatur? quem latet, animum hominis post diuturnam alicuius rei inquisitionem in humanis artibus, eámque tandem repertam, mirificè ex eius contemplatione recreari? quanto magis eadem mens immortalis recreatur, cum aliquid scienter videt in rebus diuinis? Verùm nemo mortalium, nondum liber à corpore, quanta sit eiusdem intelligentis facultatis lætitia, quantave delectatio, cum primariam veritatem contempletur, explicabit: quod potest, illud est, ex aliis, siue sensuum, siue facultatum, cum obiectis, & quidem perfectissimis, coniunctionibus, eruet cognitionem, qua longè superiorem cogitare nitetur, vt aliquid de cognita humanæ mentis in cœlo beatæ felicitate concipiat. Verùm infinitis semper distabit ab illa voluptate, interuallis. Vsquedum inanes literati, tanti facietis earum artium, quas profitemini, somnia? vsquedum tantos labores exantlabitis, in quærendis phantasmatum imaginibus? multum temporis, & operæ luditis in consuendis fabularum inuolucris: florem æta-

Suauis est consensus potentiæ cum obiecto coniunctio. Oblectatio oculorum.

Diuinandum est. Sensim ab vna notione ad aliam fit ascensus.

Ad mundanos literatos. τεχνῶν ἐνύπνια.

Minutus & futilis labor.

Minutiæ prophanæ Palladis.

tis & ingenij robur absumitis in minutiis Palladis: hic laborat in Scylla, ille in Charybdi: hic telas aranearum texit opere poëtico, ille gnauiter inquirit, quæ fuerit mater Hecubæ: hic scribit vmbram, lanç caprinæ, ille Lunæ cornua: hic politiam mundi cœlesti præfert, ille omnes fortunæ casus fato ascribit: hic pascit auras & ventos, ille totus est in horoscopis: hic totus est in lineis, & punctum æternitatis negligit, ille studet alchimiæ: hic in sermone flores quærit, ille scriptis vanitatem sectatur. Vos miseri, si veritatis artes non agnoscitis: miseriores, si agnitas contemnitis: misertimi, si ad perennem illam æternæ sapientiæ veritatem non aspiratis! Nolite veritatis amatores hanc hominum, qui literati volunt haberi, turbam sectari, nolite: sed pergite in Christi Academia, studere sacris disciplinis, quæ sensim ad Sancta Sanctorum deducunt, vbi gloriosa sanctæ ciuitatis audiuntur oracula. Si olim Regina Sabæ beatos Salomonis domesticos pronuntiarit, quòd illius sapientis Principis sermonibus interessent, quòd illius effata audirent, sententias & axiomata notarent: quanto feliciores sunt beatę mētes, quę non in vnius mortalis, sed

Inanes operæ.

Calamitosus status ingeniorum.

Bonum & germanum sacrarum literarum studium.

Sacra veritatis oracula.

Salomonis sapientia magno fuit in pretio.

immortalis Salomonis audienda sapientia: non in hominis auscultando sermone, sed in vnius Dei excipienda scientia versantur? Hæc est intelligentium vita, prima veritas: hic pastus mentium, hæc voluptas animorum, hæc solertis & ratiocinantis facultatis beatitudo, qua si semel frui possit intellectus, nihil illi restat optandum, nihil concupiscendum.

Immortalis Salomonis longè superiores artes.

Vita intelligentiarum veritas.

Beatitudo voluntatis, prima bonitas: secundus discipulorum Christi fructus in hac laurea Beatitudinum.



D voluntatis beatitudinem, quæ summa est bonitas, accedo. Docent me Philosophi voluntatem esse facultatem omninò præstabilem, cuius imperio reliquę subiacent, quæ parere sciunt, cuius ad nutum paruus hic corporis & animi status regitur, cuius tanta est libertas vt nulla res creata illi vim inferre possit. Illam regi-

Tenet hac facultas imperij habenas.

Voluntas regina.

Paruus mundus.

Libertas aurea.

nam vocant, & suo coronant diademate, sceptrum & purpuram, germana imperantis insignia tribuunt. Non possunt illius imperium satis mirari, cum tantum sit, vt ab eo, quod velit obfirmato animo, nec vis humana, neque virtus angelica, abducere queant: contrà, quod verè nolit, ad illud amplectendum frustrà impellet rei creatæ industria. In hac parte, quantum sit istud ab immortali Deo donum, & ab homine acceptum, nemo hactenus magnorum virorum expendit accuratiùs, qui non magnoperè obstupuerit. Ista regia facultas animi mirabiles diuini numinis characteres gerit, & suo in apparatu grauissimam præ se fert maiestatem. Licet sit adeò nobilis, nihilominus cæca est: idcircò suum habet ab authore naturæ designatum phosphorum, qui continuò illi prælucet. Benignum illud intelligentis potentiæ sidus ab illius vultu nunquam recedit, & clarissimis affulgentibus radiis, quæ fugienda sunt, quæve amplectenda, ostendit. Quid facit voluntas, suum sibi innatum genium sequitur, & ad quid suopte nutu feratur, apertè patefacit. A malo cognito, tanquam à peste penitus abhorret, & ad bonum, velut ad centrum grauitatis fertur. Agnoscit

Robur & fortitudo voluntatis.
Tantum Deo subiacet.

Facultas regia.
Regij characteres.

Cæca est voluntas.
Assignatus voluntati suus phosphorus.
Sidus intellectilis potentiæ.

Intellectus, innatus voluntati dux.
A malo abhorret voluntas.
Bonum, voluntatis centrum.

illicò beneficio mentis, cum quo coalescere debeat: sentit in se suum pondus, nimirum amorem, & ad quid moueatur: experitur occultos ignes, qui ad boni præsentiam exardescant: quò se inclinet rationis compos appetitus, non eam fugit. Non contendit mediocriter ad bonum, sed ad illud currit instar cerui, volat more aquilæ. Fugit extra se, vt cum obiecta bonitate coniungatur penitissimè, imò vt iisdem, quibus tincta est coloribus, tingatur. Neque illi satis est, nisi tota sit illi similis. Tunc hæc facultas priuatis naturæ bonis fruitur, & si Christiano more sapiat, priuatis quoque gratiæ donis vtitur, quibus allicitur ad summum omni studio bonum inquirendum, cum reliqua huius vitæ bona cor afficiant, non impleant. Cœlestem init viam, qua diuinæ ad bonitatis thronum ascendat: interim quodcunque bonum est in terris, fouet, non ei verò, tanquam vltimo voluntatum & desideriorum fini, adhærescit. Auditur sæpius illa vox, in Christi Academia, sanctissimæ voluntatis, & quamuis tacitè sonet, auditur tamen: Mihi adhærere Deo bonum est. Deus pater optimus, tandem votis petentis annuit, & ad beatorum sedem transmittit. Ibi humanæ

Amor, voluntatis pondus.

Occulti ignes.

Extra se fuga.

Bona naturæ.

Bona gratiæ.

Humanæ vitæ bona cordi non faciunt satis.

Vox sanctæ voluntatis.

Summum bonum, obiectum beatæ voluntatis, Deus.

Bonum, in quo omne bonum, Deus.

voluntati, bonum, in quo est omne bonum, & sine quo nihil bonum, detegitur possidendum. Quid dicam? nescio: quid scribam? vacillo: vnde incipiam? quò progrediar? vbi desistam? doce me, summum bonum sine quo nihil in mente bonum, nihil in calamo bonum. Beatę animæ voluntas, præuio intellectu & lumine glorię, à summo bono rapitur & absorbetur, tantóque vehemẽtiùs & ardentiùs, quantò maior est illius vis gratiæ & charitatis, cui diuinę bonitatis ardor, & gloriæ magnificentia respondet. Ad infinitæ bonitatis præsentiam & intimam summi boni coniunctionem, cognita olim in terris minuta bona, instar scintillarũ è foco exiliẽtium ad solis radios collucentes, statim extinguũtur, & pereunt.

Raptus voluntatis à summo bono.

V. gratiæ, respondet fulgor gloriæ.

Corona voluntatis beatæ.

Radiis diuini amoris beata voluntas ligatur.

Coronatur voluntas immensitate perennis boni, & cum illo penitus coalescit, totq; radiis æterni amoris vincitur, quot sanctitatis gradus in se continet. Ad voluptatem fruitur bonitate genitoris, bonitate geniti, bonitate Spiritus sancti. In ęterno sacrosanctę Triados gremio quiescit, vnde fons salit æternus omnium bonorum parens: vnde liberalitas gratiarum continuò fluit: vnde sanctorum amorum examina: vnde balsamum gratiæ: vnde nectar ambrosiæ dulce-

O cumulum Triados bonorum.

Sacrorũ amorum examina.

dinis: vnde aromata sanctitatis: vnde flores pulchritudinis: vnde fructus æternæ beatitudinis. Quiescit filia in sinu bonitatis, & bono fruitur, in quo bona omnia, naturę, gratiæ, gloriæ, facilè continentur. Bonum, quo fruitur, non est metallorum bonum, non stirpium, non florum, non arborū, non piscium, non animalium, nō auium, sed aliquid melius, & infinitis partibus nobilius: non est quod cum vniuscuiusque rei creatæ natura cōuertitur, sed aliquid multo pręstantius: non est quoddam elementum, nec ex iis compositum, nec ex quinta, (quam vocant Græci οὐσίαν) conflatum, sed aliquid longè sublimius & vtilius: non est quidpiā, quod genere constet & differentia, nec humanum est, nec Angelicum: at bonum est simplicissimum, supra omnia bona bonum, ex quo quicquid boni, mundi partibus communicatum est, defluxit: cum quo comparatum, quoduis aliud bonum, boni naturam amittit, tam verum est sacri codicis oraculum, Nemo bonus, nisi solus Deus. Illa est beatę voluntatis quies, æterna quies in æterni fruitione boni, quam nulla res aliò auocare potest, nec vllo modo turbare. Quid turbaret? vbi pacis est imperium. Quid auocaret? vbi non datur maius

Sinus bonitatis in Deo.

Quale bonum, quod est supra omne bonum.

Quicquid est, in natura bonum est.

Ens bonum est, & bonum, est aliquod ens.

Quære quod est bonum æternum;

Bonum simplicissimum.

Fons omnium bonorum.

Quies voluntatis in summo bono.

Pacis regnum in summo bono.

Quies in elemento.

bonum. Videmus quamcunque rem suo quiescere in elemento. Quis vnquam vidit lapidem à centro terræ, suopte ingenio recedere? Quis piscem aquas fugientem? quis aues aërem declinantes? quis ignem infra aquas descendentem? quis terram supra nubes volantem? non hic est ordo rerum, quia non est genius. Attamen hæc omnia citius fierent, quàm vt felicis animæ voluntas à fruendo summo bono, ad aliud amplectendum se conuerteret, quodcunque sit extra Deum bonum. Neque leuis est hac de re mentis cogitatio, nedum suspicio. Immergit se penitus voluntas in diuinæ pectus bonitatis, exardescit incredibili amore boni, illo fruitur ad omnem voluptatem, bibit æternos amores, & in castissimos virginalis pulchritudinis amplexus, concipit amabiles flammas, & dilectas sponso parit, afflat vigiles sui sinus ignes, & sacras præstabilissimæ mentis animas recipit, plena diuinis amoribus tantùm Deum respirat, amat vnicè perenne bonum, eius ardore flagrat, liquescit, vbertate tantæ bonitatis cordis alueus superef- fluit, restagnat (si quid audacter liceat calamo) immenso voluntas amore. Hîc sanctam videas ebrietatem, quam creat in voluntate

Est pondus in rebus.

Non recedit à summo bono voluntas beata.

Æternos voluntas bibit sacri amoris ignes.

O bonitatis arcana.

Quis in Oceano summi boni vadum quæret?

voluntate diuina bonitas, hîc torrentes voluptatis, hîc multitudinem dulcedinis, hîc aquam viuam salientem in vitam æternam, hîc amoris ignes, quos non extinguat vnus Oceanus, hîc summi Patris liberalitates, hîc augusti sponsi cœlestes blanditias, hîc sancti Spiritus miras communicationes. Amat voluntas summum bonũ, quantum in se est, & in eo summè diligendo longos æternitatis ducit soles, viuit in illius amore, nihilque aliud spirat, ex illo spiritum trahit, afflatque sanctitatem, semper nouo flagrat amore boni, nec vnquam fastidium nascitur, imò noua oblectatio semper exoritur. Quomodo continuam non pateretur extasim, dum illo fruitur bono, cuius boni, totus hic terrarum orbis, tantùm est vna scintilla, cum tamen nobis immensum bonum esse videatur? Totũ bonum, quod creatum est, cum increato comparatum, vna est aquæ gutta, cum Oceano comparata. Nec solum hoc, nam finiti ad infinitum nulla est analogia. Et vos filij hominum vsquequo terræ manubias amabitis? vsquequo cordis primitias, diuitiis offeretis? honori, voluptati, litabitis? arcus & sagittas cœco puero cõsecrabitis? quid amatis terræ pondus, cum vobis cœlũ leue sit?

Torrentes voluptatis fluũt.

Bonitatis fontes.

Bonitatis Oceani.

Soles æternitatis.

Nullum in possessione summi boni fastidium.

Finiti ad infinitum nulla est proportio.

Amor vilis hominum.

Ad mortales apostrophe.

quid honoris fumum, cum noceat oculis? quid voluptatibus hæretis, cum earum visco capiamini? quid lutulentam bibitis aquam, cum pellucidos liquores fontium teneatis? laruata species adulterinorum bonorum vos decipit, & fucatas merces vobis diuendit: num videtis spuria bona illicò deteri, & absumi? quid facitis, cum instar puerorum, post coloratos papiliones curritis: quid ex illa præda datur emolumenti? multus labor, frequens casus, & sæpius nulla venatio. Si contingat, totus erit fructus, capto papilione, perleuis pictura digiti, quam pennæ volucris imprimunt. Hæc est genuina imago eorum omnium, qui fucata huiusce mundi bona omni studio inquirunt. Deludunt se, dum caduca & fragilia appetunt, firma & stabilia negligunt. Nondum prima virtutis elementa didicerunt, quæ docent omnia quæ sunt infra lunam, esse variis mutationibus obnoxia, in quibus nemo sapiens vltimum finem, quod est summum bonum, constituet. Vos estis longè beatiores Christi Domini discipuli, qui adhuc in terris versamini: non in alia re, quàm in summo bono spem collocatis, cum sciatis istud vnum stare perenniter, cætera fluere. Ad

Vanitas.

Laruæ mendacium bonorum sunt detrahenda.

Colorati papiliones.

Imago rerum inanium coloratus papilio.


Æterna quærenda.

Quis sapiens?

Sapientes discipuli Christi Domini.

illud bonum aspiratis quolibet articulo temporis, diu noctuque, quo iam lectissima superiorum Christi alumnorum turba fruitur. Haud deerit profectò iisdem laboribus eadem merces. *Sequetur laborem merces.*

Beatitudo memoriæ, Diuini numinis, illiusque omnium beneficiorum præsentia: tertius Christi discipulorum fructus in in hac laurea Beatitudinum.



VAM suauis sit amico amici præsentia, dicat vis amicitiæ. Quæ voluptas sponsæ, post longam absentiam sponsi aspectus, efferat regnum amoris. Si dulcis filio patris absentis recordatio, quanto dulcior eiusdem societas & congressus? Nemo dicet, quàm sit grata piæ mentis memoriæ, diuina imago, dum more turturis in terris gemit, adeò res est iucunda, vel præpotentis Dei memoria. Quanto minus quis attinget illam felicis memoriæ beatitatem, cum

Omnis amici præsentia suauis est.

Dulcis filio patris absentis memoria, multo magis congressus.

ipſum Deum ſibi habeat præſentiſſimum? nihilominus in re tam nobili & beata philoſophandum eſt. Mihi placet admodum beatitudinis æternæ naturam (quam vocant formalem eſſentiam) tam in intellectu, quàm in voluntate conſtituere: cum anima beata fiat, non ſolum intelligendo Deum, ſed etiam amando, neque ſatis illi ſit, aut videre duntaxat, aut diligere: at vtrumque neceſſarium eſt, vt ſit intellectus amans, & amor intelligens, ad expletam omnibus ſuis numeris felicitatem. Quo ſtatuto, ſua non caret beatitudine memoria, cum ſupremum numen præſentiſſimũ habeat, quo nihil illi poteſt eſſe gratius, nihil iucundius. Non amplius eget rerum creatarum gradibus, quibus ſuam ad Deum dirigat mẽtem, quibus per viſa ſenſuum ad ſummę maieſtatis thronum aſcendat. Non eget naturę ideis, vt ſuam de Deo totius orbis moderatore memoriã refricet. Non eget mundi ſpeculis, vt mundi conditorẽ recordetur. Non amplius illi dicit pratum variis diſtinctũ florib. ſis memor ſupremi illius pictoris, qui tui cauſa hanc elegantem pinxit tabulam, quam ſingulis annis, variis exornat figuris. Non amplius illi ſuggerit malum punicum, vt ad ſuum authorẽ dili-

In quo conſiſtit formalis beatitudinis eſſentia.

Intellectus amans & amor intelligens.

Abſoluta felicitas.

Memoria beata.

Gradus rerum creatarum memoriæ inſeruiunt.

Viſa ſenſuum.

Naturæ idea.

Mundi ſpecula.

Pratum.

Prati tabula.

Malum punicum.

genter attendat, à quo tantam non sibi, sed homini, & coronam venustatis, & fructus dulcedinem accepit. Non excitat sanctas species cœlestis arcus? dicendo, Vide opus admirationis (mi homo) & primi geometræ perelegantes lineas, quæ pariunt formosissimum arcum, mirare: & artificis ingenium, manumque commenda. Non amplius inuersa cœli facies ad lucidissimorum siderum numeros & ornatum, vt à somno rerum humanarum expergefactus homo, cœlestem vniuersi rectorem cogitet, etiam atq; etiam monet. Non eget hominis voce, nec Angeli tuba, vt reuocetur Dei memoria. Vbi præsens est veritas, figura non cōsulitur: vbi corpus, ad vmbrā non recurritur. Quis cū regem ipsum videre possit ad libitū, mutas quærat illius imagines, vt illū in memoriā reuocet? dum res est præsens, nō est opus alio recordationis, aut reminiscentiæ excitatore, qualis thesaurus est beatæ memoria animæ, cum est plena Deo, in quo omnis origo sapientiæ, fons bonitatis, radix potentię. Felicissima memoria, ingēs omniū bonorum officina, ex qua rerū omnium ideæ depromi queunt. Ærarium est Romano locupletius, gaza est Persica opulentior, sacrarium est vbi humaniorum &

Adiumenta sacra recordationis.

Iris.

Cœli facies.

Vox hominis: Angeli tuba.

Ingens thesaurus.

Plena Deo beatæ memoria animæ, magnus thesaurus.

Præclara imagines. diuinarum artium imagines depictæ sunt. Hac in felicis animi memoria quot pulchra sunt Dei nominum, Dei virtutum, *Emblemata sacro, iuncta.* Dei operum emblemata? non tot sunt in floribus diuersi colores, neque in cœlis tot variæ stellæ, neque in hominibus tam dispares vultus, quàm diuersæ collucent in beata illa facultate, venustissimarum rerum species. Quod maximè recreat & reficit immortales illas memorias, *Immortales memoriæ.* secundùm sanctissimæ Trinitatis præsentiam, est concinna quædam & benè longa series omnium beneficiorum, *Beneficiorum recordatio.* quæ Christus Dominus in humanum genus contulit, quæ omnia in vniuscuiusque animæ beatæ memoria optimè repræsentantur, ita vt illi characteres, qui sunt expressi, hæreant immortaliter. Istæ omnes ideæ sunt grandes & sublimes, diuinam Christi in terris œconomiã & vitæ institutum singulariter exponunt: *Diuina Christi œconomia excitatur.* in illis videtur longè perfectiori modo, quàm hîc videmus, Christi dispensatio: cum omni admiratione & stupore, Verbi subiicitur Incarnatio, Natiuitas Domini Iesu, Circumcisio, fuga in Ægyptum, in *Varia Christi beneficia refricata dispensatione vitæ recurrunt.* Templo cum Doctoribus congressio, octodecim annorum in silentio meditata, factaque: Baptismus, quadraginta dierum

ieiunium, conciones, orationes, acta, miracula, tota crucis & tormentorum ſeries, deſcenſus ad limbum, anaſtaſis, ad patrem reditus, omnis Chriſti vita memoria perenni, non ſine magno voluptatis ſenſu, ſepitur. Dies me deficiat, ſi cœleſtes vnius beatæ memoriç imagines recenſere velim: (licet paucæ ſint, habita ratione infinitarum, mihi notæ,) Nihil dicam de beatiſſimæ Virginis in beatos meritis, quæ iuſtam & ſpirantem bibliothecam componerent. Beatarum mentium & Angelorum quis enarrabit in homines beneficia? quorum tamen omnium, ſanctorum memoriæ apud ſe monimenta conſeruant. Inter multa, quæ memoriis beatis arrident, eſt perfecta quædam non tam recordatio, quàm vera & præſens imago peculiaris prouidentiç, quam Deus in vnoquoque regundo homine adhibuit ſingularem. Hic recolit, & vnâ videt, quàm benignè Deus ſecum egerit toto vitæ tempore, quomodo diuerſis ætatibus proſpexerit, quomodo ſuam infantiam aluerit, pueritiam fouerit, adoleſcentiam educarit, iuuentutem moderatus fuerit, virilem ætatem confirmarit, ſenectutem fulſerit. Cauſas nexas cum cauſis, effectus cum effectibus, ſer-

Breuis icon.

Recordatio Deiparæ meritorum.

Angelicorum beneficiorum memoria.

Præſens ſpeculum diuinæ prouidentiæ.

Totius vitæ memoria.

uato libertatis iure, coniunctos obseruat: locorum mutationes, personarum occursus, & congressus, munia, exercitationes, opera: non sine stupenda admiratione recordatur, imò intuetur, incredibilem in se, suáque omnia, præpotentis Dei curam, quam habuit de sua salute & incolumitate, cum adhuc apud mortales versaretur. Quando recolit Deum Opt. Max. in se partes & munia obiisse, boni patris, charæ matris, fidelis sponsi, grati amici, clarissimi ducis, acerrimi defensoris, egregij rectoris, insignis præceptoris, optimi pastoris: erumpit mens in perpetuas laudes, & voluntas in æternos amores sacratissimæ Triadis. Quando refricat memoriam; imò cernit animo procellas, & huius mundi pericula, quæ sub diuinis auspiciis effugit, immortales ad omnem immortalitatis memoriam gratias agit, easque perpetuare nunquam desistit. Quæ vestra est exercitatio (mortales) cum vestras nugarum, aut malorum recordationibus addicatis memorias? quæ sunt ista nobilissimæ facultatis munera? estne à Deo data, vt eo magnificentissimo dono abutamini? quis vnquam sapiens malum excellentis rei vsum probauit? quid tot res futiles, & inanes, & scitu indignissimas, memo-

Quot & quanta beneficia?

Varia munia.

Immortales gratiæ Christo placent.

Ad mortales apostrophe. Non est abutendum Dei donis.

Memoria abusus, capitale est.

ria sepitis? quid acceptas, vel leuiusculas iniurias? quid modos malè agendi? quid mille scelerum vias? quid dolos & infinitas nocendi artes? ad hoc non est creata memoria, vt tam turpes & deformes asseruet ideas, non vt sit vitiorum receptaculum, sed quarumcunque rerum præstabilium. Hæc officina ab authore naturæ condita est, vt pulcherrimis naturæ & gratiæ tabulis exornetur: in ea collocandæ sunt ingenuarum artium, & cœlestium doctrinarum imagines, in ea reponendæ magnarum virtutum figuræ, in ea diuinorum beneficiorum multitudo, magnitudo, immortalitas, in ea benè de Christiana republica meritorum clypei, in ea, quicquid suppeditat argumentum, rationi consentaneum, amore dignum, notandum est insigniter. Felices igitur beatorum memoriæ, plenæ sancto numine, plenæ sacrosanctis altissimorum mysteriorum speciebus, plenæ amabilissimis Christi domini monimentis, plenæ beatitudine, plenæ æternitate.

Quis memoriæ vsus?

Quid recondendum in memoria.

Clypei, sunt imagines.

Felices memoriæ.

Beatitudo Christi Academiæ discipulorum in cœlo, quoad phantasiam, appetitum concupiscendi, & irascendi.

Tria molesta homini superstiti.



RIA in terris versanti homini multum negotij facessunt, nimirum phantasia, concupiscendi appetitus, & vis irascendi. In primis phantasia à peccato originis grauiter læsa, continuò vagatur & errat impunè: litem habet cum quiete immortalem, & grauissimas cum pacis otio inimicitias exercet: non permittit quantum in se est, vt in hominis republica tranquillitatis status retineatur. Ad hoc varias in partes distrahit animum, & licet rebus seriis & grauibus vacet, non illi curæ est, modò secum peregrinari cogat, benè secum agi arbitratur. Suo, non mentis genio, studet, dum percurrit orbem: modò sedet in Solis globo, modò in centro terræ, modò captat auras, modò aquilas, modò piscatur, modò venatur, miscet om-

Phantasiæ corrupta status.

Phantasia molesta est.

nia, turbat omnia, coniungit quæ non ſunt coniungenda, quæ nectenda, diffluit, chimæras concipit, monſtra parit, res ineptiſſimas fingit, illius opera, ſunt vera ſomnia. Quis illius motus aſſequetur? quis ſaltus deſcribet? quis volatus pinget? quis ſtultiſſimas illius picturas exhibebit? nullus eſt adeò ſtupidus, qui phantaſiæ ineptias, tumultus, euagationes, detrimento ſuo, non ſenſerit. Quid ſi corporis appetitum cum malè affecta phantaſia coniunxeris? maius videbis malum. Quantas afferat hic inſolens appetitus animo moleſtias, bellè S. Paulus dixerit. Illi placet, quod ſenſus titillat, quod carni abblanditur, quod genio indulget, quod Epicureum eſt, quod Sardanapali, quod Sybaritarum, quod ex amœniſſimis voluptatis venit hortis, quod flores ſpirant; quod lyræ ſonant, quod colores formant, quod guſtum fallit, quod tactum emollit. Quod ſi hæc omnia ad nutum fluant, duriſſimam ſeruitutem ſeruire facit animam, illámque perniciosiſſimis adurit flammis, impudentiſſimè ſe gerit & inſolentiſſimè, dæmoni inſeruit in expugnanda voluntatis arce. Terribilis hoſtis, eóque periculoſior, quo mollior. Neque minus incommodi concitata

Opera deprauatæ phantaſiæ

Opera phantaſiæ, ſæpius ſomnia,

Corporis appetitus moleſtus.

Appetitus rebellis.

Stat à partibus dæmonis.

Vis irascendi. vis irascendi hominibus creat: cũ sit quoddam seditionis flabellum, & incompositorum animi motuum parens, mirum est, quot & quantas in humano corde seditiones concitet: furit sæpius, sæuit, bacchatur, insanit: oblectatur igne, ferro, cruore, strage, nece. Infinita est malorum seges, quæ à tribus hisce causis, malè moderatis & insolescentibus oritur. Christi verò discipulus, qui in sacra illius Academia eas coercere didicit, quique post multas de illis reportatas victorias, è campo mortali victor discessit ad cœlestem patriam, post vniuersam humanæ prolis anastasim, liber erit ab omni harum tempestatum tumultu & perturbatione. Illum statum subiicere conabor. Cum in summa rerum omnium beatitudine nihil sit quod non summè perfectum habeatur, siue status animæ beatæ, siue corporis beati consideretur: oportet vt hominis phantasia, in illo statu nihil habeat quod illum dedeceat. Quod sine dubio verum est, nam subiacet in omnibus humano intellectui lumine gloriæ illustrato, voluntati paret & obsequitur, non amplius mentem trahit in hanc & in illã partem, nec solis rationis ortum anteuertit, sed felix est, quod in quibusdam curricu-

Flabellum seditionis.

Furor iratæ potentiæ.

In cœlo sedata omnia & bellè composita.

In cœlo phantasia rectè concinnata.

lis sequi posit; non ampliùs instar argenti viui voluitur, nec alas sibi nectit Mercurij, non impunè vagatur ampliùs, stat in cubo, quieta manet, nuspiam fluctuat iacta in portu cœli anchora, tota est concinna, tota composita ad quietem. Verum est in terris, etiam magnorum virorum phantasias sæpe turbari, sæpe peregrinari: hoc humanum est. Nam cum sensus corporis aliquid aduentitium sigillatim importauerit, continuò phantasia instar signi vel annuli, notam suam imprimit, impressamque penes se effigiem asseruat, quoadusque obliuio memoriæ aduersaria, formam ipsam, vel exoletam reddat obscurando, vel prorsus deleat. Interim hoc agendo, & varias imagines insculpendo, variis modis animam afficit perturbátque. Non ita in cœlis res geritur, nihil affertur à sensibus corporis, quod ipsam turbet phantasiam, nec phantasia animum agitat, per imagines rerum absentium, cum ea omnia sint præsentia, quæ illam reddunt suo modo beatam. Quies & tranquillitas istius facultatis non parum probat, quanta sit virtus felicitatis, quanta vis gratiæ, quantum robur gloriæ: posse tantam coercuisse

Quieta phantasia.

Phantasia notas imprimit rebus aduentitiis, easque asseruat.

Vis de motus in phantasia.

Nihil turbat in cœlis phantasiam.

In quiete phantasia vis beatitudinis innotescit.

errandi licentiam, temperasse leuitatem, inhibuisse stultam agendi consuetudinem, primùm fuit gratiæ, deinde gloriæ. Si hoc mirabile est, non est minus admirationis in represso penitus tam cupiditatis, quàm iræ appetitu. Fateor in statu innocentiæ, (qui parum durauit,) vtrumque appetitum in omnibus rationi paruisse, sed cum status beatitudinis sit statu innocentiæ longè nobilior & superior, longè quoque est perfectior vtriusque appetitus obedientia, vsus omni ex parte integrior. Nec vis concupiscendi, nec irascendi potẽtia, quidpiam contra rationis imperium aggrediuntur, verum illi planè subiacent, nihilque illis placet, nisi quod voluntati beatæ gratum est. Nullum est vel leuissimum belli vestigium inter superiorem animæ, inferioremque partem: siquidem vterque appetitus rationis imperio acquiescit. Æternum fœdus iniit cum beata ratione: fore vt nunquam moueret arma contra ipsam dominam, nouum interposuit sacramentum. Ex hoc pacto nascitur diuina quædam harmonia, quæ tam superiores animæ, quàm inferiores corporis facultates mirum in modum afficit & recreat. Fomes peccati extinctus est, vnde vterque appetitus inuale-

In cælo singularis vtriusque appetitus moderatio & obedientia.

Nihil mouent contra rationem.

Summa pax.

Dulcis harmonia.

Fomes peccati extinctus est.

Fomes peccati ὀρμητήριον.

scebat, vnde irruebat in rationem, vnde tædas ardentes assumebat, quas in mentis arcem iniiciebat, vt illa prorsus deflagraret: vnde tumultus, vnde procellæ, vnde tempestates. At illo extincto, dulcis quies viget, suauissimæ pacis dominatur otium, omnia tranquilla sunt, & pacatissima, nec ad tempus, sed ad perpetuitatem. Estote viri (sacræ Christi Academiæ discipuli) & dum estis superstites, contra vestros appetitus fortiter dimicate, sustinete impetus, & audaces insolentis carnis assultus reprimite: sperate, post tempestates, serenitatem: post belli aleam, pacis statum: cogitate breue esse laboris curriculum, immortale premium: nolite abiicere clypeum, nondum confecto prælio: state in campo, donec tubicen receptui cecinerit. Nolite animo frangi, propter continuas impudentis appetitus impressiones, refellite, retundite, (generosi mei,) expectate palmas, veniet aliquando tempus, in quo quiescet totus hominis status, nec turbabit amplius infamis ignis, nec mollis oppugnabit voluptas, sed oliuę progenies ramos producet, sub quibus pacis fructus colligetis.

Ad Academicos Christi.


Fortiter agendum, dum viuimus.

Quiescet tandem omnis rebellio.

Beatitudo Christi Academicorum in cælo, quoad quinque sensus.

Sensus in cælo sua non carent beatitudine.

Oculorum felicitas.



VISQVE sensus in cœlo sua non caret beatitudine. In primis oculi habebunt infinita, quibus se mirificè recreabunt. Ea quæ potissimùm in terris illorum aciem perstrinxerunt, in vltimo delectationis ordine tunc iacebunt. Intelligo magistræ naturę & perelegantis artis coloratas imagines, gemmarum formas, florum lepóres, auium plumas, iridis colores, astrorum fulgores, hortorum amœnitates, palatiorum elegantias, conclauium venustates, rerum omnium inferiorum pulchritudines. Alia multò pulchriora & formosiora beatorum oculis obuersabuntur, quæ nedum leui cogitatione à mortalibus attingi queunt. Videbitur apprimè sanctissima Christi Domini humanitas, spectaculum (secundùm diuinam naturam) omnium gratissimum, omniúmque nobilissimum. Videbitur Speciosus ille

Ista pulchra sunt, sed dantur pulchriora.

Sacrosancta Christi humanitas.

Magna felicitas oculorum, videre Christum.

ille forma præ filiis hominum, cuius diffusa est gratia in labiis: ille candidus & rubicundus, electus ex millibus: in cuius fronte maiestas amabilis mirabiliter elucet, in cuius oculis sacri amores fulgurant, & è quibus infiniti bonorum radij continuò erumpunt: cuius in genis virginalis pudor suauiter accenditur, cuius in vultu omnium pulchritudinum formæ, venustatum lepôres, gratiarum flores, amorum cœlestium artes, gemmarum candor, astrorum fulgor, formositatis sacramenta, geniorum nitores, industriæ colores naturæ, spirantium emblematum arcana, Angelica cum humanis mixta bellissimè pigmenta: taceo fulgura, quia nescio Dominici vultus lumina: sileo fulgores, quia me fugiunt diuini oris ignes: ô radios, ô faces, ô amores, ô flores! heu quàm sordent Narcissi ora, cum vel scintilla oculi Christi mei, omnium beatorum oculos, isto naturæ sole melius illustret: procul fugit Absalonis species, cum vnus crinis dulcissimi Iesu, beatorum corpora & animos, sexcentis ex adamante vinculis fortius, arctiusque religet. Quid auguror in pulcherrimo totius humanæ sobolis corpore describendo? nolo plura diuinare, licet oculus philosopha-

Christi venustas ἄφατος.

Qualis vultus.

Radij. Faces. Amores. Flores.

Formositas Christi rapit.

Oculus philosophus. Ex Philone.

ri possit, qui de mente pereruditi viri sensus dicitur philosophus. Non erit oculorum singularis felicitas, intueri illum principem, in cuius conspectum desiderant Angeli prospicere, quem astra matutina adorant, cui stellatus cedit Cepheus, ante quem non oritur Phosphorus, nec Orion surgit aureo insignis baltheo, nec cœli flores vernare audent? Mortales, terrarum rebus maturè claudite oculos, & cœlestibus aperite: iam cogitatione, & oculo mentis, pulcherrimum animarum sponsum videte, amate, spirate, suspicite, quærite. Dicite vestris luminibus, dum terrena formositas rapit: Quid vosmet fallitis lumina, cum istas vmbras pulchritudinis sectemini, Solem verò venustatis & omnis formositatis originē negligatis? Est vobis perennis pulchritudo quærenda, non ista fragilis & caduca: à vanis imaginibus, ad verā cœlestis sponsi radios conuertite: humanæ fluunt instar iridis, pereunt rosarum more, ad modū faculæ extinguūtur: at imago dominantium Regis, in coloribus æternorum florum, in fulguribus astrorum, in perpetuitate vernantis pulchritudinis, vernat, fulget, efflorescit. Quicquid in humanis venustum est, gradus sit ad Christi venustatem,

Pulcher sponsus est amandus.

Armatus auro Orion.

Amandus Iesus, decus cœli.

Ad mortales caducæ pulchritudinis amatores.

Pulchra labuntur formæ.

Colores æternorum florum & amores.

Omnis pulchritudo ducit ad Christi formam.

non meta ad priuatum amorem. Quid dicam de felicitate oculorum; quæ consistit in dulcissimo Deiparæ Virginis aspectu? Si oculorum acies sancti Dionysij Areopagitæ mirificè perstricta fuit, dum adhuc in terris vitam ageret, ad suauissimum Diuæ Matris aspectum; ita vt, si vnius Dei perfectam cognitionem non habuisset, numen aliquod supremum existimasset: qualis erit voluptas? quantum oblectamentum? frui glorioso Magnæ matris, & reginæ virginum aspectu. Qui te non amat, Beata Virgo, lumen oculorum non amat: qui tuum non fouet vultum, amisit cordis astrum. Quid reliquas oculorum felicitates persequar? cũ tot sint futuræ, quot erunt beatorũ corporum varij, & gloriosi vultus. Tantũ hoc dicam, si in terris vnius amici vultus ita placeat, si iactus oculorum & radij tantopere recreent, vt quandiu iucundissimo congressu nobile par amicorum fruitur, tandiu summa cum voluptate oculi loquantur, quibus non est satis sermo communis ita vt ipse animus velit etiam, oculorum opera, se communicare sui peramanti & beneuolo Achati: quid erit in cœlo, non assequor, sed tantillum coniicio: tot intimorũ & amicissimorum aspectibus

Aspectus Deiparæ suauissimus.

Amor in B. Virg.

Cordis astrũ.

Variæ felicitates oculorum in cœlo.

Oculorum sermo tacitus.

frui, tot benignissimis & suauissimis luminibus recreari, tot gratissimos oculorum nutus loquentes & spirantes beneuolentiam audire, in tanta beatorum multitudine, lætos sibi & hilares experiri vultus, sibi arridentes, sibi amicissimos, sibi penitissimæ voluntatis & sinceri cordis indices, sibi diuinorum amorum interpretes, & si aliunde nescirent, quo sint beati in beatos animo, quóve flagrent charitatis igne, mira vis intimorum animi sensuum, oculis pateret. Nolite, oculi mei, (aiebat Philotheus) in terrenis hærere spectaculis, nolite fugaces vultus rosas amare: sed flete vanis quotidie mortales decipi speculis, quæ dum æstimant perennia, ex leui casu vitrea agnoscunt. Datur & aurium sensui sua in cœlo felicitas, quæ incredibilis est voluptatis. Nullus ignorat, nisi sit planè stupidus, sonum esse auditus obiectum: neque quenquam fugit, illum concentum, auribus iucundiorem fore, quo erit numerosior & modulatior soni compositio. Placet religiosis & teretibus auribus concinnorum modulorum scientia, placet etiam musis agrestibus. Quem non afficit Philomelæ cantus? multarum auium modi? quem non recreant lyræ, citharæque numeri? quis

Tot amicos videre vultus bonum est.

Oculi venustatis interpretes.

Dictum Philothei.

Vitrea specula.

Aurium felicitas.

Obiectum aurium sonus.

Varij cantus & soni.

classico non erigitur? quis chromatica non capitur harmonia? quem non rapiunt articulatæ & canoræ leniter & argutè modulatarum vocum flexiones? magnam vim habet in animos hominum musica, ita vt sæpius ab humanis rebus & sensibus eos auocet. Sed hęc mortalium quota pars erit immortalium? ex hoc velim priùs addiscas, quod D. Francisco contigit, qui cum cœlestem cupiisset audire musicam: ad primam lyræ prolusionem, quam tangebat Angelus, sanctus ille Seraphicus Pater suis à sensibus est abalienatus. Vel vnius auiculæ concentus, (ita Deo volente) illum celebrem æditiuum tot annorum spatio, omniũ rerum humanarum immemorem, suæque vitæ, detinere potuit: adeò gratus erat & suauis. Dabitur in cœlo, quod aures deliniat. Quales chori non auium, sed beatorum symphaniacorum? non lusciniarum, sed diuinorum cantorum? non sirenum, sed sanctarum animarum? quales chori ex omni genere musicorum compositi? quales chori è tot vocum modulis, tam hominum quàm Angelorum, multitudine innumerabilium? quæ voluptas auribus? tot canoras audire modulationes, tot hymnos, tot carmina, tot laudes, tot epinicia, tot ac-

Numerosa modulatione capiuntur hominis aures.

Cœlestis D. Francisci musica.

Auiculæ concentus tot annos affecit bonum illum æditum.

Non mortalis musica chori.

Chori ex omni genere musicorum compositi.

Angeli & homines musicam componunt.

Sionis chori mirabiles.

Sileant instrumenta mortalium.

Sileant modi dædalei.

Vox beati numerosissima.

Ad mortales. Mala musica mollium hominum.

Mala colloquia, quibus aures patere non debent. Boni sermones quibus sunt aures præbenda.

clamationes, tot cœlestes triumphantis Sionis choros. Silete lyrę mortalium, barbita, citharæ, organa, sambucæ, harpæ, manichordia, spineta, psalteria, tubæ, cornua, buccinæ, cymbala, tympana, tibiæ, fistulæ: silete nablia, pectines, cicutę, guitarræ, sistra: silete modi Æolij, Asij, Lydij, Phrygij, Dorij, Gigij, Ionici, Hormij, Orthij, Parœnij, Enyaterij, Cyclij. Quicquid suauis est modulationis, quicquid harmonię, quicquid in vocibus & musices instrumentis ad oblectationem auditus excogitari potest, vel cum vnius beati voce, qua Domini laudes concinet, comparari nequit. Satis est in vnius sancti concentu oblectationis, vt totus hic terrarum orbis in perennem rapiatur admirationem. Etiamne (mortales) dociles amatoriis præbebitis aures cantilenis? quibus animi fiunt molles & effœminati: & fidei Christianę pręceptis, Deique verbo diligenter obstruetis? placebunt turpissima libidinum, cupiditatum, comessationum, detractionum, furtorum, nugarũ, stultitię, scurrilitatis, colloquia? displicebũt verò honesti sermones, castitatis, frugalitatis, modestię, commendationis alienę famæ, grauitatis, sapientiæ, moderationis.

Nemo cœleſtem muſicam audiet, qui libenter diuinam Verbi Dei priùs in terris harmoniam non audierit. Nec deerit in cœlis ſuauiſſimus odor, quo mirè odoratus recreabitur. Toties in morte iuſtorum, homines ſenſerunt & experti ſunt ſuauiſsimos odores, veluti aliquod pignus illius aromatis, quo beatorum corporum olfactus perfunduntur. Quis negabit in cœlo felicem eſſe Arabiam? quis ab illo Sabæa arcebit aromata? quis audebit negare ibi deeſſe, quod terreſtri paradiſo non defuit? Verni temporis flores ſemper efflorеſcent, nec deerunt odores, longè ſuauiores terrenis, quia flores erunt alterius naturę è quibus cœleſtes fauonij clementiſſimas auras excerpent ad narium ſenſum euehendas. Vndique fluent roſarum & liliorum animę, balſamorum & ambroſiarum dulcedines, amaranthi & nepenthes ſpiritus, Florę opes, & omnium ſuffimentorum compoſitiones. Quid humana gens tantopere laboras, vt tuę veſtes benè oleant? quid muſcum ambis? quid griſeam ambram circumfers? quid electro vacas? vt corpus bellè oleat, multùm tibi curæ eſt: vt ani-

Olfactus felicitas.

Odor cœleſtis in morte iuſtorum.

Felix Arabia.

Verni regni flores.

Eximij odores in cœlo.

Ad homines nimis ſtudioſos mollitiei in humanæ vitæ odoribus.

Muſcus benè olens.

Griſea ambra.

ma, ne quidem cogitas. Demens, hodie morieris, corpus erit præda vermium, & anima dæmonum: nec tui odores corpus à corruptione impedient, nec animam ab igne. Si sapis, in odorem vnguentorum Domini curre, vt æternis suauitatibus fruaris.

Odor Domini quærendus.

Nec gustus, nec tactus suis carebunt voluptatibus. Non tamen cum iis sentio, qui de facto autumant beatos in cœlo etiam esse comesturos, vt nihil desit etiam huic sensui, quoad absolutam voluptatem. Satis est, vt ad libitũ, sine vllo ori admoto cibo, quemcunque voluerint saporem perfectissimè degustent, explorentque. Nam cum in æterna beatitudine, corporis sensus suis perpetuò fruantur obiectis & oblectationibus, non est credibile, ad hoc vt sensibus fiat satis, præsertim corporeis, adesse eodem modo præsentia, vti hac in vita, necesse est, eorum obiecta. Quid est opus, vt exquisitissimus quisque cibus adsit, vt linguæ sapiat & palato? quasi verò Symposiarcha cœlestis vno & eodem tempore (ita sit fas loqui in æternitate) non possit efficere, vt delicatissimi totius naturæ sapores & aliquid amplius beatorum palatis, sine ciborum repræsentatione, arrideant.

Gustus & tactus in cœlo suum habent præmium.

Fruuntur suis oblectamentis.

Idem de tactu dicendum est, cui nihil durum, nihil asperum, nihil molestum subiicitur, sed omnia læuia & lenia, mollia, suauia, ad suum vsum nata, & ad suam oblectationem accommodatissima. Neque opus est, vt id fiat per contactum rerum præsentium. Quod peculiariter de his duobus sensibus, omnium extremis, asserendum est: qui nouam quandam hac in parte nobilitatem requirere videntur. Ita quinque sensus suis fruuntur oblectamentis.

Felix tactus.

Non est necessarius in cœlo rei contactus, vt sit perfecta oblectatio istius sensus.

Beatitudo Christi Academicorum quoad summam cum Christo, suo Domino & Magistro, in cœlo conformitatem.



ERVM est hoc in terræ domicilio magnum esse pię mentis solatium, & vnam ex felicitatibus, quibus religiosæ fruuntur animæ, liquidissimam, suam omninò voluntatem ad nutum diuini numinis conformare. Hanc veritatem non ignorant ij omnes

Est beatitudo, conformare se ad diuinam voluntatem.

qui Christianè viuunt, ijque melius sciunt, qui vitam in terris Angelicā potius, quàm humanam agunt. Illi duntaxat verè hanc doctrinam intelligent, alij nequaquam. Agedum anime, & cœlum subi, interroga ciues cœlestis Hierusalem, quæ sint vota, quę voluntates cœlestium animorum? quo ferantur? quid appetant? quid arrideat? quid displiceat? quid ament? quid oderint? Nemo nescit Christianis rebus institutus, diuinam omnium voluntatum supremā esse, ad quam cum omne genus hominū & Angelorum conformare se deberet, multis & æquissimis de causis, nihilominus maxima pars tam spirituū, quàm hominum, in contrariam sancti numinis sententiam abiit, & singulis diebus abit. Hinc in inferis, regno dæmonum, nulla diuinæ voluntatis habetur ratio, sed quicquid illi aduersatur, quantum potest gens illa perennibus addicta cruciatibus, molitur & efficit. Neque illi satis est, totius naturæ moderatoris voluntatibus refragari, nisi etiam maiorem hominum multitudinem ab eiusdem imperio auocaret. Hinc oritur, quod in hoc vniuerso terrarum domicilio tanta vis mortalium reperiatur, qui pluris faciunt sibi, suis cupiditatibus, libidinum æstui, ambitioni, pecu-

Cæli ciues, quod Deus vult, volunt. Non est alia Dei, alia Beatorum voluntas.

Diuina voluntas omnium suprema.

Mala voluntas causa inferorum.

In inferis nulla cum Christo conformitas.

In terris malæ voluntates.

N[illegible] consentiens voluntas hominum.

niæ lucro, vno verbo, carni & dæmoni parere, quàm Deo Opt. Maximo. Non desunt, fateor, qui toto vitæ decursu, nihil habent carius, nihil antiquius, quàm vt suas voluntates ad diuinam, tanquam ad veram heroicorum facinorum normam penitus accommodent. At mira est istorum paucitas, illique ferè omnes, (si paucissimos excipias) sacras religionum domos incolunt. Non ita in cœlitũ imperio viuitur, longè aliter se gerunt Superi, quàm infames spiritus & perduellionis rei homines: cum toti ex voluntate diuina pendeant. Vident lyncei spiritus & sanctæ mentes, omnem suam felicitatem in vno Deo constitutam esse: vident neminem ad sui administrationem Deo sapientiorem: ad peragenda quæ sunt æternæ sapientiæ, potentiorem neminem: ad volendum, quod est summè bonum, meliorem neminem: Dei voluntatem, omnium reginam & dominam agnoscunt: beatos esse, quicunque illius imperio subiacent: Deos esse, qui illam induunt: nam velle ea omnia, quæ Deus vult, & nolle quicquã, quod displicet, hoc est Deum esse. Quid dulcius, quid pręstabilius, quid sublimius, quid diuinius excogitari potest: hominẽ id exuisse, quo mortalis erat, &

Pauci hoc in orbis theatro, & albis simillimi cygnis.

In cœlo vna duntaxat fit Dei voluntas.

Velle, quod Deus vult, & nolle quod non vult, hoc est Deum esse.

Beatus exutus est sua voluntate & diuina indutus.

peccabat: illud induisse, quo fit immortalis, & amplius peccare nō poterit. Volunt beati quod Christo placet, & nolunt quòd illi non arridet. Ergò tantummodo bona arrident, mala displicent: ergò virtutem amant, odere vitium: ergò peccata improbant, præclara facinora commendant: ergò volunt puniri sceleratos, probos præmiis affici: ergò lætantur vltricis iustitiæ trophæis: ergò non dolent damnatorum vicem: ergò gratulantur ferreæ Christi virgæ, cum imperia Christi aduersa, veluti vasa fictilia fregerit: ergò Christi flagella, pestem, bella, famem, quibus ex hoc mundi templo flagitiosam & sacrilegam gentem expellit, summopere probant: ergò fratrum adhuc in terris peregrinantium calamitatibus, volente Deo, acquiescunt: ergò summè delectant Christi oliuæ: ergò misericordias Domini continuò laudant: ergò potestatis, sapientiæ, bonitatis, sanctitatis, immensitatis, immortalitatis opera recreant: ergò quò princeps Christi Domini voluntas fertur, eò beatorum discipulorum voluntates feruntur: ergò tantùm est vnica in cœlo voluntas: quæ Dei est æterni Patris, eadem est æterni Filij, eadem æterni Spiritus sancti. Quæ est

Bona placent, mala displicent beatis.

Series conclusionum à conformitate diuinæ voluntatis illatarum.

Conspiratio voluntatum. Consensus animorum.

Quo fertur Dei voluntas, eo feruntur beati.

Vnica in cœlo voluntas.

sanctissimæ Trinitatis, hæc est sacrosanctæ humanitatis Christi Iesu, hæc Matris & Virginis beatissimæ Deiparæ, hęc Apostolici Senatus, hæc Martyrum coronæ, hæc Virginum cœtus, hæc omnium beatarum mentium. Sit hoc ratum & certissimum, nihil esse beato suauius, quàm velle quod Christo cordi est, & amori. Si in terris piæ mentes reperiantur, quæ quoduis supplicium potius subirent, quàm vt latum quidem vnguem à voluntate Dei recederent: quid de Christi sponsis, sempiterno æuo fruentibus cogitabimus? in omnibus sponso amabili adhærescunt, eius in sententiam eunt, mandata obeunt, exequuntur omninò. Non est in regno Dei dissidentium voluntatum diuersitas, nulla refragantium animorum pugna, sed subditi cum suo rege conspirant, filij cum patre, discipuli cum magistro, milites cum duce, clientes cum patrono. Ex hac consentientium animorum & voluntatum coniunctione, summa tranquillitas nascitur, in qua beatæ mentes incredibili cum voluptate viuunt. Vbi idem est animus, vbi eadem voluntas, ibi est quietis regnum, pacis fructus, suauissimum otium. Nemo duorum amicorum similitudinem in moribus & in affe-

Sanctorum idē animus.

Non est opinionum diuersitas in cælo.

Omnes ad idē conspirant.

Ex iisdem voluntatib quietis fructus.

ctibus recordari potest, quin summoperè delectetur. Quid de tanta amicissimorum multitudine dicemus, quorum est idem cor, iidem ignes, iidem amores, idem pondus voluntatum, idem æstus. Huius rei vel ipsa recordatio mirè viatorum animos reficit: cum aliunde videant hoc in terrarum orbe tam multa oriri mala, tam multa incommoda, quę nascuntur ex dissidentibus inter se mortalium animis & voluntatibus. Quid erratis mortales in tanta rerum caligine? quid erratis? putatis vestras voluntates diuinis esse potiores? quid verbis, manu, ferro, pugnantium animorum ignes proditis? longè satius esset vnam tueri partem, vnam amplecti voluntatem, quæ est omnium suprema, & longè optima in numero mentium, & voluntatum. Diuinam appello, certissimam humanæ vitæ regulā, & omnium actionum amussim rectissimā. Quàm benè omnia peragerētur, si id quod Christus suos docuit, ad vsum reuocaretur! si illa æterni Patris voluntas, vti in cœlo, ita & in terris fieret! Non videremus in gentem humanam armata cœlorum castra, volitantem impunè pestem, vrbes integras populantem: furentem Martem, agros vastantem: famem vrgentem, & viscera seru-

[...] em cor, idem [...]or.

Ad mortales.

Ex pugnantibus animis bella & multa mala.

tantem, mortem dominantem. Si non exularet Dei voluntas, pacis quies non exularet.

Exilium diuinæ voluntatis, exilium pacis.

Beatitudo Christi Academiæ discipulorum: quæ nascitur ex securitate perennis boni, quo fruuntur in cœlis.



ONO frui, bonum est: & tanto maius bonum est, quanto maius, quo fruimur, bonum est. Nunquã tamen, qualiscunque boni sit fruitio, perfecta est illius possessio, quandiu illius amittendi timor est. Quis ad voluntatem, & ad voluptatem bono fruatur, si continuò timeat, ne sibi eripiatur? Nemo dixerit esse plenum diuitiarum in terris vsum, cum tam multi multas iis vbique parent insidias. Nec dignitatum gradus sunt securi, cum ambitio clandestinis, apertisque consiliis, eosdem honores insectetur. Humanis voluptatibus nihil minus stabile, periculosius nihil. Eorum, quæ ab hominibus in bonis ducuntur,

Bono frui, bonum est.

Non est perfecta boni possessio, vbi timor amittendi.

Nulla hic bonorum securitas.

nullam hîc securitatem videmus. Reges & Imperatores sceptra, purpuram, coronas, in bonis reponunt: securitatem verò non habent. Hic fruitur principis amicitia, ille honoribus: hic est in delitiis populo, ille in amoribus: hic floret gratia, ille opibus: hic authoritate, ille amicis: hic egregiam alit familiam, ille Rempublicam: hic viuit cum sponsa, liberisque feliciter, ille cum suis, exterisque amicissimè: at nemo eorum securè viuit, cum sæpius, quando minus de iis cogitat, quæ statum humanæ felicitatis turbant, tùm ab illis agitatur, & frequentius opprimitur. Non est hoc in orbe ista quęrenda securitas, quandoquidem nullum hîc bonum securum est, adeóque nulla illius tuta fruitio. Talis flos in hac terra non nascitur, neque talis bacca ex hac arbore decerpitur. In cœlo cum sit omnium bonorum cumulus, nihilque desiderari posit, quod non in eo cœlesti domicilio reperiatur, ibi solum æterni boni possessio tutissima est. Beati in cœlo, perenni bono fruuntur, sine vllo, vel leuissimo metu illius vnquam iacturæ faciendæ. Securi viuunt, & de summo bono æternùm securi: lętantur immortaliter, cum à tanti, tamque felicis aspectu boni se nunquam

Hæc bona non sunt perennia.

Nemo securè viuit in terris. Quando (mi homo) non cogitas, opprimeris.

Nullum hic bonum securum.

In cœlo tuta boni possessio.

nunquam auellendos sciant. Quis illud summum bonum iis eriperet? fur an sacrilegus? ibi non datur locus flagitiosis manibus: aduersæ fortunæ casus? ibi nulla est volubilis rota iactus: rerum inconstantia? ibi nullum habet ius: humanæ fraudes? ibi nesciuntur: temporis mutatio? vbi æternitas, tempus extinguitur: vis armorum? vbi Dominus exercituum, tenet regnum pacis, silent arma: vis eloquentiæ? vbi Verbum, sub sigillo sunt labra Suadæ, quis eripiat Deum beato? nulla res creata in Deum quid potest: non Angelus, non homo, non dæmon, multo minus naturæ rationis expertes. Quid igitur mens beata metueret, in summi fruitione boni? nemo est Deo fortior, nemo sapientior, melior nemo, nemo potentior. Non timet ab aduersariis anima beata, quia nullus est in cœlo, qui non sit amicissimus: non metuit, ne quies perturbetur, quia omnes superi sunt filij pacis: non veretur interpellationem beatitudinis, vbi præsentissimum est diuini numinis speculum. Quare dubitarent cœlites de perpetuę felicitatis securitate? nonne Deus illis futuram pollicitus est sempiternam? fidelis est Deus, cuius promissa sunt certissima, & omni fi-

De æterno securi bono beati.

Nihil potest bonum æternum beatis eripere.

Mens beata nullo metu percellitur.

Nullus in cælo hostis.

Fidelis Deus, stat promissis.

de superiora, quid est igitur (anime mi) cum omni securitate, perenni bono frui? videre Deum, amare Deum, frui Deo, lætari in Deo, viuere in Deo, de Deo, laudare Deum, quiescere in Deo, esse extra se & totum in Deo, rapi à Deo & Dei amore æstuare, liquescere, voluptatibus Dei perfundi, Deo ebriari, (quid dicam nescio) esse deum in Deo, & filium Excelsi, & hæredem Dei, totum esse in lumine, in igne, in amoribus, securum de tam immenso bono, quid est (anime mi) quid est? est tuta Dei mei possesio, cuius magnitudinis non est numerus, cuius regni non erit finis. Quam afferat beatis lætitiam ista ęternæ beatitudinis securitas nullus dicet mortalium. Vnus è Christi Academia discipulus iam beatus, è cœlo ad terras delapsus vtinam nobis aperuisset. Sed è securitate quantulacunque rerum humanarum, si bonæ sint, vel etiam videantur duntaxat, possumus aliquo modo conijcere, quantum sit bonum perennis felicitatis securitas. Experimur in nobis aliquando vim istius securitatis, in quibusdam rebus humanis, & multo magis in diuinis, vi charitatis, & opera sancti Spiritus: & tunc exploramus quanta sit istius

Quid est cum securitate ete[r]no bo[n]o frui?

Ingens bonū.

Quanta lætitia in securitate boni.

Ex humana securitatis vmbra, conijcitur diuina veritas.

Docet aliquid experientia.

fructus suauitas, quanta vis dulcedinis. Quantum bonum sit securitas, experiuntur subditi, cum summa pace, sub potentissimo Rege, & communi gentis parente, fruantur: sciunt milites qui in fortissima turri, & benè munita arce, aduersùs hostes defenduntur: non ignorant liberi qui sub parentum alis fouentur: ij omnes, qui potenti manu fulciuntur, hac cognitione non carent. Fateor tamen omnem securitatis humanæ vim, tantùm esse vmbram diuinæ. Certum est tantam esse hominis in rebus securitatem, quanta est illius, quo nititur, potestas: at omnis virtus hominis, cum Dei potestate comparata, quàm exigua sit, quem fugit? quàm securus sit de sua felicitate Deus, nemo ignorat: verùm quàm securi sint de sua beatitudine superi, nullus quoque ignorare debet, cum à Deo sit illis communicata, quantum satis est ad perennem lætitiam. Ad hanc summi boni securitatem meus gestit animus, dum cogito beatos extra omnem periculorum aleam versari, supra omnes calamitatum procellas efferri, vltra rerum vicissitudines iacere. Quid infelix hominum genus, hæret caducis & fragilibus

Humana securitas.

Diuinæ securitatis vestigia.

Modus potestatis, modus est securitatis.

De sua felicitate securus Deus.

Communicata securitas.

Ad homines.

subsidiis? quid vitro nititur? quid hederæ foliis? quę potest esse in illis rebus securitas, vbi nihil præter vanitatem, ventos, auram, arundinem, vitrum, ampullas, paleam, reperias. Malè spes in humanis collocatur, quæ prius fluunt, quàm consistunt: & in hoc suam seruant constantiam, quòd in continuo motu suam prodant fallaciam. In quibus nulla est salus, nulla veritas, in iis nulla est fiducia, nulla spei ratio affulget. Ad diuina ad diuina contendite, vbi ęterna est salutis & quietis securitas: ibi iaciatur anchora, vbi Deus Deorum videtur in Sion.

Nulla fides rebus humanis, nulla securitas.

Nulla spes in humanis.

Tuta Deus anchora.

Beatitudo Christi Alumnorum, quoad gratam in cælo Societatem.

Magistra societatis natura.
Homo animal politicum.



VAM sit amans societatis homo, non ab alio, sed à seipso quisque didicit. Hanc artem ipsamet natura docet, præstabilis hac in re, vti in aliis, magistra. Statim aperit se in pueris, qui nullo rationis ductu, sed ge-

nialis naturæ pondere, facillimè congregantur. In paulò grandioribus maior vis naturæ exeritur, clariusque in adultæ ætatis speculo vis humani consortij videtur. Nunquam verò melius elucet, quàm cùm homo vi rationis & sagacitate mentis, suam agnoscit naturam, non modò ad humanum congressum propensam, verum suo iure, propter humanæ vitę officia, intelligentem communionem studiosè repetentem. Nec video, quî stare possit naturalis illa beatitudo, veteribus à Philosophis satis agnita, sine humanæ societatis vsu & consuetudine. Clam me non est, vnam esse è potissimis nostræ vitæ partibus, familiarem proborum, doctorúmque hominum communicationem. Huius rei testes appello, quotquot fœdus inierunt cum aliquo celeberrimo, tam virtutis, quàm rei literarię perstudioso consessu. Illi probè sciunt quanti sit faciendum honestum consortium. Sed cum in hac vita nihil sit absolutè perfectum, humana societas, quęcunque demùm sit, licet multa commoda complectatur, multa tamen illi desunt, quæ in diuina facilè reperiuntur. Datur in cœlo societas omnibus suis numeris absolutissima, cui nulla par est, nec

In omni ætate vis societatis elucet.

Vbi viget ratio, bonum societatis elucet.

Proborum, doctorumque hominum congressus, amica res.

Huius rei testimonia.

In humana societate multa desiderantur.

In cælo perfecta beatorum societas.

esse poteſt. Ij omnes qui illam componunt, Reges ſunt, & habentur, omnes ſingularibus heroïcarum virtutum ornamentis cohoneſtati, diuina ſapientia illuſtrati, ſummè boni, humaniſſimi, perofficioſi, æterno neceſſitudinis vinculo inter ſe colligati, quietis & obſequij peramantiſſimi, tam de alieno bono, quàm de ſuo, beatitudinis Arbitro gratuiantes, amici quàm qui maximè, fratres coniunctiſſimi, vnam omnes Dei parentis voluntatem ſpirantes, in vno & eodem amoris ſinu quieſcentes, beati beatè viuunt Hi ſunt ex infinitis aliqui characteres illorum beatorum Regum, qui primum totius orbis Imperium conſtituunt: diuiniſſima profectò ſocietas, vbi nihil vnquam peccatur, nihil non prudenter geritur, nihil iniuriæ proximo infertur, nihil contentionis oritur, nihil quod ius humanum violet nihil quod alteri noceat, nedum vel leuiter diſpliceat: vbi quiſque ſuauiſſimos cõmunionis fructus percipit, bonis alienis, veluti ſuis, communicat, vbi fit conſors intimorum animi ſenſuum, vbi cordis Arcana patent, vbi conſiliorum & voluntatum conſenſus, vbi ſimultates nullæ, nulla pectorum integumenta, vbi ſincerè & candidè agitur, vbi cordis & amorum

Societas regia.

Pulchra societatis iconium.

Non est societas huic comparanda.

A sancta hac societate peccatur nihil.

Perfecta communicatio bonorum omnium.

Nihil tegitur.

Sincerè agitur ab omnibus.

commercia, vbi animi sine fuco, voluntates sine velo, vbi cœlestis ad eundem scopum omnes suas sagittas amor contorquet. Quæ societas (Deus immortalis) tot filiorũ Dei? cum Regis filio familiariter in terris congredi, dulce est & honorificum: at cum tot Dei filiis, qui infinitis partibus terrenos Reges superant, consuetudinem inire, dulcissimum est & perhonorificentissimum. Familiares principũ beatos prædicãt populi, quòd cum iis familiariter congrediãtur, quòd sint secretorum conscij: longè beatiores prædicandi sunt cœlites, qui cum sacrosancta Triade, cum veneranda Christi humanitate, cũ Regina gentium beatissima Virgine, cum tot Diuis cõgrediuntur. In terris cum viris doctis versari, suauitatis est: at cum tot diuinis in cœlo humanarum artium & cœlestium disciplinarum Magistris, miræ est oblectationis. Cum Senatore viro graui & consulto agere, gratum est: multo gratius cum sapientissimo & ornatissimo SS. Apostolorum Senatu: amicorum iucunda est familiaritas: tot intimorum in domo cœlesti iucundior consuetudo. Omnes humanæ societates non carent quibusdã vitiis, & idcircò in amicitię cõsortio debẽt amici multa tolerare, & suorũ amicorũ

Societas filiorũ Dei.

A minori ad maius:

Felicissima cõsortia.

Non est par oblectatio.

Multi naui in hominibus. *Multa displicent in societatibus humanis.* *Nihil in diuina societate non arridet.*

errores tegere. Etiam in sacrorum & religiosorum virorum cœtibus, nonnulla humani consortij incommoda æquissimis animis patienda sunt. Non ita in cœlis, nam omni vitio caret, omni fastidio, omni damno, superùm consortium; contrà sexcentis voluptatibus & oblectationibus circumfluit. Quis nostrum in hôc terrarum domicilio se felicissimum prædicaret, si cum vno D. Paulo congredi posset, vel semel in vita, ad breuissimum temporis spatium: vel cum vno S. Chrysostomo, ad semihoram: vel cum beata Catharina Senensi, aut quocunque demum sancto? At in aula Christi, cum nouem Angelorum choris, cum tot Patriarchis, tot Prophetis, tot Apostolis, tot Discipulis Domini, tot Innocentibus, tot gloriosis Athletis, tot Victoribus, tot Anachoretis, tot Doctoribus, tot fidei propugnatoribus, tot Pontificibus, tot Virginibus, tot Cœlituum ordinibus versari, non ad breue tempus, verum ad omnem æternitatem, non quibusdam vicibus, sed perenni modo. Si Regina Sabæ ad suauissimum magni Salomonis congressum & sapientissimam consuetudinem obstupuit, quis erit beatarum mentium stupor, quantave admiratio, ad commu-

Congredi cum D. Paulo beatum.

Congressus Angelorum, & omnium sanctorum.

Quantæ delitiæ. *Regina Saba. Salomon. A min. ad maius.*

nem vſum & benigniſſimam ſocietatem, tot & tantorum præpotentis Dei filiorum? Olim ex variis orbis partibus pergebatur in Indiam, vt ad Gymnoſophiſtarum communicationem liber daretur acceſſus: literarum ſtudioſi petebant Athenas, vt cum eruditis verſarentur: conuolabant Romam, vt cum Oratore Romano agerent, Titi Liuij congreſſu vterentur: concurrebant Alexandriam, vt Origenem audirent & conſulerent. Adeóne vnius viri conſortium in homines valuit, vt è natali ſolo diſſitas in regiones euocarit? quid? ſocietas beatorum, non ad ſe alliciet populos & nationes? non trahet gentes & imperia? trahet, dubio procul, cœlo natos animos & Deo: alliciet ad ſuum orbem ſublimes mentes quæ dulciſſimo ſupremæ Curiæ conſeſſu delectantur. Si daretur in terris ciuitas, vbi omnes ciues apprimè iuſtitiam colerent, viuerent fraterno more, pacis ſtatum omni ope adiuuarent, ſanctitati ſtuderent, nullus eſſet, qui illorum ciuium ſocietatem non appeteret, nullus, qui cum illis agere, viuere, morari non optaret. Si ita eſt, quid tantopere humanos congreſſus diligimus, diuinos refugimus? nunquamne placebit Angelorum vſus?

Propter humanos congreſſus longæ viæ, longæ peregrinationes. India. Gymnoſophiſtæ. Athenæ. Roma. Tit Liuius. Alexandria. Origenes.

Ciuitas ſuppoſita.

Bonum eſt delectari Angelico congreſſu.

nunquamne cum Superis consuetudinem habere desiderabimus? non est, quod illi sperent gratam illam beatorum societatem, qui cum improbis in vitiorum cœno volutantur, qui cum carne & sanguine pepigerunt, qui castra dæmonis sequuntur, qui cum atheïs viuunt qui sunt Cypriæ factionis, qui cum Epicureis agunt: hi omnes nihil sperent, quod beatum sit, quandiu suos mores mala consuetudine deprauabunt. Illi porrò benè sperent, qui hîc Angelorum more viuunt, qui cum probis continuò versantur, qui cum optimis vitę Christianæ moderatoribus magnum habent vsum, qui in sacra Christi Academia sanctissimos Doctores audiunt, & diligenter imitantur. Illi post hunc vitæ discessum, in ciuitatem Dei secedent, cuius fient ciues, imò senatores, quin & principes, fruenturque omnium Regum consortio, non sine iucundissimo voluptatis sensu, & prorsus incredibili mentis oblectamento.

Nulla spes æternæ societatis quandiu malè viuitur.

Quorum vera spes.

Post hanc vitam à bonis societas beatorum expectatur.

Beatitudo Christi Discipulorum, quòd triumphali regno potiantur.



CIMVS olim totum terrarum orbem suspexisse Romam triumphantem. Magna ingenia, quæ non ita rebus humanis commouentur, ad triumphantis vrbis, non dicam, spectaculum, sed ad solam famam triumphi, ita concitata sunt, vt incredibili illius desiderio videndi tenerentur. D. Augustinus hoc amore flagrauit, quo etiam vniuersæ gentes flagrarunt. Tantumne potuit vna triumphalis ciuitas in animos hominum, etiam in humanæ naturæ genios? adeóne pulchrum erat Romæ theatrum, adeò pulchra facies, triumphi die? tantosne poterat in mortalium mentibus amores ingenerare? potuit, & ingenerauit. Qui Romanæ gentis monimenta euoluerit, nullo modo mirabitur, si ij qui triumphantem Romam non viderunt, vidisse cupie-

Roma triumphalis.

D. Augustinus.

Triumphi dies in triumphali vrbe lætus.

runt: qui verò spectarunt, si admirati non fuissent, hoc ad modum miraretur. Vnius Scipionis triumphus apud Appianum, vel Pauli Æmilij apud Plutarchum, legenti stuporem generat, quomodo non, videnti? Nemo pernegarit maximum fuisse Romanorum imperium, & quidem suo tempore in terris triumphale extitisse: quo qui potiti sunt, ab vniuersis populi Romani amicis, imò etiam aduersariis, felices habiti sunt: quin & subditi, in numero felicium ciuium fuere numerati. Verùm licet ad tempus regnum floreat & triumphet, hic flos non est perennis, neque hic triumphus æternus, nam vterque est temporis, neque continui, sed valde breuis. Vnum duntaxat est imperium, quod perpetuat trophæa. Triumphale regnum, per excellentiam, dicitur. Cuius rex nunquam superatur, at vincit omnia: idcircò æternum triumphat, à quo triumphale regnum nominatur. Ab orbe nato ad hanc vsque diem cum infensissimis hostibus bellum gerit, neque vnquam in vllo prœlio victus est, sed semper victor insignia victoriæ retulit. Statim ab initio mundi, maxima pars Intelligentis exercitus ab eius obsequio

Scipionis triumphus.

Triumphus Pauli Æmilij.

Magnũ Rom. Imperium.

Felices ciues.

Triumphi temporis.

Triumphale regnum, cæleste regnum.

Ex æterno bello æterna victoria.

defecit, voluitque triumphalis Imperij turbare pacem, at illicò numerosissima vis illa spirituum fracta est, & in calamitosissimam inferorum sedem relegata est. Ausus est humani generis antesignanus contra Regem mouere arma, statim è suo regno exactus est, & de fundo innocentis hæreditatis deiectus, cum sua insigni, & totius familiæ, ignominiæ nota. Hinc tot nata sunt bella, vel formidolosissima, quæ variis sæculis aduersus cœlestis & triumphantis Imperij moderatorem suscepta sunt: verùm tot dæmonum acies, tot flagitiosorum turmæ, tot vitiorum & scelerum arietes & machinæ nihil effecere, nisi nouas laurearum segetes Christi militibus & ducibus suppeditare. Nunquam tot inferorum castra, tot flagitiosissimorum & sceleratissimorum hominum exercitus tranquillitatem triumphalis regni tantillùm perturbare. Vbi regnat Deus, ibi perennis est triumphus: triumphus primæ veritatis de falsissimo mendacio, immensæ potestatis de vitiorum imbecillitate triumphus, summæ bonitatis de improbitate, supremæ sapientiæ de fatuitate, infinitæ scientiæ de multa ignorantiæ cæcitate, diuinæ iustitiæ de violato iure, cœlestis mi-

Strages malè rum spirituũ.

Exulat homo.

Frustra turbant.

Noua laurearum sylua.

Perennis tranquillitas.

Perennis triumphus in regno Dei.

Virtutum de vitiis trophæa.

ſericordiæ de barbarie, ſanctitatis de impietate, innocentiæ de malitia, ſacri amoris de profano odio, commendationis de vituperatione, humanitatis de crudelitate, gratiæ de peccato, gloriæ de mali nominis æſtimatione. Vbi Deus triumphat, ibi omnes triumphant virtutes, ibi teritur caput draconis, teruntur vitia, ipſa mors calcatur. Vbi Chriſtus imperium tenet, ibi eſt omnium Sanctorum triumphus. Quis enumeret iſtius Imperij trophæa? quis lauros? quis palmas? quis coronas? quis dona? quis ornamenta? quis inſignia? quis explicabit triumphantem Hieruſalem? ô fulgores chlamydum ſtellis nobilium! ô radios corporum ſolis luce clariorum! ô flores Virginum, ô palmas Martyrum, ô charitatis purpuram, ô amoris ſidus! notas triumphantis Romæ non video, attamen longè glorioſiorem, & infinitis interuallis, ſuperiorem video cœleſtem Romam, vbi nec aurum, nec argentum, nec tabulas, nec emblemata, nec turres, nec currus, nec arma, nec victimas, nec alias triumphorum partes intueor, ſed obuerſatur oculis triumphale regnum, quod infinitas opes explicat, quibus Diuorum merita compenſan-

Vbi Deus triumphat, triumphant omnes virtutes.

Teritur dæmon & vitia.

Nullus attinget oratione triumphantem Sionem.

Cœleſtis Roma non ſine capitolio.

Triumphorum ſpolia.

tur, quibus eorum heroica facinora commendantur, quibus eorum virtutes exornantur, quibus vita illuſtratur, labores mitigantur. Vbique virtutum actis eriguntur trophęa, ſingularia magnitudinis animi monimenta. Prætermitto ſanctæ crucis triumphos, Diuæ Matris, Chriſti Diſcipulorum, clariſſimorum pugilum, fortiſſimorum Chriſtianæ fidei Ducum: taceo inuictiſſimorum Martyrum victrices palmas, tot Diuorum & Sanctarum coronas, tot ſtemmata ſanctitatis, tot Chriſtianorum victorias. Quis vnquam audiuit tale eſſe in terris Imperium, vbi quot ſunt illius incolæ, tot eſſe viros triumphales? in terris tale quid non reperitur, reperitur autem in cœlis: vbi quot ſunt ciues, tot ſunt triumphatores, eóque nobiliores & clariores, quo fortiores fuerunt hoſtes, quos deuicerunt. Mundum ſuperarunt, carnem domuerunt, dæmonem expugnarunt, cupiditates repreſſerunt, monſtra vitiorum fregerunt. Quiſque ducit triumphum ad Ciuitatem Dei, non de domito huius orbis angulo, ſed de vniuerſo terrarum orbe, non de vno homine, ſed de numeroſiſſima impiorum multitudine, non de

Eriguntur trophæa.

Triumphi crucis & SS.

Stemmata ſanctitatis.

Quot ſunt ciues triumphales imperij, tot ſunt triumphatores.

Multa victoria.

castris humanis, sed de spoliatis Ægypti manubiis, non de misero duce victo, sed de barbaris inferorum legionibus. Omnes beati gaudio triumphant in triumphali regno, illúdque gaudium tandiu durabit, quandiu triumphus: & quandiu triumphus, tandiu gaudium: gaudium in triumpho, triumphus in gaudio: triumphat animus, cor gaudet: in animo gaudium, in corde triumphus: cor viuit in gaudio, animus in triumpho: nunquam desinet gaudere, quia non desistet triumphare: triumphus gaudium fouebit, gaudium alet triumphum: & ita beatæ mentes æternùm gaudent & triumphant Quàm diuersus est hic triumphus ab aliis, nam alij sunt paucorum dierum, hic æternitatis: alij aut non carent luctu aliquo, aut breui sequitur, hic non miscetur squalori: alij nascuntur sæpe ex incommodis aliorum, hic ex bono virtutis: alij si palmas habeant, cruentæ sunt: hic totus est innocens: alij frequenter adhuc spirant martis ignes & fulmen, hic ferit oliuas, & spargit lilia. Quantum distat triumphus cœli, à terræ triumphis: tantum triumphale cœlestis regis imperium, à triumphalibus terrenorum Cæsarum regnis dissidet. Quod si D. Augustinus triumphantem

Æternus triũphus.

Triumphus alit gaudium, gaudium fouet triumphum.

Triumphi paucorum dierum.

Triumphus æternitatis.


Triumphus mortalium sequitur luctus.

Cruenta palma.

Magnum discrimen inter triumphos Dei & mortaliũ.

triumphantem Romam spectare desiderauit, quo studio, quo ardore mentis, triumphantem Ierusalem videre cupiit? si quidpiam in terris desiderandum est, triumphantis Christi spectaculum optandum est. In hoc voto viuendum, in hoc desiderio moriendum.

Beatitudo Christi Alumnorum, quoad corporum immortalitatem.



HIs in terris nihil minus immortale est, quàm humanum corpus, cùm singulis horarum momentis, morti tributum soluat. Ipsa docet experientia, vel idiotas, homines non esse immortales: cum quotidie efferri videant, & inhumari. Hæc magistra ad hanc probationem suffecisset, verùm doctis non deest ratio è Philosophicis spatiis petita, quâ probatur, omnia, quæ quatuor ex qualitatibus coalescunt, esse corruptioni obnoxia, atque adeò hanc naturæ legem hominum genus subire. Datur & ista naturali

Mortalia hominum corpora.

Docet experientia idiotas, homines mori.

Docet Philosophia doctos. Quæ sub infra lunam corrumpuntur.

ſcientia ſuperior cognitio, & multò certior Philoſophica, fides, cuius opera Christiani ſine vllo dubio ſciunt, & credunt, omnes homines inſtar aquæ labi, & tandem aliquando mori. Hæc terrena ſedes, non eſt vitæ regnum, ſed mortis: campus eſt, vbi illa impunè volitat, vbi pugnat, vbi vincit, vbi triumphat, vbi dominatur: parcit nemini, quicquid mortale eſt, falce metit: non mouetur lacrymis tenerrimæ ætatis, non iuuenili flore, non adultæ gratiæ nitore, non virili robore, non eleganti forma, non maieſtate perſonæ, non eloquentiæ vi flectitur, non armorum fulgure, non terrore regio, non gratioſa humanitate, nec attendit ad virtutum caſtra, nec ad inimicæ partis teſſeram, tantum aduertit mortalia, ad iſta collineat, & nunquam à ſcopo aberrat. Quot ſunt tela peſtis, tot ſunt tela mortis: quis quærat in peſte immortalitatem? quid tot clamant funera? mortem, an immortalitatem? famis iacula, mortis iacula, vitam rimantur in viſceribus, an necem? prœliorum ſtrages quid dicunt? in campo Martio florere vitæ roſas, an mortis cupreſſos? audite, audite mortales, tacita cadauera: infra lunam,

Docet fides Christianos.

Hæc vita mortis ſedes, mortis campus.

Nulli parcit mors.

Nulla res mortem flectit.

A ſcopo mors non aberrat.

Tela peſtis, tela mortis.

Famis iacula, mortis iacula.

alunt, omnia fluere, labi, corrumpi, extingui. Hoc in horto non oriuntur amaranti; nullus nascitur flos immortalitatis, quotquot nascuntur, sunt horarum & temporis, citius rosis, citiùs violis deflorescunt, nulla est corporeæ venustatis diuturnitas; ætatis flos adnascitur alteri, vnus perit, dum alter succedit, & ita damno alterius efflorescit: vbique regnat mortis genus. Beatus ille qui sempiterno fruitur æuo, post statum analtaseos, æternum fœdus & animæ, & corporis experietur, experietur quid sit esse liberum mortalis corporis onere: sentiet quid sit non ampliùs vlli subiacere corruptioni: quàm dulces sint immortalitatis fructus, planè sciet. Beatum illud corpus, exacto mortis semine, & omni soluta corruptione, penitiorem illam immortalitatis trabeam induet, quam ad omnem æternitatem, semper nouam & omninò decoram retinebit. Hac in immortali trabea; immortale corpus omni morborum generi insultabit: quinque sensus corporis immortales, à nulla re sibi obiecta quicquam mali, vel leuiusculi detrimenti patientur: rerum visu nunquam oculi fatiscent;

Labuntur omnia.

Nihil sub sole æternum.

Beati qui Deum vident.

Beatum corpus immortale.

Immortalis trabea.

Nullus in cœlo morbus.

Perennes oculi.

&c licet æternùm videant, nunquam erunt defessi, nam eorum vis est immortalis, immortales humores, immortales tunicæ, immortales nerui, immortales pupillæ, immortales radij, immortale speculum, immortalis fabrica. Nec aures sonorum, vocumque varietatibus vnquam hebescent, immortaliter sine vlla defatigatione, damnóve, audient. Nec reliqui sensus corporei, quiduis incommodi à rebus exteris sentient, licet sint in vsu perenni. Nihil est in natura quod beatum corpus possit offendere: (nam si lædi posset, non esset immortale, cum id quod vulneratur, interfici queat, & quod læditur, tandem destruatur:) quid illud esset, velim proferatur. Terrarum pondere nequit obrui, nec aquis extingui, nec lethali aëre infici, nec igne torqueri: fame nequit enecari, siti confici, frigore constringi, calore solui: nec ferro cæditur, nec veneno interimitur, nec vlla vi, aut humana fraude, è medio sustollitur: nullis morbis afficitur, nullis plagis subiacet, nihil in eum senectus potest, nihil tempus, nihil vetustas. Non amplius dolet caput, non lippiunt oculi, non hebescunt aures, non laborant dentes, non est frons liuida, non

Aurium felicitas.

Sensus corporis integri.

Nihil potest lædere corpus beatum.

Nihil agit in corpus beatum.

pallescunt genæ, non intumescunt buccæ, non distorquentur labra, non putrescunt nares, non malè olet anima, non inflatur collum, manus chiragra, pedes podagra liberantur, totius corporis membra sana sunt & omninò vegeta: quicquid nocebat aliàs, expulsum est: & quicquid prodest, præsto est. In cœlesti statu totius corporis fabrica immortalis est, nihil habet cum morte commercium. Quàm felix est ille status, vbi vel Sola corporis immortalitas posset esse idonea merces, ad omnes labores, pro Christo exantlatos, magnificè remunerandos. Corruptionis incommoda numerentur, vt immortalitatis, quæ omnis corruptionis sistit cursum, commoda intelligantur. Quibus hac in vita miseriis corpora subiacent, nullus ignorat, nisi sit omnis sensus expers: at hæ miseriæ nihil aliud designant, quàm mortis metam. Nulla est pars humani corporis, per quam non pateat his in terris morti aditus: nihil igitur mirum videri debet, si vita hominis sit adeò caduca & fragilis, sique quolibet articulo temporis, tanta hominum multitudo è corporeis vinculis euolet. Non ita in cœlo, nam nulla datur in beatis corporibus nec morbo, nec morti via, contrà,

Æterna sanitas.

Totius corporis immortalis fabrica.

Multis hac in vita miseriis corpora subiacent.

Patet morti aditus per omnes mortalis corporis partes.

Immortalitas, velut alter Cherub. immortalitas, veluti Cherubim hortum Eden, omnium membrorum aditus, æternitatis gladio defendit. Viuunt, & immortaliter viuunt, animæ immortales cum immortalibus corporibus, immortali Deo, in immortali beatitudine, perfruuntur: quàm suauis est immortalium vita, gustant immortaliter, & nunquam satietate, fastidium sibi creant: nam immortalis est summi boni appetitus.

Immortales animæ cum immortalibus corporibus.

Ad Virgines. Ad hanc corporum immortalitatem aspiratis (lectissimæ Domini mei Virgines) tam puritate cordis, quàm integritate corporis: quàm benè vestram collocatis operam, videtis: scitis vestram pulchram esse in castitatis regno prosapiam, scitote quoque immortalem esse memoriam. Licèt vestra subitura sint ad tempus mortem corpora, suscitabuntur aliquando vt immortalitati consecrentur, & immortaliter floreant. Florete in terris virginales cœtus, florete, & iam in vestris corporibus, amabiles Christi mei sponsæ, germen immortalitatis serite, quod æternùm in cœlo florebit, & in vberiorem partum Angelicæ puritatis adolescet. Thesauros niuis intrate, niuem albam comedite, su-

Pulchra castitatis prosapia.

Florent virginum cœtus.

Germen immortalitatis.

Niuis thesauri.

gite lac venerabilis Euchariſtiæ, mammam Ieſu mei leniter exprimite, fluet nectar immortale, quo virginalia pectora irrigabuntur ad fœtum immortalitatis. O ſponſæ Domini mei, quantum in vobis eſt, ſtudete integritati, quia ſtudebitis immortalitati, cuius fructus, Chriſto debetur, æterno ſponſo.

Vbera venerabilis Sacramenti.

Nectar immortale.

Beatitudo Chriſti Diſcipulorum, quoad corporum claritatem.



ATVRA duce, fugimus tenebras, ſequimur lucem. Vnde harum odium, vnde huius amor? quòd hæ ſint cæcitatis & ignorantiæ vela, quòd hæc viſus & ſcientiæ ſymbolum? Eſt neſcio quid in homine, quod magnam habet cum luce affinitatem. Nonne illud eſt, de quo ſacer vates, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine? Verum

Fugimus tenebras.

Amamus lucem.

Lumen vultus Domini.

Intelligens sol. est rationis lucem, intelligentem illum solem, non modò à vitiorum tenebris abhorrere, sed etiam à priuatione natiui luminis. Placet oculis corporis inter res omnes, quæ in hunc sensum incurrunt, lucis fulgor: placet quoque mentis obtutui, inter omnes ingeniorum faces, perennis luminis splendor. Vtraque lux, tam corporis, quàm animi potissimùm iis arridet, qui vitam è Christianis diuinæ philosophiç præceptis instituunt. Etenim nón nos latet, homines ex omnium scelerum colluuione concretos, & naturalem fugere, sique possent, diuinam etiam lucem deuitarent. Hinc elucet ex vna parte Dei iustitia, ex altera misericordia: vt ij, qui toto vitæ decursu, ab æterna luce solis iustitiæ recesserint, incurrant in vmbras inferorum: qui verò toto vitæ curriculo, luci cœlestis astri adhæserint, & ad benignum cynosuræ vultum vela fecerint, tutissimum supremæ beatitudinis portum teneant. Qua in beata regione, suo fruuntur Sole, huius solis, quem videmus, authore, cuius intelligentis lumine mentes illustrantur & nobilitantur, cuius radiis & fulguribus adeò splendescunt & refulgent, vt ipsamet corpora mirabiliter illuminentur,

Lux oculis placet.
Mentis veritas arridet.

Lux naturalis, & diuina.

Inferorum vmbra.

Cynosura vultus.

& tota in diuinas faces, & cœleſtes ſtellas abire videantur. Præclarum ſpectaculum, primæ veritatis ſplendoribus fulgurantes animas intueri, pellucidiſſima in ſignis pulchritudinis corpora videre, clariſſimas ſpirantium membrorum partes cernere, radiatum caput, geminum ſidus oculorum, frontem ipſo ſole ſepties lucidiorem, genas Ariadnes ſigno clariores, labra ſtellato Cepheo ſplendidiora, colla ſtellis Andromedes nitidiora, ſtellata pectora, ſtellatas manus, ſtellatos pedes, integras corporum fabricas globis planetarum illuſtriores. Finge tibi ſtatuam (Chriſtiane) è pretioſiſſimis gemmis & ordine naturæ diuerſiſſimis, opera nobilis ſtatuarij, pereleganti artificio, compoſitam: cuius omnes partes, inſtar adamantis, ſplendeant, itavt in ſtatua, nullus ſit locus, licet perexiguus, qui non mirè luceat. Nonne hæc ſtatua mirum in modum ſpectatores afficeret, cum etiam in tenebris ſua luce non careret. Sed hoc gemmeum ſimulacrum, ſi cum corpore beato conferatur, luteum eſt, neque amplius lucet. Neque ſi Deus poſt glorioſam anaſtaſim, beatæ menti daret corpus, ex ea materia, ex qua ſunt Orionis ſtellæ, vel aſtrorum princeps ſol,

Diuinæ faces.
Cælitum fulgori.
Spectaculum eximium.
Lucida corpora.
Clariora ſtellis corpora.
Statua dictaminis.
Hoc ſignum afficit ſpectatores.
Gemmeum ſimulacrum.

tam pulchrum esset, tam formosum, tam clarum, tam luminosum, quàm erit felicis animæ restauratum corpus. Nonne homines continuò in cœlum ora conuerterent, si iam in firmamento, loco vnius stellæ, tale corpus videretur? Quanta erit voluptas hominibus beatis, eiusmodi corporibus indui? horum sine fuco agnoscere principia, progressus, metas? obseruare lutum figuli, argillam grandis artificis, vasis fictilis casus, fortunas, vices? aduertere carnis motus, ventos, æstus, procellas, tempestates? notare morbos, miserias, calamitates, corruptionem, cineres, fauillas? Et post hæc omnia, tantum opus, ab optimo rerum omnium conseruatore Deo reparatum, & in luce totius orbis expositum videre, summo sui bono, hoc est longè diuinissimum. Videbis homo, & miraberis lucentem tui corporis fabricam, stupebis, cum omnes tam venustæ fabricæ partes clarè videris: quod erat tibi in terris perobscurum, & in quo intelligendo, cum omni scriptorum adiumento, valde laborabas, nec tandem videbas nisi per nebulas, tunc tibi erit

Tale corpus, formosum in radiis.

Quale emblema.

Qualis mutatio corporis corruptioni obnoxij in immortalem statum.

Luminosa corporis fabrica.

Corpus διάφανον.

notiſſimum : nam & animo ſine vllo errore comprehendes, & quod plus eſt, diſtinctè, corporeis oculis vſurpabis. In tanta luce corporis beati, interiores ipſius partes manifeſtè patebunt, omnia erunt perſpicua, ac pellucida. Mirabilis illa capitis officina, oculorum, aurium, cum artificioſiſſimo earundem partium apparatu videbitur apertiſſimè: cordis ſinus & vitalis labor, hepatis artes, pulmonum fauonij, venarum euripi, ſpirituum virtus, neruorum vincula, cartilaginum flexus, oſſium baſes, commiſſuræ, intenſiones, remiſſiones, munia.

Partes corporis interiores patebunt.

Non erit opus ad intelligendas corporum partes Medicorum anatomiis, & quod erit longè iucundius, eorum errores & ignorantiæ deprehendentur. Non eſt dubium, quin eſſet ſingularis oblectatio, ſi vel vnam apem, aut formicam, inſtar cryſtalli, lucidam intueri poſſemus. Harum beſtiolarum compoſitio clarè viſa mirè noſtros recrearet oculos, & quo plus eſſet in re viſa perfectionis, eo maior naſceretur obiectatio in oculo mentis. At ſcimus nullam eſſe

Anatomia medicorum.

Apis, aut formica pellucida.

Nulla par humano corpori fabrica. hoc in vniuerso parem humano corpori fabricam nullam tantum artis & industriæ continere, ideóque necesse est, vt perspicua illius visio, plus oblectamenti, quàm reliquæ omnes contineat. Illam voluptatem non possumus attingere, ne quidem cogitatione, quomodo explicaremus? *Quod lumen? qui dies? vbi tot corpora fulgebunt.* quod erit lumen? vbi tot corpora fulgebunt: quis dies? vbi tot erunt accensæ faces: quæ claritas? vbi tot soles: quis splendor gloriæ? vbi erunt spirantes stellæ: mi Deus, quàm liberaliter, quàm magnificè, quàm gloriosè, tuorum amicorum corpora excipis? quàm præclarè cum iis agis? eorum membra gemmant, florent, nitent, radiant: nitent gemmæ, flores radiant, radij florent, nitores gemmant: hæc sunt beatorum corporum ornamenta, hæc miracula. Quis non amat illum fulgoris statum? quis non ad illam vitæ formam aspirat? qui rationis lucem odit, qui virtutis ignes, qui cœlestis gratiæ sidus exhorret, ille est, qui beatum illum statum detestatur, miser ille inferorum vmbras expectet, & eas spississimas tenebras, quæ nulla vnquam vi radiorum dissipantur. Longè sunt illi sapientiores, qui nouis quotidie virtutum astris,

Membra gemmant.

Præclara corporum ornamenta.

Verè sapientes. Virtutum astris animi ornantur.

dum sunt adhuc superstites, suos animos exornant, sperant post hanc vitam, fore vt animati cœli fiant, qui suo non carebunt ornatu. Reuera viuent in perenni lumine gloriæ, nec vnquam sol commiserationum iis occidet, sed quandiu erit Deus, ipsis lux erit: videbunt diem Domini, & gaudebunt de lumine, in quo veritas, in quo perpetuat suos ignes germana sapientia, quæ mentes alet perennibus radiis æternitatis.

Animati cœli.

Nunquam sol miser[i]cordia occidet.

Beatitudo Christi Academicorum, quæ nascitur ex iudicialis potestatis iure.



VANTVS sit futurus supremi iudicij timor, nemo rebus Christianæ fidei initiatus ignorat. Quomodo non terrerentur homines, ad aspectum Christi iudicis terrore plenum & maiestate? cum ad ipsius iudicij p[ræ]paratum, præ nimio metu, non pauci exarescent. Illam vltimam de vna æternitate sententiam non reformidarent? vbi nulla

Timor supremi iudicij.

Præ nimio metu arescent homines.

est ad superiorem curiam prouocatio, vbi agitur de æternis inferorum suppliciis subeundis, aut de æterno cœlestis patriæ regno consequendo: vbi de possessione, vel iactura Dei, quæstio est. Nemo est apud mortales tam sui securus, tantaque audacia, vt si in iudicium coram amplissimo Senatorum ordine adducatur, (licet aliunde quoad conscientiam, non prematur,) qui graui metu non percellatur: talis est virtus iudiciorum, vt rei facti, quamuis non conuicti, ad ipsam iudicialis curiæ faciem summopere timeant. Quod si mortales iudices tantum adductis in iudicium timorem incutiant: quid de immortali & supremo omnium iudice putandum est? totis artubus homines contremiscere, non est dubitandum. In tanto igitur totius naturæ metu, fortunati illi, qui non timebunt, suæ salutis ab illo terribili improbis iudice securi facti: fortunatissimi, qui seuerum illud examen declinabunt, & in sellis curulibus sedentes, totum Orbem iudicabunt. Ita est, iudiciariam potestatem beatis Christus communicabit: quam in omnes virtutis hostes, inimicos fidei, Christo rebelles, gratiæ aduersarios, sanctæ Religionis

De Deo quæstio est aut possidendo, aut amittendo.

Magna vis iudiciorum.

Vniuersus naturæ metus.

Iudicabunt beati totum orbem.

Quinam iudicabuntur.

perduelles, vitiorum signiferos, crucis reos exercebunt. Coram beatis illis iudicibus stabunt ij, qui suis armis orbes & maria terruerunt: stabunt timore perculsi, & ferè exanimati: ad districtum ensem iustitiæ, & aureum libræ momentum, tyranni exhorrescent, ad cœlestem æquissimi iudicis purpuram, & ad purpureas assessorum trabeas mali principes expallescent. Iudicabit innocens Abel stillantes adhuc suo cruore Caini manus, iudicabit magnus ille Patriarcha Noë deprauatam sui temporis sobolem, iudicabunt Abrahamus & Isaac, diuinorum obsequiorum contemptores, iudicabit Iacob vterinum Esau, iudicabit Iosephus impudicos amores, Moses Pharaonem & Ægyptios, Aaron sacrilegam gentem, Iosuë Chananæos, & Amorræos, Iael Sisaram, Gedeon Madianitas, fortis Samson Philistæos, Ruth Moabitas: iudices erunt Samuel, Elias, & Elisæus falsissimorum Prophetarum, Dauid Rex Saülis & Goliæ, Ezechias blasphemi Sennacherib, Iudith insolentissimi Holophernis, Esther superbi Aman, Tobias

Stabunt coram beatis iudicibus, & timebunt reges.

Ensis iustitiæ.

Libra examen.

Iudex Abel.

Reus Cainus.

Iudex Noë.

Iudices Patriarchæ.

Iudex Iosephus.

Moses.

Aaron.

Iosue.

Iael.

Gedeon.

Iudices Prophetæ.

Iudices Reges.

Niniuitarum immanitate barbarorum, Niniuitæ posteri Iudæorum, Machabæi Antiochenorum. Stabunt ferreis vincti catenis, aut potius adamantinis, Persarum Cyri Lydorum Crœsi, Medorum Reges, Alexandri Magni, Pori Indiæ, Pœnorum Annibales, Pompeij Magni, Cæsares, Augusti, tot & tanti Imperatores. Principes Apostolorum Petrus & Paulus de Nerone naturæ portento sententiam dicent: D. Iacobus Herodem crudelitatis & violatæ iustitiæ condemnabit: discipulus, quem diligebat Iesus, insignem illum magnum Apollonium, & Cæsarem Domitianum, reos æternorum cruciatuum declarabit: tot sanctissimorum Martyrum millia crudelissimos tyrannos & flagitiosissimos carnifices perennibus flammis addicent: tunc erit rerum humanarum immutata facies: qui impie & sacrilegè iudicarunt, iudicabuntur, & iniquissimorum iudiciorum acerbissimas pœnas luent, ad arbitrium malè iudicatorum, & ad pondus æternæ violatæ iustitiæ. Non erit amplius gladius in furentis tyranni manibus, nec libra in potestate iniqui iudicis: sed erit cuique Dei filio suus ensis, sua libra: ad cuius motum, iustè gladius vibrabitur, iustè statera mouebitur.

Ferreis vincti catenis & ad amantinis, antiqui Monarchæ.

Iudices principes Apostolorum.

Reus Nero.

D. Iacobus iudex

Reus Herodes.

Rei Cæsar Domitianus & Apollonius Tyaneus.

Iudices Martyres Tyranni rei.

Non erit gladius in manu tyranni nec libra in potestate iniqui iudicis.

Apud sanctos iustitia arma.

mouebitur. Inermes erunt, qui in terris contra ius arma mouerunt: armati verò diuina iustitia, quibus vis illata fuit. Non ampliùs militantis Ecclesiæ liberi, ad tyrannorum tribunalia pertrahentur, vt iniustissima subeant iudicia, vt ad metalla, vel bestias, vel sartagines, vel equuleos, vel rotas, vel cruces, vel triremes condemnentur. Omnis furor quiescit, venti posuere: terrores mortis, vmbrarum, suppliciorum, infernorum perennes labores impias mentes obsident: adeò gens improba concidit, vt in suos iudices ora conuertere non audeat. Neque duntaxat beati potestatem iudicialem in humanum genus obtinent, verùm etiam in omnes spiritus, qui à Dei castris recesserunt. Ipsum Luciferum cum suo exercitu iudicabunt: neq; vnus vim istius iudicij effugiet. Non potest dici quàm graue sit, quàm acerbum dæmonibus istud iudiciũ: quòd videant adeò extolli beatorum naturam, supra suam, (cum hæc hominis sit, ista angeli) vt suos superiores, siquidem iudices, agnoscere, velint nolint, in tantis malorum procellis, cogantur. Vbi videre est, quàm calamitosus sit dæmonum status, quàm felix beatarum mentium: quàm

Nulla furor in arma.

Iusti iudicabunt malos homines & ipsosmet dæmones.

Graue & peracerbum iudicium.

liberalis præpotentis Dei manus, quamue ponderosa: liberalis in amicos, ponderosa inimicis: quot & quantis hos præmiis afficit, istos nullis, imo suis meritò spoliat bonis, & in alios transmittit. Nonne satis erat (Domine mi) à tantis tuos calamitatibus, quibus eos impij obruebant, liberasse? Nonne sufficiebat in tuto loco posuisse, vbi nihil incommodi poterant pati, nisi illis vim vltionis tribuisses? constituere iudices pios in impios, innocentes in sceleratos, mites in crudeles, fideles in perfidos, æquos in iniustos, castos in impuros, humiles in superbos, voluisti, vt quælibet virtus olim oppressa resurgeret, & quoduis vitium cũ vitioso cõdemnaret, insultaretq; meritò. Aperite oculos, quicunque crudelissimam in humanum genus tyrannidem exercetis, quique in regnorum Curiis iustitię munia non exequimini, aperite oculos: sitisque memores, illos eosdem, quos iniqua vi iudiciorum opprimitis, vestros aliquando iudices futuros: quibuscum vobis res erit, longe difficilior, & periculosior, & asperior, quàm cogitationibus assequi potestis. Nolite gladio potestatis abuti, quem Deus vestris manibus commisit, vt probos tueremini, improbos deleretis. Nolite li-

Liberalis manus Dei & vnà terribilis.

Oppressa virtus resurgit instar palmæ.

Ad iudices non satis æquos.

Qui hic opprimuntur, futuri sunt iudices opprimentium.

bram iustitiæ in hanc vel in illam partem, quæsitus ergo, vel obsequij officio, vel munere gratiæ, inclinare rectam tenete, & in æquali pondere: alioquin seuerissimos iudices & inexorabiles expectate, quotquot in beatorum numerum ascribentur. Bonum est hîc esse peræquos iudices, vt iudicum officium etiam in altera vita retineatis, quo tandem in extremo iudicij die, fungamini, tàm ad gloriam æquitatis, quàm ad famam nominis.

Sapiant mundi iudices.

Inexorabiles iudices.

Beatitudo Christi Alumnorum, quæ ex hoc oritur, quòd sint extra omnem peccati aleam.



EMPER Angelorum statum felicissimum existimaui, vel propter vnicam rem, quæ in illis est omninò singularis. Nunquam ab eo tempore, quo creati fuerunt, ad hanc vsque diem, leuissimam in se culpam admiserunt, nihilque, quod Conditori vlla in re displiceret, peregerunt.

Felices Angeli, qui nihil vnquam peccarunt.

Nullam vel leuissimam in Angelis labeculam reperias.

magna laus, & omnium maxima, in summa integritate & amabili innocētia continuò vixisse: magnum bonum, & vnum è maximis, diuini numinis amicissimos sine vlla offensa, semper extitisse: aliunde certissimum est nunquam vel leuissimum crimen in Deum admissuros. Quo posito, quis non illos spiritus perbeatos prædicet? quòd nunquam asperrimum peccati iugum subierint, cuius tyrannis est grauissima & omnium acerbissima. Omnium primi, quid esset libertas filiorum Dei, feliciter experti sunt, eiusque ius, omni demissione animi, & perpetua vitæ sanctitate, damnatis rebellium sociorum sententiis, sartum tectumque conseruarunt. Statim atque suum Conditorem agnouerunt, coluerunt, reueriti sunt, fasces religionis & perennis obsequij coram illo submiserunt, crediderunt, sperarunt, amarunt: in gratiæ bono confirmatos, & illicò gloria donatos fuisse scio, statim creati, statim sancti, statim beati, peccatores nunquam. Verùm non omnes sunt Angeli, sunt & homines, igitur peccatores. Et quandiu viuunt in corporum ergastulis, tandiu in multis delinquunt. Vna est mater Dei, quæ omnem

Magnum bonum innocentia.

Peccati tyrannis acerbissima.

Libertas filiorum Dei.

Angeli semper sancti.

Angeli, peccatores nunquam.

In multis delinquimus omnes.

B. Virgo semper innocens.

extra peccatorum aleam fuit. Cæteri mortales non poſſunt gloriari, quòd aliquando ſub iugum dæmonis miſſi non fuerint; alioquin peccatum originis reclamaret. Et de fide eſt, ſepties in die iuſtum cadere & ſepties reſurgere. Nihil dico de peccatis actualibus, quiſque ſcit, quemque ſuos pati manes. Nam quandiu viuimus, periclitamur. O beata Ieruſalem, mater noſtra, mater amabilis, quando cum tuis filiis, noſtriſque fratribus, qui nullis ampliùs vitiorum periculis ſubiacent, verſabimur? quando perpetuæ feremus inſignia gratiæ? quando torquati equites Spiritus ſancti creabimur? quando ſcelerum & flagitiorum monſtra calcabimus tutis veſtigiis? Audiuimus, & verum eſt, de omnibus vitiis æternos in cœlo triumphos virtutes ducere: accepimus, & acquieſcimus, nullum eſſe in aula Dei fraudis, aut erroris veſtigium: appetimus videre regnum, vbi omnes incolæ nihil peccant, nec peccare queunt. Quàm amœna regio, vbi exulat ſuperbia, vbi non comparet Philargyria, vbi Cypris non habitat, vbi ciuis non tabeſcit inuidia, vbi non moratur Bacchantium chorus, vbi non furit ira, vbi

Homines, iræ filij.

Quiſque ſuos patimur manes. Poëta.

Sancta deſideria.

Virtutes triũphales.

Cæli patria, regio amœna.

Exulant omnia vitia. non quiescit ignauia, vbi nulla exercetur barbaries, vbi nihil admittitur contra iustitiam, contra temperantiam nihil, nihil contra prudentiam, contra fortitudinem nihil, nihil aduersus humanitatem, nihil aduersus charitatem. *Felix beatorum status.* Felix beatarum mentium conditio, felix vitæ status, in quo viuitur sine peccato, sine vllius iniuria, sine næuo: *Ibi viuitur sine vitio.* ibi nullus est tentator, nulla carnis infirmitas, nulla res obiecta, quæ moueat ad malum sensus: ibi fomes peccati extinctus est, ibi quies in facultate irascendi, nulla in mente ignorantia, nulla in voluntate malitia: totius hominis status est optimè compositus, nec ad malum trahitur, cum nihil possit habere rationem aut speciem maioris boni, eo bono, quo perfruitur in Deo beatus. Non potest dici quantopere beati recreentur illa certissima cognitione, quam habent se imposterum nunquam in Deum, scelus vllum commissuros. *Sancti nunquam amplius in cœlo peccabunt.* Ista securitas incredibilem parit lætitiam, immortalemque affert voluptatem: suaue est bonæ indolis filio, scire quòd nunquam bonum sit offensurus parentem. *Filij solatium.* Dulce discipulo liberaliter educato, intelligere, quòd nunquam erit molestus magistro: *Discipuli lætitia.* gratissimum sponsæ,

ſi certa ſit, quòd nihil ſit ſequenti tempore actura, quod ſponſo tantillùm diſplicere poſſit: at dulciſſimum beatis, Dei filiis: ſuauiſſimum beatis, Chriſti diſcipulis: gratiſſimum beatis, Ieſu Sponſis; pro certo ſcire, ſe nunquam quidpiam acturos quod non ſit Auguſtiſſimæ Triadi iucundiſſimum futurum. Inter beatitudinis dona, iſtud eſt magni momenti, & eximiæ dignitatis, & ſingulare argumentum felicitatis. Nulla eſt vera beatitudo, quandiu quis peccare poteſt: nam non eſt æterna, cum, etiamſi beatitudine fruatur, peccando, iacturam illius facere poſſit: idcircò talis eſt perennis gloriæ virtus, vt quicunque illa coronetur, ad omnem immortalitatem à peccatorum lapſu liberetur: ô felices animæ, quæ à corporeis vinculis ad cæleſte domicilium euolaſtis, nunquam amplius cum dæmonum turmis, cum mundi amatoribus, cum carnis blanditiis certamen inibitis, neque amplius in peccati diſcrimine periclitabimini. Viuitis procul à vitiorum procellis & tempeſtatibus, in tutiſſimo portu immortalis gloriæ? videtis caſus aliorum & naufragia: ſcitis experientia, quàm miſera ſit huius vitæ calamitas, quàm pericu-

Sponſæ conſolatio.

Suaue eſt beatis ſcire, ſe nunquam peccaturos.

Nulla beatitudo vbi non eſt omnino exactum peccatum.

Felices animæ.

Nullum reſtat diſcrimen, nullum vitæ periculum.

Viuunt beati in portu felicitatis.

Periculosa mortalium nauigatio.

losa nauigatio, date manus periclitantibus, succurrite vestris saltem suffragiis, & è tam scopulosis flagitiorum locis eripite, per Deum immortalem, eripite. Etiamne

Ad mortales.

mortales amatis periculum? qui quotidie delinquendi vias sectamini: neque vobis satis est, vos in mille peccandi discrimina adducere, nisi etiam alios vobiscum in vitiorum gurgitem pertrahatis. Hac via ad cœlum non ascenditur, sed ad inferos descenditur: his gradibus, virtutum sedes non imminet, sed peccatorum vorago pa-

Hac arte non inuenitur Deus, sed dæmon.

tet: non inuenitur hac arte Deus, sed naturæ hostis & gratiæ. Sistite gradus, agnoscite deformitatem vitij, pulchritudinem virtutis, seruitutem vnius, libertatem alterius: agnoscite decus gratiæ, ornamentum gloriæ, semen vnius, fructum alterius: contendite ad vitam, deserite mor-

In Deo vita, mors in peccato.

tem, in Deo vita est, mors in peccato.

Beatitudinum epilogus, ardens piæ ad cœlum animæ desiderium.



VM de te cogito (mater mea cœlestis Hierusalem) concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Tandiu in ripis Babylonis amnis obmutescente cithara, versari, mihi est pergraue: meum continuo luctu deploro exilium: heu mihi quàm laboriosa est in alieno solo vita! me premunt vndique infensissimi hostes, qui diu noctuque me lacessunt atrocissimè: nulla mihi datur quies: vno liberatus periculo, in aliud vocor: vnius calamitatis exitus, alterius, & quidem grauioris, est initium: quolibet temporis articulo periclitatur animæ salus, & de vna agitur æternitate: nihil subsidij est à rebus humanis, à mortalibus solatij nihil: interim caro insultat, mundus vrget, dæmon premit, vanitas illudit,

Anima pia Deum sitit, Deum anhelat, Deum spirat.

Quàm graue terreno angelo, & cælesti viro exilium.

Quot & quanti hostes.

Quot & quãta pericula. sensus fallunt, cupiditates trahunt, motus irruunt, consuetudines rapiunt, fulgor decipit, voluptas capit, opes irretiunt; vbique fraudes, vbique metus, vbique insidiæ, vbique pericula, vbique labor, vbique dolor, vbique bella, vbique morbi, vbique luctus, vbique funera, vbique calamitas. *Pennæ columbæ.* Quis dabit mihi pennas; & ego volabo ad tabernacula Domini? *Sancta desideria* quis aptabit alas desideriis animæ meæ; quibus sine mora cœlum petat? *Alæ aquilæ.* Certè mea sitis lõgè est cerui à venaticis canibus agitati ardentior; *Sitis animæ, ceruina ardentior.* neque tanto pellucidi liquoris fontium amore flagrat, quanto Christi mei desiderio videndi teneor. *En sitis scribentis calami: lector.* Sitio fontem illum, cuius aqua salit in vitam æternam. *Suspiria cordis, Iesum spirantis.* Nunquamne flores immortalitatis, qui huic adnascuntur fonti, virginali manu excerpam, vt perenniter florentem æterno sponso coronam contexam? Suspirat animus, dum mihi dicitur, Adhuc in terra Cedar detineris: suspirat ad sublimem Olympi verticem, & tacitè ait: ô *Vota animæ.* montes Domini mei, vestra deprimite iuga vsque ad vallem lacrymarum, vt fiat mihi facilior transitus à terris ad cœlum: inclinate capita ad vota cœlestis sponsi

amantium: quando inambulabo inter candidissimæ viæ lacteæ lilia? quando teram vestigiis baltheum Orionis? quando videbo faciem patris mei? quando ruam in amplexus Christi mei? semperne, instar turturis, ingemiscam in hac vasta mundi solitudine? desiderò videre bona Dei mei: res humanæ mihi nauseam pariunt, obsordescunt omnia, quæ sunt infra solem: quicquid non est Deus meus, parum est: quod cum sciant hostes mei, mihi sæpius dicunt, illudendo, Vbi est Deus tuus? exsurge amor æterne, exsurge, arcum intende, apta sagittam, in meum cor, quod tuis animatur & viuit amoribus: telum contorque, vt ex hoc sacro vulnere, alatum tuæ sagittæ pennis, tuum ad sinum recto volatu feratur, & in eo quiescat. Donec hoc fiat, continuò in terris fundam lacrymas, nec alios dabo satus, quàm desideriorum: cum lacrymis miscebo flammas, testes animæ amantis, quibus æstuabit lacrymarum, & doloris æstus. Nemo quærat, quid agant oculi, quid amicum cor? nam illi responderent sine strepitu, Absentem gemimus Christum: istud subiiceret, Amatum cupimus. Adiuro vos, (filiæ Ierusalem)

O cæli amores.

O lacryma.

Heu quàm sordet terra. Quicquid Deus non est, quid est?

O amores, ô flores Iesu mei.

Feriat amor Iesu cor pium.

Satus desideriorum, germina sanctorum.

Cum igne lacryma.

Quid agunt oculi? quid cor?

Adiuratio.

per virginitatis & innocentię lilia, vt dicatis Speciofo forma præ filiis hominum, quòd anima mea fempiternis langueſcat amoribus. Hîc non viuit, ſed moritur, vellet mori, vt viueret: viueret in amore cœli, ſi cœlo frueretur. Dicite, ſorores meæ, dicite ſancto Sponſo, vt ſuę ſponſæ iam ſatis diu exulantis cōmiſeratione tangatur. Non affero merita, cum nulla mihi ſint, at miſericordias Domini profero, quarum numerus eſt infinitus, inſtar columbæ cupientis Arcam ſubire, Chriſti ramum ex oliua, pignus meum offero. O dulciſſime Ieſu, ſponſe animæ meæ, quando tuum intrabo ſacrarium? quando concedes facultatem plagas ſacratiſſimi corporis oſculandi? quando videbo te æternum, & amabo te æternum, & laudabo te ęternum? donec hoc fiat, ad fores tui tabernaculi ponam excubias, nec deſinam diu & noctu pulſare cœleſtis prætorii ianuam, donec aperiatur. Interim clamabit anima mea per mortalium turmas & conuentus, Nunquid quem diligit anima mea vidiſtis? Vociferabor, cum vate regio, Melior eſt dies vna in atriis tuis, ſuper millia. Quid igitur mirum eſt, ſi nihil aliud mihi placet, nihil

Langueſcat anima.

Nulla proferuntur merita: Sed miſericordiæ Domini offeruntur.

Ad Ieſum apoſtrophe.

En ſignum & teſſera animæ Deum reſpirantis.


Veniat dies albus felicitatis.

curæ est, nihil in amoribus, nihil in deliciis, quam visio Dei mei? Quousque tantum bonum optimus Pater exuli filio denegabit? quousque sponsus aspectum sponsæ subtrahet? ô dolores animæ meæ! ô cordis vulnera! iis medere suauissime Iesu, qui potes sanare plagas, dolores leuare, tuo iucundissimo aspectu. Exanimant istæ voces tui amantissimum, bone Iesu, dum audit cordis aure toties inclamantem sub auroram Angelum custodem: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. (O mi Deus) cor meum & caro mea, exultauerunt in te Deum viuum. Quàm verè Beatus vir, cuius est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Expectabo in quiete (spes animæ meæ) donec veniat immutatio mea.

Dolor pius & vulnera piae.

Inclamant SS. Tutelares sine vocis strepitu regium illud Dauidicum.

F I N I S.





INDEX ACCVRATISSIMVS rerum præcipuarum quæ hac Christi-Academia continentur.

A

Apostolis

B

E

Fames

F

Misericors

Q

R

Scientia

T

V

FINIS.



